IBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXII
B
37
NAPOLI

LXII. 5. 32.

MEMORIÆ HAMBURGENSES, sive HAMBURGI,

Et Virorum de Ecclesia, Republica & Scholastica Hamburgensi bene meritorum,

Elogia & Vitæ,

collectore

JO. ALBERTO FABRICIO,
D. Prof. Publ. & Scholæ Rectore.

HAMBURGI,
Sumtu CHRISTIANI LIEBEZEIT.
Typis SPIERINGIANIS, A. C. MDCCX.

rum Amplisſimi Ordinis Virorum de Rep. præclare meritorum complexum Tibi offerre in animum induxi, Vir Excellentisſime, gratulaturus ſimul, etſi paullo tardiuſculè, arduum illud munus & præſtantem Dignitatem Syndici, ad quam Tua Te Virtus, & fortuna Reip. nuper evocavit. Hanc ſimul collatam meritis Tuis comperi, voluptatem exinde cœpi ſingularem, & fauſtis ominibus honores Tuos, Amplitudinemque hanc ſalutarem futuram Patriæ ſerio proſecutus ſum. Quæ igitur jampridem pro Te nuncupavi vota privatim, eadem jam nunc publice repetere volui, DEUM veneratus ut firmet Tibi valetudinem, quo par eſſe poſſis graviſſimis laboribus quos pro bono publico aſſidue ac libenter ſuſcipis, & pro incredibili induſtria fide ac dexteritate Tua obis felicisſime. Novi ſane quam non minus vehementer animum Tuum ſemper oble-

ctaverint ſtudia litterarum, illa potiſſimum quibus vel antiquitates linguæ vel priſcæ res gentis noſtræ illuſtrantur, in has enim jamdudum ita incumbis, ut poſſes incredibile afferre decus & lumen litteris, niſi majorem partem Tui Salus Reip. ſibi vindicaret. Spero inde non indignum judicatum iri à Te hoc opuſculum, quo memoriam Patrum Patriæ Nobiliſſimorum, Anteceſſorumque Tuorum merita ab oblivione aſſerére pro virili annitor, ut ei evolvendo pauxillum temporis impendas, habeasque illud publicum atque ſine fraude pignus meæ in Te obſervantiæ ac venerationis. Vale Vir Conſultiſſime. Scripſi Hamburgi IX. Cal. Oct. Anni Chriſtiani cIↃ IↃ CCIX.

AD LECTOREM.

NOn possumus equidem Viris præstantibus qui ante nostram memoriam commodis & Saluti publicæ invigilarunt, aliud ferme post fata ipsorum referre præmium, quam ut eorum cum laude recordemur, & memoriam ipsorum grati recolamus, concelebratamque ad posteros usque transmittamus. Hoc unum redhostimenti veluti loco, venerandi illorum manes à nobis requirunt, hoc negare illis sine summa injuria non possumus, quod ut consequerentur nullos non labores, molestias, pericula libenter subierunt, defraudarunt otium suum ac quietem, nullis pepercere curis ac vigiliis. Videntur tamen priores ætates satis indiligen-

genter versatæ esse in hoc officio, & magis cordi habuisse alia quælibet, quam illud studium & cogitationem, ut virorum ante se præclarorum memoriam conservarent, eorumque merita posteris in exemplum & laudandi materiam proponerent. Certe existimo Viros historiæ patriæ amantēs mecum indignari, cum vident non plura ad nos de Viris, majorum nostrorum tempore apud hanc Civitatem in summa dignitate versatis eorumq; rebus & præclare factis ad nos pervenisse, quorundam vero ex illis vix nomina, aliorum ne hæc quidem oblivioni fœdæ subtracta, qui ipsi donec superavere, consilio atque opera sua Salutem Civium, gloriamque & incrementum Reip. feliciter & egregie

promoverunt. Pauca igitur sunt, fateor, neque illa valde ab ætate nostra remota, quæ conquirere in hoc genere mihi licuit, qualiacunque tamen illa, ne interjecto tempore similiter perirent, in hunc fasciculum congessi, mox alterum, si DEUS valetudinem benigne concesserit, συναγωγὴν hujus volumen daturus ante proximas vernales nundinas. In primo hoc Tomo habes principe loco Jo. FREDERI, de quo Viro alibi dicturus sum, Encomium Hamburgi, Carmine scriptum non ineleganti, & virorum doctissimorum * jamdudum encomia promeritum. Præter editionem illius Witebergensem Anni MDXXXVII.

* Vide Clariss. Jo. Molleri Introduct. in Hist. Chersonesi Cimbricæ parte 2. p. 545.

XXXVII. exſtat & altera curante Eilardo Dudovio Brahmugenſi (ita enim transpoſitis literis pro Hamburgenſi vocari homini placuit) impreſſa typis Hamburgenſibus A. MDCII. ſed qui in fronte illius libelli promittuntur Epigrammatum libelli duo, quorum prior conſecratus ſit memoriæ Clariſſimorum Virorum de Hamburgenſium Eccleſia & Rep. optime meritorum, *illos incaſſum quæſivi, etſi illius editionis Dudovianæ exempla plura viderim, itaque ſuſpicor Dudovium JO. RITZENBERGII Epitaphia, quæ in hoc Volumine à me ſubjuncta vides, addere voluiſſe, ſed nescio qua de cauſſa illud deinde conſilium abjeciſſe. Certe digna ſunt illa Epitaphia quæ conſer-*

ventur, quia haud invitis ſcripta Muſis, multorum inſignium Eccleſiæ, & Reip. Hamb. Virorum laudes continent, & raro obuia ſunt. Fuit vero iſte Ritzenbergius, quem Amplisſimo Secretarii munere tum cum iſta ſcriberet functum in hac urbe conſtat, Poëta — felix juxta ac pius, ut mecum fatebitur qui viderit ejus elementa Pietatis pro rudibus pueris brevi carmine redacta in quæſtiones, ad quas Puer filius Patri vel Pædagogo interroganti reſpondet, *edita Witebergæ A. MDLV. præfante B. D. Joachimo Weſtphalo, & digna quæ lucem iterum videant, propter perſpicuam verſuum facilitatem & limpidam puritatem doctrinæ ſalutaris. Eodem Anno Witebergæ Philippus Melanch-*

lanchthon cum præfatione ſua vulgaverat libros quatuor de arte jocandi, certe feſtivos, quos carmine Elegiaco compoſuit Matthæus Delius Rector Scholæ Hamb. & memoratus Dudovius recudi fecit addito libro Epigrammatum jocularium, ſed quoniam in his nihil Hiſtorici argumenti continetur, illi in hac collectione locus eſſe nullus potuit, in qua occurrent tibi porro Series *Magnificorum & Nobiliſſimorum Virorum qui vel* Conſulatum *geſſerunt vel* Syndici *aut* Senatoris, Prætorisque *aut* Secretarii *munus in hac Reip. obiere, obeuntque*: Præfectorum *quoque* Ritzbuttelenſium *nec dum editus Catalogus, quem ut alia plura in acceptis refero benignitati gnariſſimi rerum Patriæ ſuæ meri-*

meritissimique Consulis D. GERHARDI SCHROEDERI. Vitas & Elogia *subjeci collecta undique, pleraque sparsim ante vulgata, partim nunc primum edita, ut quod p.* 209. *exstat & Magnifici Avi sui memoriæ consecratum est, cum Helmstadii studiorum caussa juvenis versaretur, à Nepote dignissimo* ULRICO WINCKELIO, *J.U.L. qui pro humanitate sua & in Patriam amore alia etiam non pauca mecum communicavit: partim etiam à me conscripta, quorum meorum si quis vel brevitatem vel jejunitatem accuset, is noverit plura me non comperisse, & maluisse vel hæc pauca simpliciter enarrata subducere oblivioni & caligini temporum, quam viros præstantissimos plane in-*

indictos silentio præterire. Alter Tomus simili modo persecuturus est seriem & elogia Episcoporum Hamburgensium, Præpositorum, & Decanorum Rev. Capituli, Superintendentum, Rev. Ministerii Seniorum, Pastorum, Diaconorum, Professorum, Rectorum, Conrectorumque. Interjecto tempore, nisi illustris doctrinæ Vir Otto Sperlingius, *aut Clarissimus* Joannes Mollerus *hoc argumentum occupaverint, peculiare Volumen destinabitur Viris doctis Hamburgensibus, qui nullo publico functi officio, vel extra patriam vixerunt, scriptisq; aut alio titulo claritatem nominis sibi comparavere. Interim secundo Tomo subjicietur locuples index Alphabeticus Nominum propriorum, quem imprimis acceptum*

*ceptum fore Patriæ Hiſtoriæ Proſopographicæ ſtudioſis confido, quoniam in illo univerſi qui publico officio inſigniore in hac urbe functi ad meam notitiam pervenerunt, ſuo quisque loco, ad ſcripto muneris quod geſſit axiomate exhibebuntur. In elogiis ſolorum defunctorum habita à me ratio eſt, quos memoraſſe mihi morte obita ſatis eſt, ut Auſonii * verbis utar. Nam ut idem ait,*

Viventum inlecebra eſt laudatio, nomina tantum
Voce ciere, ſuis ſufficiet titulis.

Vale, & optimæ Civitati Pacem mecum precare & Concordiam.

Con-

* Auſon. in Coronide Epigrammatum.

Contenta in hoc Volumine.

JO. FREDERI Carmen in laudem Urbis Hamburgi. p. 1.

JO. RITZENBERGII Virorum Meritis in Ecclesiam & Remp. Hamburgensem clarorum Epitaphia. p. 71.

SERIES DNN. CONSULUM p. 128. SYNDICORUM p. 439. SENATORUM ac PRÆTORUM. pag. 483. PRÆFECTORUM RITZBUTTELENSIUM pag. 585. & SECRETARIORUM REIPUB. HAMBURGENSIS. p. 587.

VITÆ ET ELOGIA CONSULUM, Sebastiani à Bergen J. U. L. p. 151. Joannis Brand J. U. L. pag. 234. Joachimi Claen J. U. L. pag. 155. seq. Alberti von Eitzen J. U. L. pag. 236. Nicolai Jarre, J. U. L. pag. 278. Joach. Lemmermanni p. 293. Petri Lutkenii J. U. L. pag. 380. Henrici Meureri J. U. L. p. 309. Wolfgangi Meureri. J. U. L. p. 248. Bartholdi Molleri J. U. L. p. 249. Dieterici Molleri J. U. L. p. 300. Vincentii Molleri J. U. L. p. 265. Hieron. Hartvvigi Molleri, J. U. L. p. 360. Broderi Pauli J. U. D. p. 291. Matthiæ Rhederi p. 139. Jo. Dieterici Schafshausen J. U. D. p. 343. Joannis Schlebusch p. 242. Joannis Schrœtering. p. 276. Joannis Schulte, J. U. L. p. 320.

320. Jo. Sluteri, J. U. D. p. 391. Julii Surlandi J. U. D. p. 370. Bartholdi Tvveſtreng, J. U. L. p. 382. Hieron. Vogleri p. 163. 176. Nicolai Vogleri, J. U. L. p. 150. Ulrici Winckelii p. 209,

ELOGIUM Vincentii Molleri, Conſiliarii Regis Suec. p. 262.

ELOGIUM Lib. Baronis de Delvvig, Præfecti Urbis. p. 419.

VITÆ ET ELOGIA SYNDICORUM D. Jo. Chriſtoph. Meureri p. 442. D. Joachimi Peterſen p. 445. D. Rutgeri Rulandi p. 447. D. Wolderi Schele, p. 475. & D. Alberti Schreiningii. p. 456.

VITÆ ET ELOGIA SENATORUM, Danielis von Campe J. U. L. p. 540. Everhardi von Campe J. U. L. p. 529. Georgii von Holten J. U. L. p. 519. Dieterici Langermanni J. U. L. p. 574. Petri Meieri, J. U L. p. 576. Dieterici Niebueri J. U. L. p. 496. Jacobi Syllm p. 562. Hartvvigi von Sprekelſen J. U. L. p. 542. Caſpari Weſtermanni J. U. L. p. 545. Erici Wœrdenhofii J. U. L. p. 513.

PETRI RAVENNATIS Carmen ad SENATUM HAMB. p. 408.

HENNINGI CUNRADINI Carmina de ſitu Hamburgi p. 409. & de Alſtria p. 417.

CHRISTOPH. SYLVII de urbe Hamburgo. p. 414.

FELICIS FIDLERI de Albi Fluvio. p. 415.

Ad JUSTUM

Ad

JUSTUM JONAM,

JOH. FREDERI,

Pomerani,

In laudem Clarissimæ Urbis

HAMBURGÆ

Carmen.

Cum præfationibus Philippi Melanchthonis & Justi Jonæ.

Ad editionem,
quæ prodiit
VITEBERGÆ,
MDXXXVII.

AD

URBEM HAMBURGUM STIGELIUS.

Hæc lege, Saxonicis urbs florentissima terris,
Nobile de veteri quæ Jove nomen habes,
Perlege, sis quamvis externa haud indiga laudis
Te tamen hic aliquid forte quod ornet, erit,
Quod longe excellas argenti dives & auri,
Quod belli præstes arte, quod arte togæ,
Est aliquid dignum plausu, candoreq; Vatum,
Non tamen hinc summæ præmia laudis habes.
At quod salvifici propages dogmata CHRISTI
Hinc te pro merito, qui canit, ille canit.
Ante Jovem, populis sub dio vivere suetis
Consulis ignotum nomen, & urbis erat,
Post ubi senserunt se semina ducere cœlo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, esse Deum,
Tunc primum amplexi juncti consortia cœtus
Tegmina vicinis composuere casis.
Utque alios alii de relligione docerent
Contiguas pietas jussit habere domos.
Hinc urbes structæ, quarum est, ante omnia, munus,
Adseruisse Deo, quam jubet esse, fidem.
Quod quia tu facias, merito pia Musa Frederi
Descripsit laudes hac quoq; parte tuas,
Quem tu si fueris aliquo complexa favore
Forsitan his alio tempore plura dabit.

PHILIP-

PHILIPPUS MELANCHTHON JOANNI FREDERO S. D.

FAteor esse magna ornamenta civitatum, copiam rerum necessariarum ad vitam tuendam, opes, ædificia, arma, apparatum. Hæc quia incurrunt in oculos & sane sunt necessaria, non enim elevo, præcipue mirantur imperiti, sed alia sunt longe præstantiora decora, ac verius civitatum nervi, leges, disciplina, judicia, boni mores. Hæc vocat Gorgias ψυχὴν πόλεως, multitudinem vero, opes, & copias sine politia corpus sine anima. Nec dubito omnes prudentes ubique gentium assentiri huic dicto Gorgiæ. Sed nondum est absoluta civitas, nisi aliud majus bonum accedat, videlicet, Ecclesia bene constituta, & Schola ubi juventuti cum cæteris bonis artibus doctrina relligionis diligenter tradatur. Hoc est summum decus civitatum. Nam propter hunc finem præcipue ad societatem sunt conditi homines, ut alii alios de relligione & de bonis rebus doceant. Sed pauci moderatores reipub. in hoc tertio genere juvando atque ornando elaborant, multi etiam delere conantur. Alii nihil ad rem pertinere putant. At bonos intelligere decet politiam, etiamsi est

anima, ut ait Gorgias, tamen tantum esse δορυφορικὸν, ut Plato animam sentientem nominat, Ecclesiam vero esse præstantiorem animam, Seu ἡγεμονικὸν civilis societatis ac cœtus. Nec aliud majus Dei beneficium est in terris, quam imperia aut civitates hoc modo constitutas esse, ut & δορυφορικὸν illud genus sit in officio & Ecclesia, ac studia floreant. Jure igitur Deo agamus gratias, sicubi contigit talem esse civitatem, vel mediocriter his ornatam bonis. Equidem amo genium urbis vestræ *Hamburgæ*, apparet enim bonis auspiciis conditam esse, habetque conditorem *Carolum Magnum* principem fœlicem. Abundat vitæ commodis, floret non modo robore civium sed etiam ingeniis, bene constituta est legibus, disciplina, judiciis. Hæc sunt non exigua decora, sed tamen illud est amplius ac splendidius, quod Ecclesiam habet recte constitutam, quod doctrinam relligionis & literarum colit & provehit. Itaque senatus vester merito laudandus est, qui hoc decus magna virtute tuetur, qui & Ecclesiis & Scholis præficit idoneos gubernatores, qui quidem magnum hujus rei fructum capit. Nam quod his turbulentis temporibus nulla urbs in isto littore tranquillior fuit, quod singularis est civium modestia, quod multos habet jam cives, eximia eruditione & modestia præditos in Repub. Hæc commoda magna ex parte debentur Ecclesiæ & Scholæ. Non exigua laus hæc quoque est, quod

quod cives ipſi amant ſtudia literarum, quare nulla eſt frequentior Schola in iſto littore, qua in re gaudeo vos veterem poſſeſſionem hujus laudis retinere. Nam & ante hanc ætatem aliquot doctos viros ea urbs habuit, *Albertum Crantz* & quosdam alios, Et bonam ſpem de ſe præbent plurimi adoleſcentes, optime jam inſtituti partim à *Theophilo*, * partim à *Matthæo Delio*, & horum collegis, quorum utriusque ſingularis eſt ingenii dexteritas. Cum igitur tot tamque veris bonis civitatem veſtram ornatam eſſe ſciam, non poſſum non favere ejus laudibus quas deſcripſiſti, tibi vero gratulor quod in civitate optime morata, & quæ gignit fœlicia ingenia partem publici muneris, in docendo ſuſtines. Etſi autem indocti non intelligunt, quantum in hac functione ſit dignitatis, tamen judicio prudentum, & Senatus veſtri, animum confirmabis ac primum cogitabis, eos qui vitam & ſtudia referunt non ad uſum communem, ſed ad voluptates perfruendas aut quærendas opes, tantum eſſe inutilia terræ onera, ut Homerica figura utar. Deinde ſtatues etiam longius melius ac divinius munus eſſe, propagare relligionis & bonarum artium

* Ad hunc Theophilum de quo Frederus infra v. 967. ſeq. exſtat Melanchthonis Epiſt. 569. lib. 2. quæ in Autographo inſcribitur: *Doctiſſimo & optimo Viro Theophilo, Gymnaſiarchæ Scholæ Hamburgenſis, amico ſuo.* Vide Manlii locos Communes Melanchthonis p. 402.

doctrinam, de rebus maximis docere homines, veras, moderatas atque utiles opiniones animis teneris instillare, & recte formare eorum judicia, quam tueri partem aliquam illius alterius generis δορυφορικὴν quod plerique rerum publicarum gubernatores solum intelligunt & magnifaciunt. Hæc lecto carmine tuo duxi ad te scribenda esse, ut favere me urbis vestræ laudibus testarer, quæ eò à nobis maxime amanda est, quod cum copiis, legibus, & disciplina par sit florentissimis civitatibus, tamen plerisque antecellit studio provehendarum literarum.

Bene Vale.

JUSTUS

JUSTUS JONAS
JOANNI FREDERO,
S. D.

CIcero ubique fere, laudibus in cœlum tollit Homerum Poetam, præcipue hoc celebrans, in illo Poetices & omnis Eruditionis principe, quod in describendis exercitibus, Classibus, minimis, maximis rebus, non solum eleganter pinxerit, sed & ita mirifice expressérit atque expinxerit omnia, ut lectores, non præterita aut absentia, legendo cognoscere, sed & rebus præsentibus, quasi iam gerantur interesse sibi videantur. Hac virtutem, cum tu in poemate imitari conatus sis, non raro versibus tuis efficis tamen, ut videar mihi cum tot, eximiis & eruditis viris, Doctoribus vestræ Ecclesiæ, Consularibus patriciis quos describis, in porticibus illis amplissimis (urbis omnis rebus bonis florentissimæ) aut medio isthic deambulare foro, & de relligione de repub. de Eruditione, literis & studiis illis nostris familiariter colloqui. Atque utinam, tam facile præsens isthic tecum & reliquis amicis, humanissimis & eruditissimis esse possem, quam me sæpe poema illud tuum, mentecogitationeq; isthuc transuehit, profecto meditata oratione te hortarer, ut studiis his honestis-

simis & ingenio tuo excolendo sic ut facis incumberes, ipsos vero, ut agere subinde magis tot præclara & domestica sua ornamenta pergerent, tuasque effusas laudes cum amore erga literas & studia, tum & diligentia recte constituendæ & conservandæ Ecclesiæ, ita vincere contenderent, ut *Hamburgam*, non solum *Corinthum* aliquam opulentam, in qua nescio quid verecunde aut etiam libere satis requirit Paulus, sed & *Thessalonicam*, quam præ aliis Ecclesiis, Apostolus & vir tantus cumulatis etiam laudibus ornat, agnoscere possimus. Hæc breviter ad te scribenda duxi, ut me Reip. Hamburgensis laudibus & tuo ingenio fauere dubitares nihil.

Vale in Domino, 2. post Martini Anno 1537.

LUDOLPHUS PRIGGIUS.

Quisque fauet justo patriæ telluris honori
Illius & laudes judicat esse suas,
Hamburgæ sic me delectat gloria nostræ,
Hanc mihi quæ lucem prima videre dedit;
Non opibus tantum germani littoris urbes
Verum etiam studiis ante it illa bonis.

AD

AD

D. JUSTUM JONAM,

JOANNIS FREDERI,

Pomerani, in laudem Clariſſimæ urbis

HAMBURGÆ,

Carmen.

QUi ſtatus & rerum quæ ſit fortuna mearum
Lubrica reſpiciat quo me Rhamnuſia vultu,
Quique Hamburgiacæ delecter moribus urbis,
Scire cupis (quæ prompta tua eſt nec ficta voluntas
Effuſeque fauens in nos propenſio mentis
Perpetuo noſtri ſtudioſæ & ſemper agentis
Sollicito patriam de nobis pectore curam
Tale nihil meritis) o vir clariſſime, ſacri
Ordinis immortalis honos, doctiſſime Jona
Affinisq; loco mihi ſemper amande parentis.
Gratia cui linguæ cui vis eſt tanta diſertæ,
Vincat ut eloquii grandem ſplendore Periclem
Cujus ab ore fluit ſapiens oratio, ſicut
Labitur æthereis reſolutus nubibus imber.
Ergo meam mitto, memoret quæ cuncta Thaliam,
Quamvis tam doctos oculos vix illa videre

Digna ſit, emineat cum nullo culta nitore,
Cumque illi nullos Cypris minus æqua lepores,
Non decus aſpiret non ullos afflet honores.
Cum nec eam blandæ commendet gratia formæ,
Languida vixque tegat lacera ſua membra lacerna,
Sed quum perpetuo tua janua ſancta pateſcat
Omnibus, haud ficto qui te venerantur amore,
Sanctaque cum toties tua tecta ſubintret agreſtis
Ruſticus, horrenti vultu ſquallensque feroxque,
Rara tui ſtudii perturbans ocia ſancti.
Dum vel conqueritur pugnis ſibi fortibus eſſe
Pulſatos humeros plenæ inter pocula cœnæ,
Seque emuncturum ſperat te vindice nummos.
Incipit aut litem ſtolidæ de pelle Capellæ
Cumque ſit ex doctis te vix humanior alter.
Non ulli cum ſis affabilitate ſecundus,
Iungat & affinis cum nos cognatio, dextri
Numinis auſpicio contracta & ſydero fauſto,
Hinc inſpem venio, noſtræ quod & oſtia Muſæ
Sis reſeraturus tua, ne deſpecta vagetur,
Errans alterius ne quærat & hoſpitis ædes.
Fallor an ingreſſam non dedignatus, amico
Excipis hoſpitio, vultuque & mente benigna

40.

Pro ſolita appellas affabilitate, jubesque
Ut tibi cuncta, licet non compto carmine, narret,
Hoc ſcio, perſuaſæ nec me ſententia mentis
Fallit, & expectas dudum tibi cuncta referri.
Auricomis fulgens radiis Hyperione natus
Cornigeri Tauri currus per ſigna vehebat,
Nos Hamburgiacæ cum fauſto ſydere terræ
Ingreſſi claras primum conſpeximus oras.
Ut fuit huc ventum ſubito monſtramur in ædes
Civis Joannis, cui ſunt cognomina Scarpo,
Digni Pierides quem celſa in ſydera tollant
Pro meritis, tanto fovet & veneratur amore
Doctos, doctrina non parva excultus & ipſe,
Hujus ubi chara cum conjuge tecta ſubiſſem,
(Tecta opere egregio, multoque ornata paratu)
Mox vir honorati præſignis & ordinis ultro
Multus, honorifice nos perblandeque ſalutans
Excipit, adventum gratans, & fauſta precatur,
Officiumque ſuum nobis operamq; fidemq;
Et ſtudium ſummum non ficto pectore defert.
Multi miſerunt Carcheſia maxima vini,
Vini, quod potuit poclis certare Falernis,
Et quod Aminæas & quod Mareotidas uvas
Vincere, vel quondam quas ſevit pendula vites

Setia,

Setia, quasque Thasos quas & Minoia quondam
Creta viris centum claras habitata per urbes,
Cæcuba quod potuit, potuit quod Massica præ se
Temnere, quæque propinastis validissima quondam
Vel Veji, vel quæ puriſſima pocula fundi
Lesbia nec cum quo, cui nec gazetica vina
Nec Methymnææ dulcis vindemia cellæ,
Nec Surrentini calices contendere possent.
Quin etiam invitant nos ad convivia multi,
Erga nos animum quo testarentur amicum,
Pectora & eximio nobis propensa favore.
Primus *Joannes Garzon* convivia fecit,
In terris vivit quo non humanior alter.
Post hunc & *Vitus Scarpus* vir maximus omni
Virtutum, decoris, doctrinæ, & laudis honore.
Hinc etiam officiis sibi nos astringit iisdem
Magnifica *Hermannus Rouerus* prandia adornans
Hic à secretis, vir prudentissimus, urbi
Est nostræ, ingenii præcellens viribus ampli,
Omnis virtutis cumulata laude refulgens.
Huic studiosorum rebus sunt nata juvandis
Pectora, nam doctos citius non provehit alter.
Hinc est perpetuo celebrari dignus honore,

Dignus

Dignus & æterna qui posteritate colatur.
Hinc & *Joannes Pape*, vir comisque bonusq;
Humanus, facilis, cuivis accommodus horæ,
Pectora qui gestat nive candiora, nec ulla est
In toto fellis mordacis corpore mica.
Inde *Joachimus Moller* convivia struxit
Qui nunc est judex hujus sanctissimus urbis,
Consiliis est utilibus non futilis Autor,
Dives & est illi facundæ copia linguæ,
Munera fortunis nec desunt larga benignæ.
Mox & *Nicolaus Rodeborgius* omnibus auctus
Fortunæ donis, opibusque beatus opimis,
Dotibus ast animi virtutis & auctior amplis.
Ingenium siquidem fœlix multa arte polivit
Evoluitque sacri spacioſa volumina juris
Hinc prædives ineſt cultæ ſapientia menti,
Mellitæque fluit prudens oratio linguæ,
Inter & ut cives est rarus doctior alter,
Si doctis non est civis propensior alter
Hos fouet, ornat, amat, veneratur, honorat & auget,
Magnifica hinc dignus tolli super æthera laude,
Atque alii plures quos sit mora longa referre
Splendida tunc nostra faciunt convivia causa.
Hic ego per Phœbum, Charites, sanctamque catervam
Pieridum juro, me non humanius unquam
Nec vel splendidius vel munificentius esse

Tracta-

Tractatum, Dii qui ſtrepitus quam ſplendida pompa
Quales deliciæ quam magnificusque paratus.
Dii quæ lauticiæ, dii quam regalis & ingens
Luxus, quam ponunt genialia fercula more
Attalico, quibus haud dicas contendere poſſe
Illecebroſa etiam Saliaris prandia menſæ,
Vix ego crediderim tam largo prandia ſumptu
Ulla Syracuſas ſtruxiſſe Arethuſides unquam,
Fercula vel Sybarim tam luxurioſa paraſſe.
Vix ego pontificum menſas geſtare putarim
Tam lautos miſſus tanto ſplendore ſuperbos,
Æmonius poſuit nec ducta conjuge Peleus
Quondam inuitatis tam ſplendida fercula Divis.
Ad vaſtum oceanum tam non operoſa fuere
Una cœnantum omnia magna Deorum.
Cognita nulla mihi gens eſt humanior unquam*
Non comis magis, & non officioſior ulla,
Nec mihi credibile eſt toto quod vivat in orbe,
Iſtis quæ noſtros homines virtutibus æquet,
Non mea Muſa poteſt ſatis explicuiſſe, dolore
Quam mihi fletifero, quam ſit mihi pectus amaro (annos
Mœrens confectum, cum tu mihi culta tot
Rellinquenda fores, o *Wittemberga*, virorum
Doctorum fœcunda parens, fœcunda piorum, O

* *Humanitas & Comitas Hamburgenſium civium.*

O quoties o quam largis salsisque rigatos
Imbribus udarum lachrymarum ad mœnia vultus
Care reliquendæ tristes conjecimus urbis,
Ah quoties imo suspirans pectore dixi
O vos felices, vos terque quaterque beatos,
Qui nunc hanc colitis veræ pietatis alumnam,
Et loca sancta viris hæc florentissima summis,
Quorum vix similes habet hic vastissimus orbis,
Qua vel in occasum vel se protendit in ortum,
Quaque vel ad Boream, gelidum vel spectat ad austrum.
Non minus indomito languebant plena dolore,
Nec mihi erant vario minus anxia pectora motu,
Quam tibi Peligni Naso Sulmonis alumne,
In felix inconsulti Præceptor amoris,
Tunc cum te charis jussit discedere Cæsar
Finibus Ausoniæ, Geticas & quærere terras,
Atque Tomitanis vitam traducere in arvis.
Mox tamen Hamburgam cum veniissemus in urbem,
Leniit hos tantos mihi gens humana dolores
Expulit & varias languenti e pectore curas
Atque laborificis vires mœroribus haustas

Resti-

Reſtituit, recreans ſummæ pietatis amicis
Officiis, & me fotum mihi reddidit ipſi.
Attulit hoc etiam mœſto ſolamina cordi,
Blanda, * quod urbs hæc eſt longe clariſſima, & omni
Parte nitet, vario florens & ſplendida cultu
Saxonis ora pares opibus cultuque virisque
Non habet, aut paucas ex tot præſignibus urbes.
Imo etiam quas totus habet Germanicus orbis
Hæc multas clares tantum facile eminet inter,
Exuperat quantum fulgenti lumine ſtellas
Ignicomas pernox reliqua inter ſidera lucens
Aurea cum pleno ſplendeſcit corpore Phœbe.
Quantum villoſus timidas Leo robore damas,
Caucaſeæ & quantum tardos hirtosque Camelos
Prævertit celeri Tigris rapidiſſima curſu.
Nullus ſplendidior nec magnificentior ullus
Structuræ cultus, non ſumptibus auctior ullus
Luminibus (juro) ſe noſtris obtulit unquam.
Arte laboratæ ** præmagnis molibus ædes
Auguſtæ: Celſæ, ingentes, opere atque labore
Magnifico & vario fulgent ſplendentque paratu.
Ignotus credat quæ templa operoſa Deorum,
Culta vel antiquæ putet eſſe palatia Romæ,
Turri-

* *Encomium Urbis Hamburgæ.* ** *Ædificia & ornatus.*

Turrigeris etiam merito quas arcibus æquet.
Nulla lutosa domus datur hic spectanda, sed omne,
Coctilibus surgunt in maxima culmina saxis.
Hic Cerdo, pistor, tornator, linteo, tonsor,
Et victor, lanius, tinctor, lapicida, faberque,
Splendidiora colit, quam vidi sæpius ipse
Tecta senatores multas habitare per urbes.
Visa mihi tam sunt cœnacula splendida nunquam,
Ære Corinthiaco postes auroque refulgent
Et cingunt teretes radiantia stamna columnas.
Nuda superficies radiat laquearibus auro
Vel stamno circumductis, trabibusque suprema
Sic picturatis auro fastigia fulgent.
Parietibus, decora eximiis hic picta videres
Summorum Regum, dignorum & laude virorum
Et decoris veri quodcunque meretur honorem,
Quod juvat exemplo, quodque est memorabile factum.
Tam pulchris & Apellæis blandisque tabellis
Omnia delectant ut possis lumina nusquam
Vertere, nec possis animum saturare tuendo
Conspicienda domo in multa quoque signa refulgent,

Phidiacis manibus quæ jures esse polita,
Ipsum aut Praxitelem credas sculpsisse, vel ipsum
Cui similis vivæ bos ærea ficta, Myronem,
Aut etiam ingenio Polycleti divitis amplo
Esse operosa manus doctæ monumenta putares.
Exornant latera Assyrii pictique Tapetes,
Augustis quales divorum sedibus apti
Luce sacra, nitidæ vel cingi qualibus aulæ
Magnorum sunt consuetæ Regumque Ducumque.
Multa pavimentis domus est & strata Asarotis
Aut tessellatis, variante subinde colore,
Oblectante oculos aliis aliisque figuris.
Vermiculata videns opera atque emblemata, sæpe
Obstupere oculi fixi intentique manebant.
Grandior * & vix est, vix est Vrbs amplior, inter
Illas, quas numerat vastissima Saxonis ora.
Non tamen hic locus, & vacat hic non angulus ullus,
Nec deformata est fædis vastisque ruinis,
Juncta domus domui pulchri serie ordini hæret.
Aggere & est denso, cincta est & turribus altis,
Hospes sæpe novus videt obstupefactus, & & hæret Di

* *Urbis amplitudo.*

Dimetiens oculis operoſæ mœnia molis,
Et conſpecta ſibi jurat tam fortia nunquam.
Sex ſtadia, ut minimum, complectitur ambitus Urbis,
Expanſi gyros muri ſi forte requiris,
Sed licet illa locis amplis ſpacioſa capaxque
Innumeras numeret ſedes vicosque domosq;,
Vix tamen immenſas hominum comprendere turbas
Tanta poteſt, Namque è variis novus advena terris
Multus ſemper adeſt merces portansque vehensque.
Urbem non habitat populus numeroſior ullam
Per tam diffuſam Germani nominis oram.
Mœnia non intra Solymarum lata ſacrarum
Vis hominum tam magna fuit, cum vindice Chriſto
Militis Auſonii manus obſidionibus illas
Cinxiſſet, ſceleris truculenti ut facta piarent,
Quod vitæ autori noſtræ crudelibus auſis
Intulerant diræ fata injuſtiſſima mortis.
Quis memorare queat * commercia maxima largi
Perpetua illa fori, vendente & emente referti
Tam magna turba, murmur ſtrepitumque ciente
Tam magnum, ut nequeas ſatis exaudire, vel alta

* *Commercia civium.*

Quæ tibi verba facit clamans vicinus in aurem.
Non alium quam quem faciunt examina ramo
Frondenti cum dependent glomerata, ſuſurrum.
Si modo tam parvis componere maxima fas eſt.
Portus velivolis pleni ſtant claſſibus omnes,
Quæ magno portant peregrinas pondere merces
E procul hinc poſitæ variis regionibus oræ
Pontivagis vaſtisque ſuis in navibus, amplas
Advectas exponit opes hic Saxo, Batavus,
Holſatus, Cauchus, Dacus, Pomeranus, & Anglus,
Hollandus, Cymber, Danusque, Ulyſippo, Sicamber,
Tartarus, Uſipius, Brabandus, Sarmata, Suedus,
Scandus, Norvegus, Lituanus, Dalmata, Trevir,
Et Gotus, Friſus, Scotus, atq; Boruſſius, Afer,
Bæticus, & Luſitanus, Livonus, Iutus,
Hybernus, Flandrus, Muſcovita, atque Cheruſcus,
Atque alii, quorum leges ob carminis ullus
Nomina vix referet, mora ſit quoque longa referre.
Hinc etiam non eſt florentior altera tantis
Urbs opibus, qua ſe pandit Germanicus orbis
Argenti eſt dives, ſi qua altera, dives & auri.
Aucta fuit tantis non dives Perſia Gazis,

Cræſ

Crœſe opibus nec tu viguiſti Lydie tantis.
Ipſe Mydas nec tam multo Berecynthius auro
Affluxit, quantum noſtræ eſt in mœnib9 urbis.
Divitis accedis ſi quando prandia civis,
Argento hic fulgent cuncta utenſilia puro,
Pollubrum, phialæ, pateræ, carcheſia, diſci,
Et pandæ lances, cava cymbia, pocla ſuperba,
Effigiatæ etiam pateræ, cyathique capaces,
Ventroſi calices, patinæq; immane patentes,
Spumans atque habilis Scyphus, orbiculusque globoſus,
Fulgentes furcæ, catenatæque lagenæ,
Et magno numero cochleare, ſalina, catini.
Denique cuncta micant argento, quæ vel ad uſum,
Ad luxum vel quæ poſſunt pompamve parari.
Non opifex, non Chirurgus, lanius, nec Aliptes,
Non piſtor, tonſor, non pellio, nauta, ſubulcus,
Non olitor, foſſor, piſcator, caupo, bubulcus,
Nec faber, upilio, meſſor, nec villicus ullus
Divitis eſt hujus clara regionis in ora,
Qui non argento oſtentet cochlearia, quæ ſint
Facta mero, convivator cum prandia adornat.
Argenti quicquid, quicquid radiantis & auri
Dalmata, Cithriacum, Chryſasque, Dathusq; Thaſusque,
Quicquid Panchæus, Praſi, Sardinia, Dardæ,
Quicquid & Hiſpani, Capitolia, Laurios,

Quicquid & Argyras habet, & Maieria tellus,
Atque Hypanis quicquid vehit & pactolus & Hermus
Et quicquid Ganges, Tagus, Hebrus, Iberus, Idaſpes
Urbis id omne puto convectum in mœnia noſtræ.
Comparet huic aliquis, clari quas nominis urbes
Ætas priſca tulit, nimiæ quas laudis honore
Eximio vexit, quarum mirata ſuperbas
Eſt vel opes, vel ſtructuras, luxusve domorum,
Exporrecta vel extremi pomœria muri,
Vel bene geſtarum monumenta inſignia rerum
Comparet huic bimaris pulcherrima tecta Corinthi
Comparet ægiſonæ facundam Palladis urbem
Aut amplam Bacchi florentem munere Lesbon,
Comparet egregiis Mitylenen cultibus auctam
Aut Rhodon intonſus ſemper quam Phœbus amavit.
Comparet antiquæ Neptunia mœnia Trojæ
Dum florens ſtabat, Priamique arx alta manebat,
Mœnia ſive voles Carthaginis alta ſuperbæ
Seu bellatricis lateque capacia Spartæ,
Seu centum geminas ad eam componere, ſi ve

Cad

Cadmus Agenorides quas cœpit condere Thebas,
Hamburgum si non præpollet & eminet illis,
Nil tamen aut minimum decoris concesserit ulli.
Quicquid multiplices hæc vita requirit ad usus
Effusa hic largo profundit copia cornu.
Heu sed difficili venit stipe, quicquid & usus
Et vitæ quamvis non lautæ commoda poscunt.
Seu facit hoc hominum permagna frequentia, sive
Nescio queis diis infestis fatisque malignis
(Invidisse urbi quæ commoda tanta putaris)
Accidat, ex omni ne quid sit parte beatum.
Accipe nunc merito possunt quæ mira * videri
Euripus flectit refluas variabilis undas
Inter ut Euboeam & regionem Delphica quondam,
In qua fatidico reddens oracula versu
Augur Phœbus erat, Musæ & Libethrides in qua
Castalii fontis gemmanti rore madentes
Sub bifido carmen Parnasso dulce canebant,
Sic bis & hic æstu (visu mirabile) certo
Albidos unda vagi spumans abit atq; recurrit.
Agmine sex horis pleno pronoque ruentem
Cernis, & ut rapidas latus vehat alveus undas,

* Æstus Albidos.

Poſt horas totidem mirans vada ſicca videbis
Flumine retrogrado iam lapſo in naufraga curſu
Æquora, ſicque vices certo regit aurea lapſu
Cynthia perpetuas, ut aberret navita nunquam.
Hic ſe multifidus mediam quoq; fundit in urbem,
Lenifluo & tractu per mœnia tota vagatur,
Omnes multiplici diffindens tramite vicos,
Nulliusque fere civis non tecta ſalutans.
Omnibus hæc breviter numeris Reſp. floret
Illibata viget populis concordia, * pacis
Sedula cura illis & amor ſtudiumque tuendæ
Hinc ſummo nunc flore vigens accrevit & aucta eſt
Omnibus accumulata bonis opibusq; referta.
Aurea nam regnant ubi gratæ tempora pacis
Cuncta vigent & ibi florentis commoda vitæ
Undique tunc fœlix niveis & alacribus alis
Lætitia exultans geſtit luditque per omnes
Vicos atque domos, celebrantur gaudia ubiq;
Iubila tolluntur toto reſonantia cœlo
Tunc & opes & res, pecoris tunc copia creſcit
Maxima, tunc lætis pinguis grex errat in arvis
Tunc grandæva Pales paſtorum diva vagantum
Omnibus in campis viridantia paſcua ſpargens
Larga

* *Concordia Civium.*

Larga alimenta manu pecori pinguiſſima donat
Tunc Ennea Ceres flauentibus undique ſpicis
Armata, indomitos & duros cogit & urget
Agricolas inſtans tunc luxuriantibus agris
Læta volat celeri ſubvecta per aëra curru
Divite in omniparas genitalia ſemina terras
Effundens ſpargensque manu fœcundaque reddens
Omnia, largitur pleno ſua munera cornu.
Omnia tunc rident, tunc & ſublimia gaudens
Tollit in aſtra caput libertas aurea pulchrum.
Tunc & relligio floret pietasque fidesque.
Sed citius flauæ numerabis meſſis ariſtas,
Omnia quam referam tranquillæ commoda pacis.
Ergo quis noſtros merito non laudis honore
Eximiæ celebret cives? qui bella beatæ
Poſt habuiſſe velint paci Martisque furorem,
Non coluere tamen ſic ocia mollia pacis,
Ut deſint illis *animoſæ in prælia vires,
Claſſica luctiferum ſi poſcunt bellica Martem.
Cum pirata vagus latum crudeliter æquor
Infeſtat, nitidos latro devaſtat & agros
Fortibus hic animis armisq; in prælia ſurgunt,
Victricique manu depellunt finibus hoſtem.
Infeſtis nunquam preſſi jacuere ſub armis

* *Fortitudo Hamburgenſium & felicitas adverſus hoſtes, maxime piratas.*

Nullus opes unquam florentes contudit hostis
Arma illis nunquam frustra sunt mota, nec unquam
Arma, nisi victo, sunt illis, hoste, reducta
His nulli citius reddunt tutissima captis
Æquora piratis. Hic quam pugnacibus armis
Emineant vegetaque manu, quam fortibus acres
Insint pectoribus validoque in corpore vires
Quamque experta manus sit quam sit vivida bello
Quam longe vincant magna virtute potentis
Infractique animi, noverunt Albidos undæ.
Testis & est *Knipfhoff*, *Stortbek* & *Götke Michael*,
Atque alii multi quorum durissima & aspra
Nomina (piratis sic convenientia duris)
Nostra nequit molli recitare in carmine Musa
Qui claros unquam titulos & nomen adepti
Egregiis pelago factis & fortibus ausis
Cunctorum laudes semper fœlicibus armis
Hi nostri æquarunt propria virtute manuque.
Si mihi tantæ essent pangendo in carmine vires
Ut possem, quibus auspiciis, quam fortibus armis
Contuderint omnes signis felicibus hostes
Omnia pro meritis fœcundo dicere versu
Vinceret Andini blandissima carmina vatis

Hoc

Hoc opus, & numero magnum ſuperaret Homerum
Non hæc exigui ſeries contracta libelli,
Non humilis mea virtutes oratio tantas
Concelebrare poteſt, tam Martia facta virorum.
Non etiam arctois hinc ſi ſubductus ab oris
Parnaſſum in bifidum trifidæ juga phocidos alta
Abriperer, ſive hinc Heliconis in ardua ferrer
Culmina lauriferi, ſacras & fontis ad undas
Caſtalii, tamen his factis præconia digna
Nec meritas poſſet laudes mea dicere Muſa.
Sed *qua dicetur ſanctus mihi laude SENATUS?
Et *ſacer ordo patrum*, ex æquo qui legibus urbem
Juſtis prudenti populoſam mente gubernans
Commiſſas populi caute moderatur habenas,
Judicat & trutina nil non expendit in æqua,
Ponderat & juſta ſapienter ſingula lance,
Vim non exercet rabioſam, nullaque facti
Crudelis dirique extant exempla patrati.
Eximiæ eſt & quæ non infima portio laudis,
Ad miſeros dextram promptam largamque juvandos
Semper habet, donisque piis ſuſtentat & auget,
Quos mala fata premunt, & triſtis vexat egeſtas. His

* *Ampliſſ. Senatus.*

His ex principibus quibus urbis publica tantæ eſt
Conſiliis ſanis concredita cura regendæ
Multi etiam exculti doctrina, * Palladis artes
Et ſtudia Aonidum reverenter amantque coluntque
Blandi & eunt mores hinc convenientius illis,
Ingenioque valent exculto dotibus iſtis,
In mediumque illis melius vix conſulit alter.
Eſt etenim nulla qui præditus arte nec uſu,
Non melius reget imperium, non conſulet ille
Rectius, aut inopis curabit commoda plebis,
Quam poterit tetros ægris depellere morbos
Atque hauſtis tabe & fractis nephritide membris
Reddere collapſas, firmato corpore, vires,
Qui prorſus rudis eſt herbarum expersque medendi
Et nullas didicit novitque Machaonis artes.
Aut quam quaſſatam ſubitis timidisque procellis
Is rexiſſe queat navem, clavumque tenere,
Cui tentata feri nunquam vada turbida ponti.
Ergo præclare quidam ſermone diſerto
Et vere dixit, demum florere beatas,
Tunc hominum res, tuncque regi fœliciter urbes, Cum

* *Doctrina & eruditio quorundam Civium.*

Cum commiſſa viris eſſet Reſpublica doctis
Nec quisquam rebus populi plebisque ſaluti
Conſuluiſſe poteſt melius, quam mite beatæ
Cui viget ingenium mentis, cui cultius arte
Doctrina et varia, claroque ſcientiæ honore eſt
Multarum rerum cui cognitione refertum
Pectus & imbutum eſt firma, cui ſuppetit omnes
In caſus animus ſtudiorum inſtructus ab armis,
Hi ſoli ſeſe poterunt cohibere ſecundis
In rebus, frenisque animos vincire feroces,
Ne dementatus riſu flatuque ſereno
Stantis in orbe deæ velamine lumina tectæ,
Elatus nimium ruat in diſcrimina præceps,
Multorumque trahat ſecum miſeramque ruinam,
Gloria præcipua eſt *ſacri* tamen *ordinis* hujus,
Ingenuas quod non artes contemnit & odit,
Nec ſinit abjectas prorſus ſine honore jacere
Paſſim contemptas hoc duro tempore Muſas.
Collapſum veteremque ſcholæ * reparavit honorem
Hactenus & fovit, poſt hac & ſumptibus aucta
Augebit, ſummaque fide & pietate fovebit.
Namque videt recte, quo mentis acumine pollet,
Quæq; eſt prudentum ſapientia ſumma virorum,

* *Schola reſtaurata.*

Quod nihil utilius, quod tam ſit nilque neceſſe,
Quam puerorum animos primo cum lacte tenellos
Mox recte inſtitui ſacris pietatis & artis.
Ergo viros circumſpiciunt quos gratia morum
Comoda ſanctorum, ſtudiū pietatis amorque
Puræ & commendat quos ſancta modeſtia vitæ.
Tresque Magiſterii (quorum doctrina probata)
Inſignes titulo ludi moderantur habenas.
Muſicus eſt quartus, quo carmina doctius alter
Non canit ætatis teneræ ſed & ille regendæ
Artificem poterit profiteri jure, paleſtra
Namq; annos jam bis denos ſe exercet in iſta
Herculeos ſubiens conſtanti mente labores.
Præmia tantorum feret olim digna laborum,
Si modo virtuti debentur præmia veræ
Certe proſperiore frui eſt digniſſimus aura.
Sunt & tres alii fidi aſſiduiq; Synergi,
Omnibus & morum & vitæ pietate probati.
His ſeptem velut in gremium genitricis amicum
Quisque ſuam civis prolem commendat ab annis
Mox primis, una quo ipſo cum lacte tenellis
Inſtillent animis pietatis ſemina caſtæ

Expo-

Expoliantque rudes mentes, formentque colendo.
Ut doceant mores legesq; modumq; loquendi,
Hinc ſurgant olim multa ut cum fruge novales
Ingenii, poſſintq; viros evadere in iſtos,
Utilibus quorum florens Reſpublica ſtare
Conſiliis queat, & quorum ſapientia, ſanctis
Sacrarum aucta novem ſtudiis opibusque ſororum,
Immenſos populos regeſq; ducesq; gubernet.
Maxima noſtri hæc eſt civis ſapientia, ſummo eſt
Dignus & hinc ſemper celebrari laudis honore,
Quod vix ſiſtentes pedibus fariq; potentes
Omnis honeſtatis teneros Elementa puellos
Nativæ & poſita craſſa ſtribiligine linguæ
Romulei eloquii primordia diſcere cogunt.
Sicut enim lata modulari & reddere lingua
Pſittacus humanas voces, avis Indica, nunquã
Diſcit, ni primo fuerit conſuetus in ævo,
Sic niſi mature, niſi conformetur ab annis
Mox teneris puerique animus pectusque tenellum,
Formando in vetulo perdes operam atque laborem.
Sancta & recta hujus teneræ formatio vitæ
Largifluus fons eſt omnis virtutis honeſtæ,
Totius humanæ caput eſt, & ſumma ſalutis,
Hinc ratio pendet totius relliqua vitæ.

Conſpi-

Conſpicis ut foetus nullos, aut gignat acerbos
Arbor,& inſipidos,niſi rite ſit inſita, ni ſit
Culta probe, niſi lunata tibi ſæpe putetur
Sirpicula,largo niſi fonte ſubinde rigetur
Siccus ager nullas poterit producere fruges.
Cernis & ad nullos pernix fidusque moloſſus
Utilis ut tibi ſit venatus,utque caballus
Ad pugnam veniat male promptus & aptus equeſtrem,
Et juga ut armoſus bos vix plauſtralia ducat
Ni multo ſtudio bene conſuefeceris ante.
Sic & homo , niſi mox rudibus fingatur ab annis,
Efferus & vecors & inutilis omnia honeſtæ
Redditur, inſulſus ſtupidusq; , ad munia vitæ.
Dic mihi quod pecus,aut etiam quæ planta, coloni
Uſibus & votis unquam reſpondet avari?
Ejus naturam niſi multa adjuverit acris
Agricolæ indomiti ſolersque induſtria, multo
Ni ſtudio curaque ſuos formaverit apta
Ad quos inſtituit quo ſint&commoda ad uſus.
At corrupta hominis magis id natura requirit,
Ad mala proclivis ſemper quæ vergit ab ipſis
Mox cunis, quæ præcipiti in vitia omnia fertur
Impete, cui Satanas hoſtis tot retia pandit.
Ex tot in hoc mundo variisque animantibus uni
Vis homini rationis ineſt,hæc indita ab ipſo Numine

Numine cœlesti, rerum summoque parente.
Hanc, formetur ut & rite instituatur ad omne
Officium, docilem fingit, studiique capacem,
Maxima pars patrum, sed stulta mente, videtur
Officium veri se pulchre implesse parentis,
Si gignant tantum natum, & tueantur ab illis,
Lædere quæ possunt teneras in corpore vires
Portio cum veræ minima hæc pietatis, & ejus
Officii, patris quod nomina sancta requirunt.
At te quo verum possis jactare parentem,
Tota tibi proles curanda est, tota fovenda.
Non corpus tantum curæ sit, mentis agenda
Est cura, & ratio multo quoq; major habenda.
Præcipua huic hominis debetur primaq; cura
Parti, cum sola hac pecudes rationis egentes
Vincamus, cum sit divinæ portio flammæ.
Hinc homo cum solum dicatur, solaque cum mens
Efficiat, non forma homines, alioqui & imago
Sculptilis, humanæ est prorsus quæ congrua formæ,
Posset homo dici, cum sæpe venustior ipso
Pulchrior & possit viventi corpore fingi.
Quare hic perversus mos & præposterus, agros
Pervigili duroque rudes coluisse labore,
Aut magno sumptu multos aluisse caballos,
Extructasque domos operoso comere cultu,
Sollicitis & ob hæc affligere pectora curis,
Qua vero ratione tibi carissima proles
Cui struis illa & aras, cui cuncta inventa recondis,

Cui venaris opes pelagus terrasq; peragrans,
Ob quem tot sumis duros gravesq; labores)
Instituí possit, pensi nil prorsus habere
Utramvis nimium secure hic stertere in aurem
Heu fatuum & demens nostri hujus temporis ævum,
Heu bardos, cæcos, veræ & rationis egentes
Heu stolidos stupidosque homines, ô sæcula stulta,
An non hic quavis paxilla stultior esset?
Stultior & stulto Morycho stultoque Corebo?
Exornet si quis nitide belleque tiaram
Nec sparsos comat dentato pectine crines,
Nutriat & lendes scabiemque in vertice fædam.
Aut si magnopere curet multumque laboret,
Calceus ut bellus molli sit factus aluta,
Negligat interea squallentes ulcere plantas
Tabifico, vel lethali male vulnere læsas,
Aut agat hoc summo studio, ne vestis ab ulla
Parte queat carpi, sit ut apta, decora, nitensq;,
Sit villosa, sit aut Tyrianthina, sitq; venusta
Serica sit, vel Bajano sit murice tincta,
Et tamen affecto nullam de corpore curam
Prorsus agat, sinat & diro tabescere morbo
Diceret hunc quis non facere absurdissime, & omni
Mentis judicio, sana & ratione carere?
At multo multo faciunt absurdius isti,
Qui prolis tantum mortalia corpora curant,

595.

95. Stertentes & ſecuri de mente colenda,
In qua numinis æterni reſplendet imago,
Æternæ nunquam mortis quæ jura ſubibit.
Miſſus enim æthereis nobis e ſedibus ille
Spiritus, æthereas repetet poſt funera ſedes.
00. Quod ſi igitur natus fuerit tibi, cujus agreſte
Et ſtupidum ingenium torpet, non cultius ullis
Artibus ingenuis, cujus præcordia ſanguis
Frigidus obſedit, qui non virtutis ad artes
Non ad honeſtatem mox conſuefactus ab annis
5. Eſt teneris, cujus mores non lima polivit
Cui languent hebetes in bardo corpore ſenſus,
Cujus luxus iners atque indulgentia mollis
Corrupit mentem viciis tetrisque tenellam
mbuit, affectus qui non cohibere feroces
0. Eſt doctus, non hunc congeſtæ multa juvabunt
Attalicæ nec opes, nec ſi cumulaveris illi
Quod vehit Heſperius Tagus aut quod Lydius Hermus
Quicquid & ora fodit precioſi Pannonis auri
on quicquid Pangæus habet, non aureus illi
Æmathius quicquam prodeſſet Olympus & Oſſa. (ma ferret.
amna ſed hoc aurum nocumentaque maxi-
icium præſens, præſens animæq; venenum,
ternæque eſſet clades miſeranda ſalutis.
ateriam que illi ſceleris viciique nefandi

Suppeditaret & augeret, fons omnis & inde
Nequiciæ & luxus manaret largus & uber.
Sed quo digrederis ? greſſus mea Muſa coherce
Huc quis te rapuit, quis te ardor & impetus egit?
An quod mœſta vides divinas Palladis artes
Et ſacra Pieridum, & veros virtutis honores
Frivola nunc vulgo ludibria facta prophano.
Hic an te dolor errantes monuiſſe coëgit?
Sed tibi narretur metuo ne fabula ſurdis.
Hac ego parte queo noſtros extollere cives,
Quorum tam non eſt ignava tenaxque voluntas,
Tam levis haud animus ſtudiisque inimicus honeſtis,
Quin mox à teneris atque infantilibus annis
Inſtitui tradant charam ſua pignora prolem.
Ad te ſed redeo ſancti *ſacer ordo* SENATUS,
Urbis honor noſtræ, ſanctum pietatis Aſilum
Turba novenarum nunc errabunda ſororum
Ad te confugiens implorat opemq; requirit.
Anchora ſacra tua eſt illis virtusque fidesque
Quod facis, ut ſemper facias, per numina Chriſti,
(Eſt cujus merito magnæ tibi gloria curæ
Gloria cujus & hinc propagaturque vigetque)
Perque tuum obteſtor nomen munusque fidemque,
Perge augere bonas propenſus honoribus artes,

Perge

Perge illas ab ea, qua dura, clade premuntur,
ſ. Aſſeruiſſe manu, ſumma curaque tueri.
An non grande nefas resque indigniſſima, quod nunc
Omnis alipta fere, nullus non cerdo faberq;
Majus nomen habet, nunc, plusque meretur honoris,
Quam qui Palladias artes, ſtudiumq; ſequentes
.Caſtalidum, veris animum virtutib9 ornant
Sis tu confugium, ſis præſidiumque ſalusque,
Quo potes & patrias Muſis extorribus oras
Redde pio officio, veri decorisque nitorem
Hoſpicio nolis miſeras excludere comi,
.Excipe tu profugas omni ſine honore Camænas
Omnibus errantes terris, pannisque ſituque
Obductas, inopes, multo ſqualore rigentes.
e tibi commendant penitus, fideique probatæ,
utelæque tuæ, tua ſupplicibusque piisque
Auxilia expoſcunt miſeræ præſentia votis.
u miſeras ſerva, cura, tege, provehe, & orna,
aſuto & ſtolido ne ſint opprobria vulgo.
eſter honos, veſtrumq; decus, totius & urbis
ic agitur veſtræ ſumma utilitasq; ſalusque
Maxima percipient hinc veſtri commoda cives,
nc æterna manet veræ vos gloria laudis,
ſtra hinc perpetuos virtus florebit in annos,
ſtra hinc fama domum Phœbi replebit utranque,

Hæc monumenta & erunt magis ære perennia duro.
Poſt ſeriem annorum multorum poſthuma longam
Poſteritas, tantum ob benefactum grata memorque
Vos pleno tollet divinis laudibus ore.
Egregium decus, & veræ virtutis honores
Nulla poteſt unquam carioſa abolere vetuſtas.
Salve perpetuo, ſancti ſacer ordo Senatus
Conſcriptiq; Patres, urbis pia cura, decusque,
Salve & principibus non uno nomine fœlix
Talibus ac tantis, urbs ô clariſſima, ſalve
His patriæ patribus, tantis ducibusque beata,
Multa tibi donet tranquillæ tempora pacis
Ille ſalutiferæ pacis Deus, ille ſalutis
Autor perpetuæ, fons verorum ille bonorum.
Nominibus multis fœlix multisque beata
Urbs tamen hoc uno mihi fœliciſſima dici
Nomine cumprimis poſſe & debere videtur,
Eſt quod doctorum tam nunc fœcunda virorum,
Qui vel ſacra docent divini oracula verbi
Pectore concordi, ſumma pietate fideque,
Vel qui Pœonia præſtantes arte medentur,
Vel quorum prodeſt urbi ſapientia toti,
E quibus hic paucos geſtit memorare Thalia,
Plectra diſerti oris quam vis majora merentur.
Eſt hic *Æpinus* * (veriſſima nomina ſervans
Ex

* *D. Johannes Æpinus, Superattendens.*

Ex ipſis illi bene convenientia rebus)
ſ. Ingenio celſo pollens, & pectore celſo,
Et celſo præſtans excelſæ robore mentis
Præſul hic eſt urbis, decus eſt & gloria noſtræ,
Relligionis apex, caput, arx, & prima columna,
Eximium hic opus eſt & rarum temporis hujus
o. Divinum in terris animum gerit altaque geſtat
Pectora, quæ dicas cœlis ſublimibus orta.
Aſſerit infracto ſua Chriſto pectore regna,
Regna Bahalitici conturbans frivola Papæ,
Non Hamburgiacam credo quod rexerit oram
. Innumerabilibus præſul tam dignus ab annis,
Qui tam miranda fuerit pietate verendus,
nſtructus tanta qui cognitione ſacrarum
olleret rerum, qui tam præſtansq; ſagaxque
Celſæ & divinæ fuerit prudentia mentis,
. Cujus conſiliis tam pectora plena ſcaterent,
Cui ſermonis inexhauſto ſit copia fonte
ives manarit mentes rapientis in aſtra
acundo currunt torrentia flumina ab ore,
ualia grandiloquus profudit Livius olim
Undanti & dulci manantia flumina lacte,
t ruit excelſo præceps ex æthere nimbus,
opia ſic linguæ manat prælarga diſertæ
lvifici populo ſacra cum myſteria verbi
xplicat, ora in ſe ſic omnia vertit, & aufert

Attentæ plebis violento pectora motu
Et rapit extra ſe, movet, afficit, attrahit, urget.
Vix habuit pectus tam prudens, tamq; diſertæ
Eloquium ſapiens linguæ Nileius Heros,
Illius in labris dicas ſuadæ eſſe medullam.
Hujus virtutes mea ſi memorare Thalia
Tentaret, poſſit merito inſanire videri,
Quas tamen ex meritis ſi tam perſcribere poſſem,
Quam video quam ſuſpicio mirorq; coloq;,
Pagina multorum mihi creſceret ampla dierum.
Inferior laus omnis in hoc quam mille vel hauſtis
Fontibus Aonidum poſſunt profundere vates.
Hic mihi nunc Jonas, hic nunc pater alter & ipſo
Plus patre, ſtat ſemper mihi, ſtat ſociæque jugali
Janua paſſa meæ illius, præſentius alter
Non fert auxilium, non conſilioque juvare
Utiliore poteſt, non eſt propenſior alter.
Eſt hic & *Stephanus Kempo*, * fulcrum atque columna
Relligionis in his qui mœnibus altera ſacræ eſt
Hamburgi patriæ laus, gloria, fama ſalusque
Vera per hunc ſiquidem primum illuceſſere Chriſti
Gloria cœpit in hoc populo, myſteria primus
Salvificæ fidei, quæ tot jacuere per annos Sordi-

* *Stephanus Kemp. Paſtor Templi Diva Catharina.*

Sordibus & tenebris, multo ſqualore ſituque
Obruta, conſtante eſt profiteri fortiter auſus
Pectore, & infracta, qua cœpit mente tuetur
Summis purgatur curis huic area Chriſti
Impigro multos ſtudio jam culta per annos.
Huic quoque rara queunt conferri exempla priorum
Eſt gravis in vultu majeſtas, ſed tamen omni
Illa ſupercilii caret aſperitate ſuperbi,
Arguto tantum præcellit acumine mentis
In ſtudiisque Scholæ quæ turba diſerta Sophorum
Tracta vit quondam, ſic pollet, jure paleſtra
Non ut in hac quicquam prorſus conceſſerit ulli
Sive voles veteri, ſeu tu conferre recenti
Tam cautus, prudens, tam circumſpectus acute
Diſſeruiſſe poteſt qua de re cumque libebit,
Non ſubterfugiunt illum ſub imagine falſa
ub ſpecie veri fallentia verba, doloſi
Pellacisque hoſtis fraudes, reſerare latentes
Nemo dolos citius verborum, ſolvere nemo
mplicitos poterit nodos felicius illo.
dmirareris divina oracla loquentem
am facilis patriæ fluit illi gratia linguæ.
Eſt & *Joannes Garzen*, * qui maxima Divo
ic quæ templa Petro ſunt conſecrata, gubernat,
ommiſſumq; gregem ſumma pietate fideq;

* *M. Johannes Gartz, Paſtor Templi D. Petri.*

Pascit salvifico divini gramine verbi
Vere est per numeros hic talis Episcop9omnes
Qualem tu pingis qualem tu Paule requiris
Maxime nos miseros servantis Apostole Christi
Nullam illi merito possis impingere culpam
Non præfracta riget, non est mens dura feroxque,
Quæq; sui sensus nimium sit amansq; tenaxq;
Non inhiat multo mens insatiabilis auro
Non gravis assiduo deperdit corpora luxu,
Pompinea Ismarii consectans pocula Bacchi,
Nullus eum luxus trahit, & non cæca libido,
Frugalis vita est, vita est abstemia semper,
Ingluviem ventris fœdam fugit horret & odit,
Præcipitem vanus non aufert ambitus illum,
Improbus est lingua non objurgator acerba,
Non turpi illius sunt dedita pectora lucro,
Sustinet hospicio nullum excluisse benigno,
Servat & in casto divinum pectore numen,
Cunctarum rerum studiosus amansque bonarum,
Compositus, bene moratus, justusq; piusque
Aptus & appositus recteq; pieq; docendum
Ad populum, Latiam nam doctus & Attida linguam
Artibus & multis & cognitione polivit
Multiplici & certa variarum pectora rerum.
Est & *Joannes* * divini buccina verbi,

Et

* *Johannes Fritz, Pastor Templi S. Jacobi.*

Et tuba vocalis *Fritzus*, constantius alter
Christidos haud fidei mysteria sancta tuetur,
Tam parrhisia multa, tam pectore forti,
Tam feruente docet divina oracula zelo
Libertate quidem magna defenditur illi
Desvetum nomen fidei & tua gloria Christe
Acer & in viciis carpendis censor (ut omni
Tempora jam vicio & scelere omni imbuta requirunt)
Sed tamen est placidæ non pacis amantior alter,
Seditione magis non alter abhorret ab omni,
In vultu (mentis quo non est certior index)
Elucet pietas animi verissima sancti.
Estq; *Ioachimus Francus*,* syncerius alter
Non docet hoc populum, flagrans pietatis amator,
Est bonus, est sanctus, vigilans, pius, integer, insons,
Cujus nec possit mores reprendere Momus,
Est illibatæ tam sancta modestia vitæ,
Pollet & egregia doctrinæ laude, latinum
Eloquium præter, linguam sic Hellada callet,
Excultum ut credas facunda in Cecropis urbe,
Sic tenet Hebreæ spacioſa volumina linguæ,
Usus qua Moses fuit & Judæus Apella,
Ut vel eum multis possis componere Rabbi.
Artis Apollineæ non infima fama decusq;
Est hic & *Vitus Scarpus*, ** vir dotibus amplis

Ex

* *M. Joachimus Franck, Pastor Templi S. Nicolai.*
** *D. Vitus Scarp.*

Ex æquo ingenii, fortunæ, & corporis auctus
Si quis, hic eſt certe divorum cura faventum
Maxima, tam variis donis cumulatus abundat,
Hic ſpecimen, decus hic rarum virtutis honeſtæ
In multis ſolas quas mirarere ſtupeſcens
Omnes unus habet virtutes, omnibus unus
Dotibus eſt mentis florens divesque benignis,
Pectus ineſt illi genio fœlice beatum
Mens & amica viget ſummo digniſſima cœlo,
Sunt mores faciles aptiq; ad tempora quævis
Exacti ad quodvis momentū habiles & honeſti
Sit nimium trux, ſitque feris e cautibus ortus,
Aut ſit truncus iners, aut ſit Marpeſia cautes,
Hunc qui non ſummo colat & veneretur amore.
Dignus hic eſt, cujus tollant ſuper æthera nomen
Omnes quotquot habent Phœbeum in pectore numen
Caſtalii quotquot ſacros hauſere liquores.
Ille pererratis multorum finibus, omnes
Et didicit mores, ſacras & Apollinis artes,
Vidit Veronæ docto victura Catullo
Mœnia, quæ rapidis Atheſis perlabitur undis,
Vidit & antiquā celebremq; Bianoris urbem,
Conditor ex matris fecit cui nomina Manto
Carmen ubi calamo ſæpe eſt meditatus agreſti
Tityrus umbroſæ recubans ſub tegmine fagi.

Vidit

Vidit & Euganeis Phrygius quæ condere in oris
Antenor profugus celsissima mœnia cœpit,
Medoacus tumidis quæ corniger alluit undis
Urbem vidit eam, quæ dicta est Felsina priscis,
Nomine mutato nunc dicta Bononia, Boii
Quod fecere illi cum bellipotentibus armis,
Et vegetæ indomita dextræ virtute domassent
Maxima vidit & hic Venetorum tecta penatum
Vidit Martigenæ præclara palatia Romæ,
Oenotriis breviter tellus Saturnia in oris
Quas habet, hic omnes peragravit sedulus urbes,
Hinc & virtutis certissima præmia veræ
Eximiæque tulit, veræque insignia laudis
Doctoris titulum meritum, insignemque tiaram,
Dignus perpetui cui decernantur honores
Quasque habet excelsas Princeps modo Gallicus urbes,
Quicquid & est clarum toto, lustravit in orbe,
Omnia sollicite sæcli præclara vetusti
Hic indagavit monumenta, & detulit inde
Mirificum quicquid, latuit memorabile quicquid,
Tam varias gentes, tam multas impiger urbes
Veræ virtutis nimio peragravit amore
Sumptibus haud parvis, gravibus multisque periclis

Naturæ

Naturæ omniparæ vires didicitque tenetque
Omnes cunctarum rerum cauſſasq; latentes,
Sumptibus immenſis hic Pharmacopolion urbe
Inſtruit in noſtra, quo vix reperitur in ora
Teutonica omnigenis rebus locupletius ullum.
Dexteritas noſtræ non eſt in carmine muſæ
Tanta, ſatis digno queat hunc ut dicere verſu,
Laudibus effuſis celebrari dignus, & omni
Poſteritate coli, dignus largiſſima de quo
Certatim fundant omnes præconia muſæ
Unus enim ex paucis illas ſine honore jacentes
Excipit, & ſumma pietate fovetque colitque
Mecœnas non eſt ſtudiorum verior alter
Divus ut Auguſtus, doctis ſic portus & aura,
Perfugium, præſens eſt ſubſidiumq; ſalusq;
Hinc & erat dignus cantari carmine tali,
Pierides docto dictabant quale Maroni,
Et centum Pylios longævos vincere dignus
Annis, ſed ſemper vernanti flore manente
Incolumis vitæ, conſtante & robore mentis.

Eſt hic & *Michael Olkavius*,* arte medendi
Nobilis egregia, clarumq; Machaona vincens
Tam fœlice manu, tanta curaq; fideq;
Pharmaca confectis morbo auxiliaria miſcens
Ut fuget & tollat morbos fœliciter omnes,
Tollere

* *D. Michael Olkau, Phyſicus.*

Tollere quos potuit Medicorum provida cura.
Hic multis crudelis adeſt in limine lethi,
Atq; avida diræ de mortis fauce revellit
Nuper ob id prudens illum ſancti ordo Senatus
Conductum accerſit, cui tuto poſſe videbat
Corpora committi tetris languentia morbis.

Chaſparus * eſt etiam, nomen *ſcintilla* paternum
Cui facit, & titulo & canente ætate verendus
Clarus pœoniam quæſita laude per artem
Vincens Phylliriden, vincens Amythaone natum
Mille homines tetri narent in puppe Charontis,
Lucem permulti periiſſent ante ſupremam,
Hic niſi crudeli deperdita corpora morbo
Expertæ dextræ mox dexteritate levaſſet.
Eſt & *Jacobus Rennſpergius*, ** arte vel ipſum
Pæona qui vincit medica, Podalirius ipſe
Cui non invitus laudis concedat honorem,
Hic vere eſt Medicus Muſis & Apolline dignus
Inferior nulli recta ratione medendi,
Aſſiduus Phœbi myſtes ſanctusq; ſacerdos
Illius plenum Cyrrhæo numine pectus,
Non citius quisquam, ſtudio aut majore fideve
Liberat hoc; tetris tabentia corpora morbis
Idem

* *D. Caſpar Funck.*
** *D. Jacobus Rennerſperck.*

Idem Grajugenæ linguæ tam doctus, Athenis
Verſatum multos ut eum juraveris annos.
Nec mihi *Johannes* es tu *Riſperge* * tacendus,
Hic eſt ingenio plusquam florente beatus,
Indolis & celſæ juvenis & pectoris alti.
Hunc à ſecretis tam præclaræ eſſet ut urbi,
Prudentis dignum duxit ſacer ordo Senatus
Hic niſi me, nec me fallunt præſagia mentis,
Ardua conſcendet meriti faſtigia honoris,
Hic erit & patriæ,(jamq; eſt)laus,gloria,fama
Magna ſalusque ſuæ, tantis virtutibus auctus
Tam pectus prudens eſt conſiliisque ſenile,
Sit quamvis ætas primævæ in flore juventæ.
Eſt & in eximiis miranda modeſtia donis,
Qua ſibi mirificum cujusvis conflat amorem
Talem fecerunt divinæ Palladis artes,
Caſtaliiq; chori præſes,ſanctæq; ſorores.
Nam juga Parnaſſi conſcendit amœna virentis,
Pegaſei & fontis ſacros dulcesque liquores
Ore bibens avido plena ſe proluit unda.
Hinc facili manat ditiſſima carmine vena
Tam prædulce canens docto modulamine carmen,
Ut Peligniacam credas reſonare Camœnam.
Mirantur juvenem Charites, miratur & ipſe
Ordinis Aonii pater, Aonideſque puellæ
Ipſaque miratur laudans Tritonia Pallas
Ipſæ etiam Nymphæ facie cultuq; nitentes,
Et Diana choros greſſu pharetrata decenti

Ad

* *M. Johannes Risbergius Secretarius.*

d numerum lætos per prata virentia ducit,
ulchrarum Dryadum tota comitante caterva,
ic juvenis facili & docta cum tangere dextra
Plectra Chelis cœpit blanda & festiva sonoræ,
littite nunc calathis fragrantia lilia plenis
astalides, Vati summus gratetur Apollo.
Et nostro est dici *Matthæus* * carmine dignus,
tidici cui sunt aptissima nomina Phœbi:
Insula nam nomen facit illi candida Delos,
lius ipse pater vatum, Latonia proles,
ominis ejusdem hunc natum fovet, ornat, amatque,
genium variis ditavit dotibus amplum,
multis mentem castam virtutibus auxit,
rtibus ingenuis & pectora culta polivit,
dicii magna vix dexteritate subacti,
x acri cuiquam concedit acumine mentis,
cratico manat prudens oratio fonte,
orida, compta, nitens, medio ex Helicone petita,
Quicquid habent Fasti, quicquid Chroniciq; libelli,
icquid & in Latiis, & quicquid in Hellados extat
toriis, quotquot clarorum facta virorum,
us id omne tibi servatum mente tenaci

* *M. Matthæus Delius Gymnasiarcha.*

Expediiſſe poteſt,& prompta dicere lingua.
Hic Hamburgiaci nunc ſedulitate fideque
Eximia ludi ſummas moderatur habenas.
Ante hunc *Gotfridus* * quas rexerat *Hermelateus*
Inachiam doctus linguam, bene doctus Hebræam,
Vir bonus, & multi terſi ſalſique leporis,
Atq; jocis plenus,ſed felle carentibus,illum
Namq; Tibulleos docuit Cytheræa lepores.
Hic jam debilibus delaſſus ubi eſſet ab annis,
Atque indefeſſo fractus duroque labore,
Viribus haut oneri paribus vaſtoq; gravique,
(Altera nam vix eſt provincia durior illa,
Plena moleſtorum tam non eſt ulla laborum)
Munificus rude ſic dignum meritumque Senatus
Illum donavit,ſed & illi digna laboris
Præmia ſudati reddens, donavit in annos
Vivendæ haud quaquam temnenda ſalaria vitæ.
Queis ſatis ex meritis hæc munificentia debet
Laudibus in cœlum tolli prælarga Senatus?
Hujus virtutis præclara laude vehendæ,
Si poſſunt exempla dari, rariſſima poſſunt,
Tam clarum & præſtans non ullo tempore factum
Occubuiſſe poteſt,nullum interiiſſe per ævum,
Hinc honor, hinc veræ continget gloria laudis,

Hinc

* *Gotfridus Hermelates Theophilus.*

inc illi ſeros nomen durabit in annos.
Sunt & multi alii docti, clarique piique,
Quos omnes contracta nequit comprendere charta,
Queis cum nullus adhuc mihi conſuetudinis uſus
nterceſſit, ubi propius cognovero & illos,
Nomina cunctorum referentur carmine noſtro.
Poſt, ſancto imbuerit mea ſi Grynæus Apollo
Theſpiadesque ſuo torpentia pectora flatu.
Hic ego cum vellem ſat longum claudere carmen,
Tædia lecturo tibi ne male grata moverem,
Sacrarum propior lateri ſtans una ſororum
(Illa fuit cultu viridanti compta Thalia)
Juſſit honore etiam dignarer carminis hortos,
Quos habet eximios extra pomœria civis
Horum tanta venus, tam grata & amæna voluptas,
Tam vario irrigui rident blandoque colore,
Luxuriant tam Pæoniis, tam ſuavibus herbis,
Gratia tam magna eſt paſcentum lumina florum,
Ut non miretur, ſi quis conſpexerit, hortos,
Qui tibi, fragrantes viridante & flore rubentes,
Regum Mecænas atavorum celſa propago,
Nec tibi qui pulchri Pompei Magne fuerunt,
Nec quos egregie tu Criſpe Popinio cultos,
Nec quos eximios Nero crudeliſſime habebas,

Legeris aut quos prædives coluiſſe Luculle,
Nec, Canni, inſtructos quos argentarius olim
Ille Syracuſius vafra tibi fraude locavit,
Nec quos Aſſyrio formoſa Semiramis orbe,
Cyreq; mirifica primum quos arte paraſti,
Gargeti nec quos, hortorum dicte Magiſter,
Intra Cecropiæ clariſſima mœnia primus
Urbis ſeviſti multo ſplendore nitentes.
His quoque formoſi collatus Adonidis hortus,
Qui manibus Venus eſſe tuis Amathuſia fertur
Conſitus, & variis gratum ſpirantibus herbis,
Floris & omnigeno cultus vernantis honore,
His collata etiam vel quæ pomaria ſevit
Alcinous, celebrata tuo Colophonis alumne
Mœonide claro & victuro carmine ſemper,
His noſtris collati etiam Phœacia quondam
Eximii, Corcyra quibus præcelluit, horti.
Et quos Heſperides trinæ coluere ſorores,
Quorum cuſtodit Draco dum pulcherrima mala,
Abſtulit Alcidæ lætalia vulnera telo,
Et quos præterea doctorum libera vatum
Pagina commemorans divinis laudibus effert,
Nil ſunt ad noſtros, non hic ſibi præmia laudis
Eximiæ ulla ferent, decoris nullius honorem,
Gratia major humum pingit, nec blandior ullam,
Quæ te delectent, ſenſus mentisq; vigorem
Reſti-

Reſtituant alacrem, quæ te tibi reddere totum,
Quæ poſſint atras animi depellere nubes,
Quæque abigant triſti mordaces pectore curas.
Hi noſtri omnigènis horti ſunt dotibus aucti,
Sint quot at hortorum numero comprendere non eſt,
Nullus & eſt cui non domus hæreat alta, capaci
Quæ quamvis ſpacio non ſit deſcripta, labore
Tam tamen eximio tamque eſt operoſa paratu,
Tam varioq; nitet, tam bello ſplendida cultu,
Sumptibus ut tantis non urbs ſit condita, quam vos
Incolitis, nec me mendacia dicere credes,
Affirmabit idem tibi, nec mea verba refellet,
Quicunque & novit preciuni, numerumque domorum
Vidit, & hortorum nimio ſplendore nitentum.
In domibus facit his convivia plurima civis,
Hic Ver hic fervens illi conſumitur æſtas,
Hic reparat reficitque animos mœrore gravatos,
Anxifera ſolvens ſua ſollicitudine corda,
Omnia turbatæ depellens nubila frontis,
Frugali per crebra etiam convivia ſumptu
Muſica * turba locis ſolet his celebrare viciſſim

* *Muſicum Convivium.*

(Muſica turba, ſed eſt hic plurimus ordinis ampli
Civis, Pegaſidum, Charitum, Phœbique ſacerdos)
Omnis lætitiæ generis convivia ſunt hæc,
Plena animosque voluptatis mulcentis honeſtæ,
Læticiæ inſtrumenta nova & feſtiva beatæ
Quilibet huc portant, hic Muſica gaudia certant,
Hic varia reſonant modulamina ſuavia vocis,
Phœbeæ Aoniæq; Cheles, citharæq; bicornes,
Threiciæq; Lyræ, multarum & fiſtula vocum,
Rauciſona ingenti replentur cornua flatu,
Tibia concentus & multiforatilis edit,
Altiſonæque tubæ clangentia carmina reddunt,
Hic alacres recreant Corybantia Cymbala mentes,
Et nablum claris reficit clangoribus aures,
Barbitos hic habili pulſatur Lesbia plectro,
Atque arguta ſonant tenui pſalteria chorda,
Et ne quid deſit, tumidi quoq; fiſtula ſacci
Imparibus diſtincta ſonis, non reddit agreſte
Sed mixto Carmen concinnum & lene ſurro.
Carmine ſed nequeunt noſtro genera omnia dici,
Multa etiam nomen nondum ſortita latinum.

1080

O ſalve noſtro verſu digniſſima turba
Muſica, ſi vires augere in carmina noſtras
Muſarum præſes Phœbus dignabitur olim.
Nec (ſic Muſa jubet) mihi prætereunda ſilendo
Ante urbis portas quæ ſunt pulcherrima Tempe,
Plena voluptatis, læto mollique venuſta
Gramine, ramoſis patulisq; virentia paſſim
Arboribus, volucrum dulci argutiſſima cantu,
Irrigua & vivæ muſcoſis fontibus undæ,
Temperie blanda placidi gratiſſima veris,
Talia crediderim vix in regione fuiſſe,
Theſſale condentis tua quæ ſibi nomina ſervant,
Quorum Penei pulcherrima fluminis unda,
Lenifluo lambit viridantes agmine ripas,
Talia nec quondam dicas nemoroſa fuiſſe
Teumeſſi claro Cygneia nomina montis,
Nec quæ Trinacria clamoſus Helorus in ora
Alluit, irriguo fœcundans flumine prata,
Non qui Threicios ſeſe diffundit in agros
Celicias vidit tantas Oeagrius Hebrus,
Tam jucunda voluptatis nec tempora vernæ,
Quanta locis ſpumans in noſtris conſpicit Albis,
Cum fugere nives, cum verni tempora cœli
Læta revertuntur, cum formoſiſſimus annus,
Cum blandas herbas protrudunt tempora veris,

Purpurei, latis cum vernant omnia campis,
Cum per prata ſuos ampliſſima germen honores
Explicat, apricisq; Ceres cum regnat in arvis,
Hic ſummo natas Jove tres habitare Sorores,
Hic ego Pieridum turbam nunc credo novenam
Ludere, Lvbethro, Pymplæo, Caſtalioq;
AcHippocrene, Parnaſſo, Helicone, Cythero,
Atq; locis aliis, quibus illis vivere, lætos
Et ductare choros fuit olim dulce, relictis.
Hic gelidi vivo manant e vertice fontes
Obliq; hic paſſim certant decurrere rivi,
Candidulis campi violis pinguntur aprici.
Huc quando ſudi facies lætiſſima cœli
Invitat, nitido cum lætior ore refulgens
Flammivomum toti Phœbus jubar explicat orbi,
Certatim veniunt pueri juvenesq; ſenesq;,
Et ſecum gravidis Bacchum Cereremq; caniſtris
Exportant, molli & proſtrati in gramine larga
Læto agitant victu ſparſim convivia, quercu
Sub viridi, gratas patulis quæ frondibus umbras
Ambicioſa facit, reſidens & Daulias in qua
Dulciſonis avidas mulcet clangoribus aures.
Plurimus huc una blanda cum conjuge conjux,
Huc matrona venit pulcherrima quæque & honeſti
Ordi-

Ordinis, * huc pulchræ veniunt multæque puellæ,
Insigni cultu niveo ornatuq; superbæ,
Vestibus & bona pars redimitæ corpora Cois.
O quos hic habitus, quos est vultusq; videre,
Quantus honos oculis, quantus decor emicat ore,
Quam lucent facies Phœbææ luminis instar,
Phosphorus Eoo qualis procedit ab ortu,
Sic micat in roseo vultus nitidissimus ore,
Quam rosa blanditur grato pestana colore,
Et quæ Pangæo pubescens culmine floret,
Tam blando tam candidulo gratoq; colore
Ora puellarum nostrarum lactea fulgent,
Auro pannonico possunt contendere crines,
Colla Lycaonia nive candidiora videntur,
Lumina sideribus radiosis fulgida certant,
Gratia summa oris, cervicis gratia summa est,
Gratia summa comæ, colli, malæque manusque,
Blanda est in cunctis & maxima gratia membris,
Grata Venus fusco radians e lumine prodit,
Candicat & pudor in plusquam niveo ore venustus,
Alba rosis veluti commiscens lilia rubris.
Has incautus ubi juvenis conspexit, & hæsit
Longius in vultu, mox aurea spicula adaptans

* *Puellæ Hamburgiacæ.*

Insidiosus Amor, Paphiæ dulcissima proles,
Stans ex insidiis sinuosos exerit arcus,
Flammigeroq; ferit non conscia pectora telo,
Mox imis glisscensq; & cœcus in ossibus ignis
Flagrat, & est teneras dulcissima cura medullas,
Occultumq; trahit suspiria plurima vulnus,
Inq; oculis atra versant volitantia nocte,
Conspectæ vultus simulacra adamata puellæ,
Cogitat hanc vigilans, hanc noctu somniat unà,
Membra licet raram capiant infecta quietem,
Inter Saxonides nullas juravero Nymphas
Tam forma eximia, facie insigniq; nitere,
Illas, nec dubitans præferre ego fortiter ausim
Tyndaridi, ob formam quamvis sit rapta, Lacenæ,
Atque etiam Antiopæ, quam Juppiter arsit adulter,
Thessalidi & Nymphæ, frustra tibi Phæbe placenti,
Penelopiq;, proci quam tot petiere procaces,
Et Lædæ, cujus rutilans decor ore coegit
Summum sæpe Jovem Cygnæas sumere plumas,
Ipsis nec dubitem tribus æquiparare Deabus,
Quarum tu factus pastor Priameie judex.
Salvete o bellæ, o blandæ, suavesq; puellæ,
Quis satis ex meritis vos collaudaverit unquã,
Ne quid at erretis, non vos ego fallere tento,

Id

Idalii non me fixere cupidinis arcus,
Non vos depereo, non flagro pectoris æstu
Lascivo, internas accensus amore medullas,
Ambio non ego vos, mihi mens ambire nec unquam,
Est mihi quæ mecum socii sanctissima lecti
Fœdera percussit, non prorsus rustica conjunx,
Est satis illa meis (vivat modo) moribus apta,
Et mihi pulchra satis, satis est mihi & illa venusta,
Hanc ego quo decet affectu complector, amantem
Pectore me solum fido, casteq; colentem,
Verum vestrorum præclara modestia morum,
Atq; illibatæ pulcherrima gratia formæ,
Hæc in vestrarum Musam præconia laudum
Abripuit, neq; enim vos digno laudis honore
Ob tantas dotes fraudandas esse putavit.
Ad te sed redeat, Jona clarissime, Musa,
A te qui cœpit sermo nunc desinat in te,
Egregiæ laudes urbis memorare Thalia
Nostra tibi carptim voluit, verum impetus illam
Æstus & inde alio mentis rapuitq; tulitq;,
Nec potui, paulo cum laxarentur habenæ,
Carceribus cohibere suis septisq; vagantem,
Non tamen ex minima retuli vestigia parte
Summa urbis tantæ, meritæ & præconia laudis;

Sed ſicut nitidi jucundo tempore veris
Depopulans læti fragantia gramina prati,
Ex tot tam variis & vix e millibus unum
Carpit apis paſſim redolentem dedala flo-
florem,
Sic nos duntaxat tantæ libavimus urbis
Vix minimas partes, minima & præconia
laudis,
Non hæc complecti potuit brevis omnia char-
ta,
Nec ſatis eſt infans tanto mea Muſa labori,
Arenti tenuis cui manat flumine vena,
Aucta nec ingenii eſt fœcundi viribus ullis,
Materia hæc plectro digniſſima carminis
eſſet
Heſſe tui (eſſet onus tantis hoc viribus aptum)
Heſſe novenarum decus immortale ſororum,
Teutoniciq: ſoli clariſſima fama, perenne
Heſſiacæ lumen, laus, lux & gloria terræ,
Cujus fama volat totum diffuſa per orbem,
Quo tumet, & merito, bellatrix Heſſia, vate
Mantua ut Andino, docto ut Verona Catullo,
Ut Pelignus ager gelidi Sulmonis alumno,
Pierides ſacras bifidi qui primus ab alto
Culmine Parnaſſi noſtras deducit in oras,
Ut jam delectent illas Heliconia Tempe
Non magis, & cupiant per te nunc ludere in
arvis
Heſſiacis, dudum oblitæ Parnaſſidos undæ.
Perquem mirandum luſerunt carmen in oris
Arctois primum, nec nunc modulatius
edunt Docta

Docta voce melos, quam te tua plectra movente:
Attonitæ & ſtupidæ ſublatis auribus aſtant,
Quotquot ubiq; feræ vaſtis in ſaltibus errant,
Heſſidos in celſis pugnacis rupibus oræ,
Heſſiacum blando mirantes Orphea cantu.
Non noſtro tamen hinc erit urbi ingrata labori,
Et ſi non aliud, certe illi grata voluntas
Eſſe animi debet noſtri, noſtrumq; probabit
Conatum, & placido augebit propenſa favore,
Splendidiore canat donec felicior olim
Carmine præſignes dextro alter Apolline laudes.
Sed nunc tempus erit legiſſe patentia vela,
Et portum petere, & feſſos traxiſſe rudentes,
Ante tamen debet paucis memorare Camæna
Noſtrarum quæ ſit rerum fortuna ſtatusq;,
Id quod ſcire cupis noſtri ſtudioſos amansq;.
Conditione fruor nunc non omnino mali-
Felici currunt mihi ſic ſatis ordine fata, (gna,
Et vivo & valeo, nunc quam fuit ante nitoris
Pluſculum habet corpus, plus roboris atq; vigoris, (firmis.
Prædita membra etiam ſunt viribus omnia.
Quæ ſit cauſa rogas? dicetur cauſſa roganti.
Altera quod teneræ ſumus his ætatis ab annis
Aſſueti terris, propius quæ frigida cernunt
Sidera, Parrhaſidos copulata Trionib9 urſæ.
Altera, quod coquit hic Cereris * de munere civis, Po-

* *Cereviſia Hamburgica.* Georgius Major in vita Philippi Melanchthonis refert, eum morti vicinum rogatum, an juſcu-

Potum, quo vix eſt usquam præſtantior alter,
Qua ſe ſub gelido Germania ſidere pandit,
Tam gratus ſapor eſt, ut dicas nectare Divum,
Non minus & nutrit, quam dulcis munera Bacchi,
Corpora & eximiis creſcentia viribus auget,
Herculeo quod ſunt homines hic robore, quo ſunt
Corpore tam ſano, gratoq; colore nitentes,
Quiſq; tibi acceptum fert, o ſapidiſſime potus.
Ut taceam, quod non raro præſentia multis
Lætiferis propere præſtat medicamina morbis,
Reddidit hic igitur mihi perdita robora potus,
Addidit & validas redivivo in corpore vires,
Ut me nunc dicas alium planeque refictum.
Et valet *Anna*, mihi ſocii quæ fœdere lecti
Legitimo eſt conjuncta, meæ pars maxima vitæ,
Quam mihi non tantum ſplendoris nomen equeſtris,
Et genus antiquo Falconum à ſanguine ductii,
Cum conſorte tua quod habet commune, nec ulla
Eloquii vis blanda, ſtatæ nec gratia formæ,
Quantum animi pietas, ſanctique invicta pudoris Mens

lum vellet, cumque annueret: *ſtatim* inquit, *apparatum fuit unum ex cereviſia Hamburgenſi, qua ille in cibo & potu ſuaviter uti ſolebat. Hoc igitur juſculo allato exhauſit cochlearia tria, & collaudans inſuper, quam bonum, inquit, hoc eſt juſculum*: Ey welch ein ſchön Süpplein iſt das. *Hic cibus ei ultimus fuit, neq; enim potus aut cibi quicquam guſtavit poſthac amplius.*

Mens cuſtos, rectiq; tenax ſuper omnia mundi
Gaudia, conciliat, ſtabilique adjungit amore.
Verum hæc præmiſſis viſum eſt annectere Muſis,
Ut ſcires, quo me videat Dea lubrica vultu,
Ducentem placidam dextro ſub ſidere vitam,
Devotoq; Diis peragentem pectore grates.
Tu quoq; vive diu, multosq; ſuperſtes in annos
Maxime perpetuo digniſſime vivere Jona,
Vivite ſalvifico fortiſſima pectora Chriſto,
Militiam qui nunc flavum exercetis ad Albim
Pro Chriſto, atq; iterum recluditis oſtia cœli,
Clauſa diu nobis Romani fraude Tyranni.
Tuq; adeo imprimis, Chriſti fortiſſime miles, (Chriſtus,
Quo præcone iterum voluit reviviſcere
Digne polo pridem, ſed adhuc tellure morari
Te velit ille diu, noſtros miſeratus abuſus,
Quo ſpirante doces ſacri myſteria verbi,
Salvificæ fidei vindex, divine Luthere.
Tu quoque Muſarum patrone, diſerte Melanchthon,
Docte ſacras etiam ſincere exponere chartas,
Cui nullum ſimilem vel ſecula mille tulerunt,
Quiq; peregrinis non ulla pericula terris (bi
Formidas, Pomerane, ſacri quo dogmata verIndere per totum poſſis mortalibus orbem,
Divinum hoc etiam ſectatus nomine Paulum, Et

Et tu Chriſtiadum cui crux dedit ardua nomen,
Mite piumq; caput, ſincere & candide Gaſpar,
Qui non Aonidum tantum ſpaciatus in hortis
Ingenii Clario traxiſti a fonte vigorem,
Sed quoque cœleſti perfuſus rore, ſacroque
Afflatus nutu, didiciſti dogmata Chriſti
Non male, nec dubie, ſed puro exponere ſenſu.
Deniq; vos reliqui, quoſcunq; per ardua cœli
Raptat amor Chriſti, quoſcunque per ardua montis
Aonii mens pura vocat, mens conſcia recti,
Candida Pieriis mergentes pectora lymphis,
Æquantes doctam facundis Leucorin Argis.
Dulce valete omnes, & dextro vivite Fato.
Tuque iterumque iterumq; vale, ſæpiſſime Muſis
Juſte vocande meis, non uno carmine Jona
Digne, ſed omnigena Vatum pietate priorum,
O patrone, loco mihi ſemper amande parentis,
Vive diu, numeraque tuæ bona tempora vitæ,
Vivere mille etiam digniſſime Neſtoris annos.

FINIS.

AD
ORNATISSIMUM JUVENEM
JOHANNEM WEDKIN,
patritium Hamburgenſem.
JOANNIS STIGELII
ωροπέμπτικον.

Cum tamen à nobis ita re cogente recedas
Fata quid irato juverit ore queri?
Quid juvat immites inceſſere carmine Divos
Hic te ſi ratio certa manere vetat?
Candide Pieridum comes, & ſpes ampla Joannes
A duce qui patrio nobile nomen habes,
Hei mihi, quod contra id, non eſt medicina, quod urget,
Quam ſtatuit Lacheſis vim jubet eſſe ratam,
Ut vaga perpetuo procedunt flumina curſu,
Effectum, fieri ſic quod oportet, habet,
Fata moras renuunt, placeat quodcunque neceſſe eſt,
Neſcia vitari qui ferat, ille ſapit,
Quæ nequeas mutare, feras, fortuna ferendo
Non alia vinci conditione poteſt.
Frange graves calamos, peraratas ſcinde tabellas
Pone animi ceptum Muſa dolentis opus,
Sume leves calamos, puras appone tabellas,
Scribe animi ſocio fauſta precantis opus,
Quid tamen hæc jubeo, juſſis mens ægra repugnat
Quique eſt in fido pectore fidus amor,

Non videt hic veterum præcepta verenda Sophorum
Et merito, ſiquidem non videt omnis amor.
Negligit hic ſolus duri rata fœdera fati
Nec curat, cepte cauſſa quod ulla viæ eſt.
Sufficit in noſtras hic argumenta querelas
Et cauſſam, faciat cur ita ſemper habet.
Chare mihi, amplexu juvenis digniſs. Phœbi
Quam te nunc cauſſam non habuiſſe velim,
Digne Melanchtonem, ſanctumque audire Lutherum
Cur te aliquid moveat quam Schola noſtra magis?
Qui tandem iſtud erit, Pyladen quod poſſit Oreſti
Eripere, atque una non ferat eſſe duos?
Quam cuperem tecum ceu quondam ad Phocidos amnes
Nunc quoque ſic ſocio pergere poſſe gradu,
Te comite Aonias ſudor minor eſſet ad arces
Carpere difficilem per juga ſumma viam.
Tecum prima uno didici præcepta magiſtro
Dum ſumus Albiacis hoſpes uterque plagis,
Nos fora, nos campi, nos culta theatra ſodales
Nos videre ſimul templa domusque duos,
Sæpe aliquis ſociis nos paſſibus ire per urbem
Ut vidit, fratres eſt ratus eſſe duos,
Nec fuit hic falſus, nam quamquam haud ſtemma parentum
Mutuus at fratres nos faciebat amor.
Hinc tamen ire paras, caris ceſſurus amicis,
Sic Dido Phrygium vidit abire ducem,
Quaque ſacras nuper coluiſti ſedulus artes
Deſeritur ſtudii conſcia terra tui.
Aut mecum libeat flavum tibi vivere ad Albim

Aut

Aut liceat tecum quolibet ire mihi,
Jam tecum Hammonis veniens novus hoſpes ad urbem
Alta velim patriæ tecta ſubire tuæ,
Aut pecorum dites, & paſtos lacte Britannos
Viſere, per dubias æquora menſus aquas,
Et varios populos, & monſtra marina viderem
Et varias merces, magnificasque rates,
Multaque mirarer vaſti miracula Ponti
Quorum ſunt noſtris cognita nulla plagis,
Unda vagi ſenis decedat ut æquoris horis
Sextaque ſtagnantes hora reducat aquas,
Veſtra etiam noſtro forſan Reſpublica verſu
Non renuat, per ſe clara potensq; tani.
Quid tamen hæc itero vani ludibria voti
Carmine diſceſſum non remorante tuum?
Cædo libens fatis, juſtique agnoſco doloris
Non profutura me ratione premi,
Tempus edax rerum transformat & omnia mutat
Quid mirum, curis ſi quoque corda levat,
Longa dies animos docuit lenire dolorem
Solamenque malis conſiliumque dedit,
Has quoque certa olim mihi finiet hora querelas
Sic tamen, ut memorem me ſinat eſſe tui,
Deſinet eſſe prius glaties contraria flammis
Solque reget Lunæ, Lunaque Solis equos,
Ante Thyeſtæa ceu quondam ad prandia menſa
Cynthius adverſos ire jubebit equos
Temporis hæc ſpacio quamvis ſuccumbat amoris,
Quæ pridem ſtabili jungit utrumque fide.
Non ita nigra trahunt duræ mihi ſtamina Parcæ

Ut violem ſanctæ fœdus amicitiæ.
Tu quoque ſeu ſalſi ſulcas vada cærula ponti
Arduaque Albionis limina Regis adis,
Seu petis Iliaci præclaram Antenoris urbem
Doctus ubi Bembus nobile nomen habet,
Sis ubicumque, tui ſemper memor eſto ſodalis,
Qua licet, & quantum me meruiſſe putes,
Fallor? an hinc abſens peregrinas miſſus in oras
Ut fero te, memori me quoque mente feres,
Cur tamen hoc dubitem, cum ſis mihi cognitus ante
Cum tua te virtus non ſinat eſſe levem,
Quam tibi, vix alicui, Natura puerpera rerum
Mitius ingenium candidiusque dedit,
Judice te propter ſua propria commoda virtus
Non precii externi debet amore coli,
Et quia amicitiæ vis eſt virtutis imago
Hanc violare etiam dedecus eſſe putas.
Si bene nos igitur pridem te novimus, abſens
Corpore, Levcoreos mente ſequeris agros
Cum tibi ſuccurret docti convictus Jonæ
Et linguæ Clario gratia digna Deo,
Cum tibi fatidici majeſtas ſancta Lutheri
Dicendi cauſſam materiemque dabit,
Cum velut ante oculos tibi ſtabit imago Philippi
Quem laudet vatum nulla Thalia ſatis,
Qua ſola poteris nobiſcum mente loqueris
Et dices utinam pars ego veſtra forem,
Sed jam fauſtus abi, quid enim moror iſta precari,
Ingredere hoc dextro ſydere ductus iter,
Nec tibi ſeu terras peragres, ſive æquora tranes
Auſtri noceant Pleiadumque minæ,

Lia-

Lætus abi, nec enim debes triſtatus abire,
Cum tecum Charites quolibet ire velint,
Cum tibi ſint comites & blandum & amabile vulgus
Vatibus Aoniæ nomina culta Deæ,
Fœlix, cui tales monſtrant veſtigia Divæ
Quod facit, adverſo non facit ille Deo,
Hæ nobis oculos ad cœli ſydera tollunt,
Unde hominum trahimus ſemina prima genus,
Legibus hæ ſolæ populos moderantur & urbes
Et ſervant ſtabili jusque piumque fide
Illarum eſt munus, clarorum facta virorum
Plurima poſt vitæ ſæcula poſſe legi,
Illarum Heroes fiunt & munere Divi,
Et nova poſt vitæ funera, vita venit.
Has ut ames, ſancteque colas, tua poſtulat ætas
Et ſpes ingenii, dives & ampla tui.
Quod facis, ingenuas diſcas fœliciter artes
Quod facis, ut facias, quo movearis habes.
Aſpicis hoc nimium neglectas tempore Muſas
Vile fere præter nomen habere nihil,
Quas niſi tu, ſimilesque tui tueantur alumni
Arida mox ſolitas Aſcra negabit aquas,
Vade bonis avibus, populos viſurus & urbes,
O mihi præſentis fratris amate loco,
Seu tibi mens fuerit peregrinas viſere terras
Seu fuerit patrias impetus ire plagas,
Te ducant Charites, facile ut mereari amorem
Vivere quo cœli cunque ſub axe voles,
Utque ſit, â doctis fueris ſi juſſus amicis
Conſortes ſtudii commemorare tui,

Me quoque nec dubito, numero memorabis in illo
Fœdus amicitiæ magnum habuisse tuæ,
Blanda tibi & veterum recitasse poemata vatum
Quæ sint judicium sæpe morata tuum,
Nos etiam arborea recubantes sæpe sub umbra
Trivisse alternis tempora longa jocis,
Me tibi sæpe meæ laudes cantasse Philetæ
Nec mihi te flammas conticuisse tuas,
Ista refer, de te tum me quoque dicere crede
Sæpius, & sociis ista referre meis,
Sic duo corporibus cum simus, mentibus unum
Nos amor invictus reddet utrinque. Vale.

FINIS.

VIRO-

VIRORUM

Meritis in Eccleſiam & Rempubl.
Hamburgenſem Clarorum

EPITAPHIA

Compoſita pridem
à
JOHANNE RITZENBERGIO,
Secretario Reip. Hamb.

Nunc recuſa
ad editionem
ROSTOCH. M D LV.
ex officina Ludovici Ditzii.

Nobili, Magnanimo atq; virtute præstanti
VIRO

HENR. RANZOVIO,

D. JOHANNIS EQUITIS
aurati filio,
Serenissimi Regis Danorum Consiliario, Amico observando,

JOH. RITZENBERGIUS.

NObile Cimbrorum decus, & spes lucida salve
Gloria Ranzoviæ summa future domus:
Danorum verno quem Rex in flore juventæ
Consilio dignum censuit esse suo;
Qui virtute tua laudes sectaris avitas
Splendoremque patris sicut imago refers.
Ecquid ubi tibi conspicies Henrice dicatos
Funebres elegos res tibi vilis erit?
Quandoquidem tristes, funebria scripta, Camœnæ
Non quadrant annis, temporibusque tuis.
Quodque parum cultæ nec Apolline dignæ sonantes
Judicium metuant acre subire tuum.
Sed tuus agnatus quia Melchior *heros*
Ranzovius *nostro carmine dictus erat.*

Qui mihi, propenſum cui præſtitit usque favorem
Junctus amicitiæ jure fideque fuit.
Suaveniusque *pius, caſtæ qui Palladis artes*
Cum generis junxit nobilitate ſui.
Gnarus & eloquio veſter Seheſtedius *aures*
Mulcere, & dulci flectere corda ſono.
Cumque piis, doctisque viris poſt fata favere
Non ſit ab ingenio res aliena tuo.
Præcipue cum ſis teneris excultus ab annis
Artibus ingenuis, dogmatibusque ſacris.
Barbariemque putes fœdam contemnere Muſas,
Nec facili ingenuis mente favere bonis.
Teque licet magnis opibus fortuna bearit
De veterique trahas nobilitate genus.
Non tamen incumbas titulis opibusque caducis,
Quin decus his animi verius eſſe putes.
Denique cum mihi ſit quæſita occaſio tecum
Dulce paciſcendæ fœdus amicitiæ.
Id circo poſito mea Nænia parva pudore
Contulit ad tua ſe limina celſa domus.
Invitata tuæ mentis candore benignæ
Notus ab exemplis qui fuit ante mihi.
Non erat edendi mens hæc inſcripta ſepulcris
Hinc mihi ſunt tanto tempore preſſa domi.
Nam mihi judicium perverſi temporis hujus
Perſpectum ſatis & livor iniquus erat.
Weſtphalus *edendi fuit hæc doctiſſimus auctor,*
Hunc penes abjecti culpa pudoris erit,
Illius hortatu quam vis indigna politis
Mentibus, hæc fieri publica ſcripta tuli,

Eſſ

Esse quidem hæc nollem doctis ingrata piisque,
Aönides qui non irreverenter habent.
Et quorum afficitur vera dulcedine pectus,
Quod sua Pieriis ora rigentur aquis.
Nil moror ignavos fucos aliena potentes
Rodere, nulla tamen cum sua mella parent,
Si nisi enim sciolis placitura poemata cunctis
Edere nemo velit, edere nemo velit.
Non opus est verbis precer ut te pluribus, hujus
Interpres studii ut candidus esse velis.
Scis bene, quod Patriæ mihi sit Respublica curæ
Cura sed Aoniis est inimica Deis.
Et mihi quæ juveni mediocriter unda fluebat,
Ingenii vena est torrida facta mei.
Servivi meritis de me bene gratus amicis
Obruta jám quorum corpora texit humus.
Postera virtutes ut eorum nosceret ætas,
Quæ solet eximiis æquior esse viris.
Et statui officium præstare hoc pluribus ipsum
Ocia cum vitæ libera nactus ero.
Nomina quorundam numeris includere certis
Cum cuperem, potuit non Elegia pati.
Qualiacunque tibi si qua ratione probantur:
Aequius hoc ipso nomine vulgus erit.
Exiguum si tu non aspernabere munus
Sed vultu, placido compositoque leges,
Meque tibi promtos numeraveris inter amicos
Qui tibi, si posset, splendidiora daret.
Jam mea propositum subierunt carbasa portum,
Et tetigere suum spicula missa scopum.

Quod

Quod precor, ut facias, si non faviſſe Camœnis
Splendori ducas dedecus eſſe tuo.
Sic homines faveant omnes tibi ſemper honeſti
Donec eris merito factus honore ſenex,
Sic tibi contingant meriti bene Patris honores
Sic ſuperes laudes illius imo tuis
Et tibi ſuccedant ſic tramite cuncta ſecundo
Hæc Deus efficiat ſic rata vota, vale.

Anno MDLV. IV. die
Februarii.

JOACHI-

JOACHIMUS WESTPHALUS

Honesto & pietati dedito Adolescenti

FRIDERICO ÆPINO,

Optimarum artium studiis Rostochii diligenter operam navanti, Amico suo carissimo

S. D.

Olim Vir Clarissimus *Johannes Ritzenbergius* Secretarius Senatus nostri prudentissimi, pro veteri nostra amicitia, mihi copiam faceret legendi quædam epitaphia, scripta inter gravissimos labores & curas Reipublicæ, & memoriam eorum in illis celebrari viderem, qui, Deo miserante nostra mala atque in melius commutante, primi, Ecclesiæ gravissimis morbis mederi aggressi, in pristini nitoris formam eam restituerunt, bonamque partem historiæ exordii instauratæ apud nos puræ religionis, copiosa brevitate, luculenter descriptam ibi contineri perspicerem; fiducia nostræ necessitudinis petivi ab amico, ut publici juris facta in multorum manus pateretur pervenire: Permultum enim referre existimo, operum DEI notitiam effulgere, in quibus mirificæ potentiæ & mise-

misericordiæ DEI claritas resplendet, eorumque initia ac progressus, tum à nostræ ætatis hominibus, tum à posteritate non ignorari. Pertexi solent historico stylo primordia & incrementa urbium, quibus auctoribus primum exstrui ceptæ sint, à quibo deinde sive ornatæ splendidis ædificiis, sive aliis rebus memorabilibus auctæ, à quibus item post acceptam aliquam calamitatem instauratæ & excitatæ sint denuo. An non multo magis omnium interest, historica narratione in notitiam proferri, quinam excitati à Deo architectones & operarii periti, Civitatem Dei per multos annos miserè afflictam, deformatam & pœne eversam, reparare & communire ceperint, fundamenta posita à Prophetis & Apostolis concussa, obruta, depressa & occultata iterum patefecerint & firmaverint, superque ea stabile ædificium erigere monstraverint. Aliis operæ pretium est, commemorare conflictus & prælia, urbium eversiones victorias & triumphos præstantium fortitudinis laude & rebus magnifice gestis. Quanto utilius opera impenditur historiæ commemoranti, ut Regnum AntiChristi undiquaque validissime corroboratum, sit convulsum, muri Jerichuntis sonitu Evangelicarum tubarum rupti ac prostrati conciderint, Satanas dejectus sit, conterendus sub pedib⁹ nostris, opera maligni, mendacia, impostura, errores & illusiones in claram lucem expositæ, & cum pudore atq; confusione impiorum eversæ, quos duces, quos veteranos fortes, intrepidos

pidos indefeſſos, indutos ſupernè inſuperabili robore & ſpiritualium armorum panoplia Dominus exercituum inſtruxerit ad acerrimam nec non periculoſiſſimam dimicationem, quas victorias, quos triumphos omnibus clariſſimis Regum triumphis clariores, repreſſis & ſubactis graviſſimis hoſtibus dederit, quibus quisque virtutibus fuerit illuſtris, quibus induſtrie & fortiter geſtis rebus Imperatori ſummo, mundo & Angelis ſpectantibus, ſeſe approbaverit: unde cuilibet ſit obvium, expoſitum & facile ſtatuere, evidenti veritatis demonſtratione, ex rerum manifeſtis teſtimoniis eluceſcente, auctore Deo emendationem Eccleſiæ tentatam, eodem gubernatore, & protectore reluctantibus portis inferorum, proceſſiſſe, totius belli certamen omnipotentis auſpicio geſtum eſſe, Evangelium perrupiſſe, victorias denique admirabiles easque plurimas reportaſſe?

Præclare autem hoc, quod dixi, præſtitit ingenii, doctrinæ virtutisque laude præcellens Ritzenbergius, quantumcunque occupatus, graviſſimis negotiis commiſſis ejus fidei ab inclyto noſtro Senatu induſtrie tractandis, jamque ante complures annos ab hujus generis literatis exercitationibus remotior, multa tamen diligentia, ſtudio, aſſuefactione, in dicendo & ſcribendo ita confirmatus, ut ubi intenderit ſuos nervos, multos facile antecellat. Certe in his elegiis tale ſpecimem præbuit, ſeu verius artificem opere ipſo ad amuſſim elaboratiſſimo, talem oſtendit,

dit, ut cuivis facile appareat, non omnino imperito existimatori, quantus evasisset, si ad hederæ coronam ac laureæ decus aspirasset, poetico studio præcipue deditus, aut ad aliam professionem sese applicuisset: quanquam in juris cognitione operam non pœnitendam navavit, quæ multarum rerum experientia adaucta ac provecta est. Interpellantibus seriis curis, nec relinquentibus superfluum tempus ad prolixiora poemata perpolienda: conrentus fuit, è divite vena effudisse has lugubres Elegias, breves quidem, at brevitatem pondere rerum variarum, quid dicam, lectione? rectius dixerim consideratione dignissimarũ insignes: judicii dexteritas, adhibito delectu, excerpsit ex cumulo optima quæq;, ac veluti flores coloris ac odoris delectatione præ aliis ad se allicientes, intexuit suis elegiis, & versus pene singulos tinxit sensibus, grave selectum & maxime utile quid habentibus, tempus interim melioribus destinatum verborum turba versuumque volubili numero nec sibi nec lectori imminuens. Observavit enim pro perspicaci sua prudentia, in quo quisque præcipue emineret, quidque haberet quasi proprium, datum quidem à Deo, studio vero labore & exercitatione excultum & ad maturitatem perductum. Cum multis intercessit ei amicitia non vulgaris; ingenia, vitam, mores actiones denique singulorum inspexit, notasque habuit: Plerisque rebus non tam interfuit, quam præfuit, suscipiendis gerendis & administrandis se consiliarium & socium exhibuit. Proinde non fama, non sermone,

ne, non auditu ab aliis accepta, ſed viſa, ſed explorata & comperta plane, hiſtorice narrando perſequitur.

Si autem quisquam alius, certe Præſes noſtræ Eccleſiæ, donis eximiis Spiritus Sancti abundans *D. Æpinus*, illi propius interiusque notus fuit. Nam de myſteriis ſalutis noſtræ, de rebus fidei, de omni pietate attente ſæpiſſime per annos aliquot audivit, ſancte, graviter, diſerte ac decenter concionantem: non raro in familiaribus congreſſibus & honeſtis ſodalitiis, in confeſſibus, in quotidianæ vitæ conſvetudine ſvaviter cum illo converſatus, miram humanitatem, modeſtiam, comitatem, politicarum etiam rerum cognitionem perſpexit; in cauſis difficilibus, perplexis ac dubiis, quas multas alias ſuper alias hoc noſtrum ſeculum adducit, ſollicitudinem, fidem, dexteritatem, fortitudinem ejus videns, qui vir eſſet, quo animo, qua ſapientia, quibus conſiliis, qna ſinceritate præpollens ſæpenumero animadvertit.

Itaque veras ejus laudes commemorat, quarum teſtes fide digniſſimos, non ſolum hæc urbs, ſed tota Germania habet omnes, qui ejus virtutes recte noverunt, quibus invidia, odium aliique peſſimi affectus non mentis oculos præſtringunt, & tenebras eis non offundunt. Sæpius optavi aliquem Baſilium Magnum aut Gregorium Nazianzenum aut horum ſimiles dari nobis, qui eloquentiæ ſuæ ſplendore, claritatem virtutum, quæ in hoc organo Dei effulſerunt, adſequi

quodammodo & illustrare possent. Ego quidem cum alia multo majora, tum hoc officium ingenue fateor, me debere patri, patrono & amico quem inter amicos non fucatos, nec leves, nec dubiæ fidei, quos non solum mihi in patria sed in aliis etiam locis pietas mihi conciliatos devinxit, expertus sum, multo omnium sincerissimum & integerrimum, ne silentio præterirem, sed justis præconiis dona Dei in Aepinum Reverendum congesta, vindicata ab oblivionis injuria condecorarem. Verum sicut ad inspiciendos præfulgidos radios solis, oculi sunt nimis imbecilles & impares, ita me, intuentem lumen illud, coruscans in illius virtutibus, prorsus deficere sentio, satius judicans esse omnino tacere, quam infra dignitatem nimis humiliter, de laude ampliſſima Viri excellentissimi verba facere, cujus ne partem quidem aliquam, multo minus totum illum chorum virtutis digne a me condecorari posse confido. Postquam autem legi Ritzenbergii epitaphium Æpino sacrum, abunde putavi meis optatis satisfactum esse, tametsi enim non pertexit integram historiam totius vitæ, tamen nihil præteriit eorum, in quibus aliquid ponderis & momenti consistit: quæque dispersa in longa oratione minorem obtinent vim, stipata vero quasi in una acie continuo ordine succedentia sibi invicem, pleniorem commendationem, decusque omne conspectius reddunt. Non destiti igitur orare, ut mihi cæterisque, impense viri ad meliora translati, à DEO af-

affecti æterno honore, laudi faventibus gratificans, permitteret impressum in publicum dari; ac quanquam ille suas haberet rationes, cur aliquantisper reluctaretur, tamen exorari se tandem passus, imprimendi copiam fecit.

Hoc Friderice charissime tuo etiam à me inscriptum nomini, ad te mittere volui: quanquam sciebam, me non mittente, venturum in tuas manus, teque cupide præ aliis amplexurum. Tu enim relictus es paternorum bonorum hæres, ad quem non sola bonorum fortunæ possessio, sed multo magis animi dotes, & immortale pietatis decus pertinent. Alii habent in pretio argentea pocula, gemmas, pretiosas vestes, & si quid est hujus generis: Tu magni facito longe digniora bona, nimirum divitias cœlo, nihilominus tamen hic hæredibus relictas, quarum desiderio accensi assiduo studio ad eas parandas contendant. Nonnullis in pretio sunt pictæ imagines aut statuæ, quæ utcunque referunt lineamenta corporis: Animi vero dispositiones ne adumbrant quidem. Characterem mentis oratio exprimit, & ab oculis sepositа interiori aspectui exhibet intuenda. In hac itaque oratione tanquã in speculo ac viva aliqua pictura sæpe contemplare tuum patrem, considera & expende singula: tum addet tibi acres stimulos, ut impigre iisdem vestigiis ingressus, festines ad idem fastigium ascendere, quo si adire non datur, propius tamen accedere, & in proximo gradu aut in tertio consistere licebit. Gaudent

alii ſuccedere in externis caducis illis bonis, iisque inhiant percupide, tibi ſolidum ſit gaudium ſuccedere in bonis non perituris, huc te honeſta trahat cupiditas, atque hæc tibi redeat utilitas ex hoc carmine, referente veram imaginem tui patris. Scis, non otioſe ad oſtentationem vanam illuſtrium virorum memoriam epitaphiis celebrari: ſed id fieri propter multas rationes. Nimis ingratum eſt & oblivioſum mortalium genus, nihil ſeneſcit citius quam beneficium, acti labores, recte facta & merita quæcunq; cum ſuis auctoribus, quaſi commoriuntur apud ingratos. Revocantur ergo in memoriam ne prorſus ſepeliantur oblivione, idque ſuggeritur celebri illa benefactorum commemoratione, decere bonos imortalem eorum memoriam conſervare: quod ſi apud homines parum dignam gratiam conſequantur, apud Deum tamen præmiis ſuis non defraudari. Admonentur item homines, Deum eſſe glorificandam pia gratiarum actione, qui benigne diſpenſat eximia ſua dona, quibus inſtruit & exornat ſua organa ſancta ad res ſalutares gerendas ac conſervandas. Ideoque in pretio habenda, ne ereptis illis ſuccedant deteriores, cum privato & publico damno. Conducunt præterea monumenta ad hoc, ut reputantes, quid amiſerimus, precibus piis inſtando obtineamus alios ſalutares viros, qui in portum deductis ex fluctuantium rerum procellis, ſuccedant. Ad hæc præbent poſteris exempla, ac etiamnum viventibus, ut conſiderent, quæ aliis fuerint

erint laudi, quæ ceperint consilia in negotiis arduis, ac inde sumant sibi oportuna ad imitationem. Postremo conciones quædam sunt monitoriæ de vita instabili, periculis & damnis referta, & prætereunte instar volucris prætervolantis, unde avocatis acuant desiderium, & spem excitent beatæ & immortalis vitæ, ad quam semper adspirare oportet. Quod si ista, mi Friderice, consideraveris, utiliter leges sive alia sive hæc potissimum epitaphia scripta Clarissimis viris, inter quos tuus Pater merito sibi vendicat primas partes, cujus decus & ornamenta ut tuearis, omnibus viribus annitere: Vides, qua fide à tuo genitore delectus tutor curam gerat commissæ tutelæ, id agens, ut præstantiora bona tanquam hæreditaria relicta tueatur; Tu in idem incumbe studium, ut multo majori diligentia illa conserves, quam solent alii anxie custodire obnoxia quibuslibet injuriis, ac tuo Præceptori, Viro omni genere doctrinæ & virtutis ornatissimo, summa voluntate in omnibus obedias, probe spartam, quam nactus es, ornans, quod te facturum, spes nobis est permagna. Bene vale. Hamburgi pridie Calendarum Februarii. Anno restitutæ per Christum salutis MDLV, die VII. Mensis Februarii.

Imago Reverendi Viri

DOMINI

JOANNIS ÆPINI,

Doctoris Theologiæ,

qui annos circiter triginta gubernavit Ecclesiam Dei in inclyta urbe Hamburga.

PHILIP. MELANCHTHON.

HÆc est Æpini Doctoris imago Johannis
Qui docuit caste dogmata pura Dei.
Saxonicoque pios cœtus in littore rexit
Fulsit & exemplis integra vita bonis
Urbis ubi Hamburgæ stant ardua mœnia claræ
Massiliæ veteris quæ decus omne tenet
Et superat meliore bono, quod præbet honestum
Et fidum hospitium maxime Christe tibi.
Inde etiam Aepinus vigilans & pectore firmo
Errorum fucos depulit atque dolos.
Ergo DEO grates tanto pro munere dico
Utque regat semper pectora nostra peto.
Et faciat semper nos unum simus in ipso
Aeterni gnatus quod petit ipse Patris.

Aliud in imaginen ejusdem adhuc Vivi D. Aepini

Cernitur Aepini facies in imagine tristis
Qualis, ab inflatis cum premeretur, erat.
Invida quod decus hoc tantum neglexerit ætas
Dedecus agnoscet postmodo sera suum.
Quicunque ergo sapis, votis ardentibus opta,
Ut regat hic nostrum pastor ovile diu.

EPI-

EPITAPHIUM

Reverendi & Clarissimi VIRI

D. JOHANNIS ÆPINI,

Theologiæ Doctoris & Ecclesiæ Hamburgensis Superintendentis, Patris de Ecclesia Christi optime meriti.

CAndida posteritas, quam fas est noscere claros
Et bene promeritos de pietate viros.
Hæc est Aepini Superintendentis imago,
Cujus in hoc sacro sunt sita membra loco.
Marchia progenuit, docuit Witeberga celebris
Lux ubi doctrinæ splenduit orta sacræ.
Primus hic, Ausonii non unctus chrismate Papæ
Inclytus Hammonis præsul in urbe fuit.
Sublato postquam fuit instauratus abusu
Multiplici veræ relligionis honor.
Nec crucis ignarus tantum susceptit honorem,
Ante sed ob Christum vincla probrumque tulit.
Post fuit hac Pastor Petrina, carus in æde
Commissumque bona rexit ovile fide.
Donec ubi gravibus jam vir maturior annis
Fecit ad hæc cathedræ pulpita celsa gradum.
In quibus adversus mendacia subdola Papæ
Asseruit verbi dogmata pura Dei.

Magnanimique ſequens veſtigia preſſa Lutheri
Detexit fraudes impia Roma tuas.
Erudiit mentes noſtra prudenter in urbe
De vera in Chriſtum juſtificante fide.
Monſtravitque viam cœleſtis ad atria regni,
Unica per Chriſtum quæ ſit eunda piis.
Ille quidem fidei non primus in ordine vites
Inſevit, plantas conſtituitque novas.
Iſtius eſt *Stephano* poſſeſſio debita laudis,
Stemmelius juvit quem pius Ordo ſenex
Additus his operis ſocius *Segenhagius* audax
Vinitor haud Chriſti ſegnis inersque fuit.
Nec pius eſt *Fricius* merito fruſtrandus honore,
Qui ſævos valido terruit ore lupos.
Inde novas plantas *Pomeranus* Apollo rigavit
Ritibus immutans impia ſacra piis
Conſtituitque ſcholam, qua nil pretioſius urbs hæc
Poſſidet, excepta relligione tamen.
Noſter at Aepinus ſepem prætendit, ut eſſet
A formidandis vinea tuta feris.
Excoluit vites poſitas, protexit & auxit,
Inque ſuo liquit, poſt pia fata, ſtatu.
Qui *canones* ſimulant, Epicuri de grege porcis
Oppoſuit ſtudium conſiliumque grave.
Ne poſitam roſtro poſſent ſubvertere ſepem
Et noviter vites dilacerare ſatas.
Lecturas poſtliminio revocavit ad uſum,
Ad quem condiderat *Frizius* ante pius
Ventribus extortas ad debita jura piorum
Tranſtulit, hoc meritum quis putet eſſe leve?

Plu-

Plurima dicta vir commendantia ſummi
Ingenii, quæ nunc Teutonis ora legit.
Sed quibus expoſuit Jeſſei carmina vatis
Præcipuum doctæ mentis acumen habent.
At vox viva viri myſteria ſacra ſonantis
Acris, & ætherei plena vigoris erat.
Eloquioque gravi perfundens torrida corda
Imbris ut ætherei, ſermo ruebat aqua.
Nec fuit intrepido teſtis modo pectore Chriſti
Cum facerent placidum tempora læta ſtatum.
Fortis ad extremum, nixusque per omnia vero
Illius in duro tempore præco fuit.
Ut canis objectâ non tunc obmutuit offâ,
Blanda ubi falſiloquus protulit ora liber.
Sæva tegens dulci circum lita toxica melle
Quod Sathanæ aſt animas interimentis opus.
Quo tamen haud puduit doctores tempore claros
Officio miſerum deſtituiſſe gregem.
Qui cum conſpicerent ſub tegmine pellis ovinæ
Imo palam rapidos in pecus ire lupos,
Conticuere metu, ſatius concedere rati
Principibus, ſummum quam metuiſſe Deum.
Quos tamen ignavos non eſt imitata moloſſos
Aepini conſtans in pietate fides.
Ille ſed officium contra technasque minasque
Conſtanter calamo fecit & ore ſuum.
Exſtat in egregio confeſſio libera ſcripto
Quo nullum tellus Teutona compar habet.
Illius, hæc fuerit conſtantia quanta, loquetur
Hæc mundi donec forma ſuperſtes erit.

Ergo quod excluſa eſt multis è mænibus iſta
Interimens animas blanda Chimæra libri,
Non levis Æpini debetur gratia ſcriptis,
In ſpeculis quibus ut ſigna ſonora dedit.
Obſtitit & timidis *Adiaphora* falſa profeſſis
Ut crucis effugerent corda probantis onus.
Sarmaticæ tumidum impoſtorem gentis *Oſandrum*
Arguit auctorem dogmatis eſſe novi.
In Chriſtum fidei quo juſtificantis honorem
Tolleret,& populis ſcandala fœda daret.
Ob ſcelus *Antinomum* eſt ceu deteſtatus Judam
Qui verbum accepto vendidit ære Dei.
Qui ratione ſtudent Domini reprehendere cœnam
Et data qui pueris ſacra lavacra negant.
Ceu peſtes ſacri gregis & fugienda docentes
Cenſuit indignos eſſe favore pio.
Denique ſinceræ doctrinæ ſemper adhærens,
Illius à ſectis mens aliena fuit.
Articulum fidei,quo Chriſtus ad infera tendit
Expoſuit ſtudio dum tenuitque pio,
Senſit,quas habeat ſcelerata calumnia vires,
Oppreſſus Sathanæ pæne furentis ope.
Nullius at pietas animi ſibi conſcia fraudis
Tranquillum tenuit poſt mala victa locum.
Prætereo pugnas alias, quas fortis obivit
Ut pugil officii pro ratione ſui.
Pro grege dum vigilat, dum falſis fratribus obſtat
Pro ſeptis contra dum movet arma lupos,

Dum-

Dumque procul cavet, ut non grex pro gramine
ſueto
Lurida vipereo paſcua rore petat:
Denique dum morbis primum naſcentibus ob-
ſtat
Proque ſua medicas admovet arte manus.
Peſtis in unius neglecta ſalute capellæ
Ne perdat totum tranſitione gregem.
Neve ſuum tandem caput inter nubila condat
Principio ſerpit qui levis error humi.
In quibus officii dum debita munia præſtat
Non expers odii perfidiæque fuit
Hæc eſt merces enim mundi, quam meſſis ini-
qua
Reddere pro meritis & pietate ſolet.
Quæ tamen ille tulit divini ut ſigna favoris
Impoſitæque ſibi pondera ſancta crucis.
Mitis enim placidusque fuit, mens lenis in illo
Obtinuit ſummum, conſpicuumque decus.
Illius ante alias dos hæc lucebat, ut inter
Cætera purpureus Lucifer aſtra micat.
Et tamen hæc ingens habuit patientia mentis
Radices fixas in pietate ſuas.
Semper ad hanc animi rexit patientis habenas
Pro gregis æterna proſperitate ſui.
Nec tamen aut varius, vel erat re diſpar in una,
Tempore conſtabat quolibet ipſe ſibi.
Nullus adduci potuit deterritus ira
Vellet ut officium dedecorare ſuum.
Hinc facile leviterque ſuper quoſcunq; verendas
Noluit invito ponere jure manus.

Nec

Nec gregis eſt vicium paſſus deforme protervi
Muto per digitos ore videre ſuos.
Huc ſpectabat enim mens anxia, poſſet ut ipſi
Quæ faceret ſummo cuncta probare Deo.
Nec ſecus, angelicus chorus ac ſi cingeret ipſum
Præſulis eſt ſolitus munus obire ſuum.
Forſitan hic quæras, quibus hæc rationibus, aut quo
Abdita viſceribus talia teſte probem.
Indicium de mente ſua paſtore rogante
Hoc grave, jam morti proximus ipſe, dedit
Quæſitus ſiquidem, num mentem ſcrupulus ullus
Læderet officii nomine, nullus ait.
Attamen agnoſco, quod ſim peccator, & inde
Immerito non ſim dignus amore Dei.
Me tamen hunc ipſum Chriſti pia gratia dignum
Fecit, ut æterni Patris amore fruar.
Qui pro me miſer eſt homo factus & hoſtia Chriſtus,
Et mea perſolvit debita morte ſua.
Quem docui, & lingua non ſum ſimulante profeſſus
Ingenii vires ſuppeditante DEO.
Atque ea, quæ docui, quæ ſum confeſſus huc usq;
De Chriſto Salvatore Deoque meo.
Eſſe ſcio hæc vatum fundamina firma ſacrorum,
Quæque duodeni concinuere viri.
In quibus adjutus Chriſti pietate manebo
Donec in hoc aliquis corpore ſenſus erit.

Inque

Inque fide hac natique Dei agnitione quieſcam
Commendans miti meque meosque DEO.
Rejicio errores omnes quoscunque Papiſtæ
Et qui contemnunt myſtica ſacra docent.
Agnoſcoque meum præſtando in munere robur
Infirmum, & mentis viribus impar onus.
His DEus ignoſcat, conatus ut optima ſemper
Præſtarem magna dexteritate fui.
Et quæ conſului, docui, quæque hactenus egi,
Muneris impoſiti jure cogente mei.
Non meus interior teſtis ſibi conſcius unquam
Ullius, in cunctis his fuit ipſe mali.
Quanquam non ſemper placuerunt omnibus illa,
Sed ſua quis cunctis acta probare poteſt?
Hæc tribus ante obitum paſtoribus ultima dixit,
Qui ſuper his lachrymas non tenuere ſuas.
Jam ne quis eſt effrons adeo morientis habendam
Extremis verbis ut neget eſſe fidem?
Integer in cunctis igitur cenſebitur actis
Turgide disrumpas ilia Codre licet.
Non ſimulator enim nec vilis hypocrita, cujus
Eſſet doctrinæ diſſona vita, fuit.
Moribus expreſſit ſanctis, quæcunque docebat
Totius, ut ſpeculum digſaque forma, gregis
Nec tot fœdabat ventoſa ſuperbia dotes
Quæ ſolet eximiis peſtis adeſſe viris.
Illorum niſi mortificet poſſeſſa ſupernus
Spiritus, & ſancto corda vigore regat.

Hinc

Hinc conſultus erat cunctis affabilis æque
Nullius os lædens aſperiore ſono,
Comis,& erga homines animo quoscunque benigno
Candidus, inſidiis, invidiaque carens.
Exſulibus Chriſti patuit domus hoſpita ſemper,
Illius & nunquam janua clauſa fuit.
Quos hilaris dapibus veſtitu aut ære juvabat
Aut alia qualicunque fovebat ope.
Pollicitis Chriſti fretus, qui talibus hauſtum
Præberi dixit fructificanter aquæ.
Quanta ſed in rara fuerit prudentia mente,
Non mea pro merito Muſa referre poteſt.
Mentis erat ſummum naturæ munus acumen,
Nec minor ingenii dexteritatis amor.
Hinc facilè in dubiis potuit meliora probare,
Et ne præferret deteriora ſequi.
Nec minus hinc potuit verum diſcernere falſo
Atque gregi ſtructos ante cavere dolos.
Inprimis quorum hæc ſunt tempora plena tumultus
Conſiliis promtis antevenire ſuis.
Pacis enim ſtudioſus erat,ſuaſorque celebris
In columi licuit qua pietate tenus.
Conſiliis habitus gravis auctor & arbiter æquus
Quo ſedanda gravis tempore turba fuit.
Quo Sathanæ livor Chriſti quandoque miniſtros
Tentat,& aut nimium luxuriare facit.
Aut illis pravum fratrem falſumque Prophetam
Excitat,indutum pelle latenter ovis.

Roſto-

Roſtochium teſtis nec non ſpecioſa Lubeca
Si ſit opus noſtris laudibus eſſe queant.
Cumque diu fuerit duris exercita rebus
Et gravibus tellus Teutona preſſa malis
Ille juvans impendentem fulcire ruinam
Conſiliis minuit publica damna ſuis.
Sæpè etiam in magnis cauſis ſacer ordo Senatus
Conſilii gravis eſt ipſius uſus ope.
Miſſus & ad Reges legati munus obivit
Expediens cauſas urbis amore graves.
Hinc & ut imbueret vera pietate Britannos
Puppe per æquoreas miſſus adivit aquas.
Sed non conjugii rupti ſine jure probavit
Propoſitum quamvis Rege jubente nefas
In quo firmabat ſocium diſcrimine Conſul
Weſtedius forti ſtrenuus ingenio.
Munera quos regis terrorve movere potentis
A mentis recto non potuere ſtatu.
Æquora poſt etiam luſtravit Baltica ponti
Et vidit muros Hafnia firma tuos.
Cimbrorum procul ut latis arceret ab oris
Subdola falſiloqui dogmata juſſa * libri.
Tantus zelus erat, ne Chriſti in templa locari
Impia Romuleæ poſſet imago feræ.
Cætera quid memorem benefacta, quibus bene tota
De ſera meritus poſteritate fuit.
Urbis præcipue noſtræ cui pectore toto
Poſtpoſuit vitæ commoda cuncta ſuæ.

Sollici-

* Interim Auguſtanum intellige.

Sollicitus ſemper, partesque intentus in omnes
Ne lue qua faciles inficerentur oves.
Utque ſuæ fidei commiſſum linquere cœtum
Poſſet in incolumi poſt ſua fata ſtatu.
Magnificum fido complexus amore Senatum
Cognitus hunc erga non titubante fide.
Adverſusque levis tentamina turbida vulgi
Tutamen patribus præſidiale fuit.
Jura patrum noſtræ pater ergo vocabitur urbis
Dignus & eſt Jovis urbs quem populoſa colas.
Occidit ante diem, quartum cum degeret annum
Ultra curriculi luſtra peracta decem.
Dotibus & multis dignus virtutibus ultra
Tempora qui Pylii viveret acta ſenis.
Sed nunc depoſito mortali corpore pars eſt
Ætherei cœtus Chriſte benigne tui.
Et te mox reducem ſanctos comitabitur inter
Fulgebitque velut lucida ſtella Poli.
Chriſte tuo populo Doctorem redde ſalubrem,
Qui ſimili paſcat pectora noſtra fide,
Ut tibi communis cum Patre & Flamine ſancto
Gloria perpetuo tempore creſcat. Amen.

I. *Epitaphium*

D. JOACHIMI NIGELEN,

Senatoris Hamburgi.

HOc Joachimus habet tumulo pia membra Nygelus
Qui gnavus patria quæſtor in urbe fuit
Publica

Publica præponens privato commoda lucro,
Grande Senatori quod decus esse solet
Luxque ubi salvificæ doctrinæ clara reluxit
Arripuit Christi dogmata pura fide
Supremumque diem clausit pietate fideli
Lucis & æternæ gaudia salvus habet.

Obiit Anno MDXXVI. die altera post Dorotheæ.

II. *Epitaphium*
D. ORDONIS STEMMELII,
Pastoris ad St. Catharinam.

STemmelius jacet hoc sub marmore conditus Ordo
Hac qui Christigenum pavit in urbe gregem,
Primus & hac contra Papam fuit ausus in urbe
Dogmata cum Stephano * vera sonare Dei
Ergo clara sacri redeuntis in æthere cœtus
Pars erit & veluti lucida stella poli.

Obiit Anno M D XXV III.

III. *Epitaphium*
JOACHIMI WEGEDORI,
civis Hamburgensis.

HOc Joachime jaces tectus Wegedore sepulchro
Angelicæ expectans signa sonora tubæ

* De quo infra Epitaph. XIX.

Per te vivifico hic patefacta est janua verbo
Atque superstitio desiit esse minax.
Obiit Anno M D XXVIII.

IV. *Epitaphium*
D. OTTONIS BREMERS,
Senatoris Hamburgensis.

OTtonis sita sunt hic frigida membra Bremeri,
Conspectu gaudet mens fruiturque Dei
Magnanimus fuit hic nec tarda mente Senator
Publica res quales postulat esse patres.
Virtutum specimen dare cum cœpisset honestum,
Anglicus hunc sudor suffocat ante diem.
Obiit Anno XXIX. in vigilia Jacobi Apostoli.

V. *Epitaphium*
D. CONRADI BESTENBORSTELS,
Senatoris Hamburg.

HIc est Conradus Bestenborstelus humatus,
Perpetua vivit spiritus in requie.
Vir gravis & constans recti spectator & æqui,
Et summo quærens posse placere DEO.
Obiit Anno XXX. Dominica ante purificationis Mariæ.

VI. Epi-

VI. *Epitaphium*

D. JOANNIS SEGENHAGII,

Paſtoris ad St. Nicolaum.

REctor in hoc tumulo Segenhagius hujus ovilis
Sermonisque jacet buccina fida Dei.
Qui licet exiguus divina ſternere funda
Fortiter hac Goliam juvit in urbe trucem.
Scilicet Auſonii mendacia noxia Papæ
Preſſa quibus Chriſti gratia larga fuit,
Non hic blanditiis non eſt vi territus heros
Arriperet viſo quo gregis hoſte fugam.
Nec quemcunque levis flatum nutabat ad auræ
Quaſſa velut leviter nutat arundo notis.
Sed validis quercus velut oppugnata procellis
Perſtitit immoto mens animoſa pede.
Illius ad Chriſtum pervectus ſpiritus ergo
Vivit & æterno tempore lætus erit.

Obiit Anno XXXI. die Antonii.

VII. *Epitaphium*

D. JOANNIS HUGEN,

Senatoris Hamburg.

COrpus Joannis locus hic tenet arctus Hugonis,
Qui bonus eximia mente Senator erat.
Virtutes cumularat in hoc natura verendas,
Sed quibus hunc eſt mors fera paſſa frui.

Obiit Anno XXXI. die Jovis poſt Lætare.

VIII. *Epitaphium*
D. HENRICI SALSBURG,
Equitis aurati, Doctoris Juris & Consulis Hamburg

HIc ego qui jaceo cinis, & Salsburgius umbra
In patria Consul, Doctor, Equesque fui.
I nunc & mundi titulis confide prophanis,
Solus honor durans est metuisse Deum.
Flamma velut stipulæ sic transit gloria mundi
Carnis & exiguo tempore durat honor.

Obiit Anno XXXIII. die Martis post Dominicam Lætare.

IX. *Epitaphium*
D. ALBERTI HACKEMANS,
Senatoris Hamburg.

VIr bonus Albertus numerosa & prole beatus
Non fuit in cujus corpore mica doli,
Depositos habet hic longævi corporis artus
Adjungi expectans pignora cara sibi.

Obiit Anno XXXIII. die Martii in Paschalibus feriis.

X. *Epitaphium*
D. PAULI GROTEN,
Consulis Hamburg.

COnsul in hoc tumulo Paulus cognomine Magnus
Exuvias animæ membra moventis habet.

Vir

Vir pius, & verbi divini verus amator.
Mortuus in Christo vivit habetque bene.

Obiit Anno XXXVII. die Jovis post Epiphania Domini.

XI. *Epitaphium*
D. GERARDI vam HOLTE,
Consulis & Licentiati Juris.

Consul in hoc spacio Gerardus Sylvius arcto
Dormit & expectat judicis ora Dei.
Qui fuit interpres juris consultus & æqui
Et coluit casto pectore justiciam.

Obiit Anno XXXVII. die purificationis Mariæ.

XII. *Epitaphium*
M. GODFRIDI HARMELATIS THEOPHILI,
Rectoris Scholæ Hammipolitanæ.

Hic DEO carus humi tectus sub pondere dormit
Qui fuit hac clarus Rector in urbe Scholæ,
Et pueros docuit Musas & semina verbi
Divini, & comptos moribus esse bonis.
Sed nunc humanos quæ non subiere recessus
Discit in æterna non peritura Schola.

Obiit Anno XXXVII. die Thomæ Apost.

XIII. *Epitaphium*
D. JOANNIS WEDEKINI
Conſulis Hamburg. Mecœnatis ſui humaniſs.

COnditus hic fruitur requie Wedekinus honeſta
Qui vigilans patria Conſul in urbe fuit
Hancq; velut natam pater eſt complexus amore
Unica quæ ſoboles curaque ſola foret.
Corporis atque animi vires ſub mole laborum
Illius impendit pro meliore ſtatu.
Viribus ingenii precioſas addidit artes
In quibus haud leviter ſed bene doctus erat.
Virtutes dotesque Deus cumularat in illo
Quas inter pietas extulit alta caput.
Huic quod habes Jovis urbs divini pabula verbi
Acceptum merito grata referre potes.

Obiit Anno XXXVIII. die XVI. Februarii.

XIV. Epitaphium
FREDERICI OSTRA,
Senioris civis Hamburg.

HAc Fredericus humo ſenior jacet Oſtra ſepultus
Qui Chriſti verbum fovit amore pio.
Sed mens ſidereos metiri aſſueta meatus
In Chriſti gaudet jam ſuper aſtra ſinu.

Obiit Anno M D XXXVII. die Veneris poſt Bartolomei.

XV. Epitaphium

D. ALBERTI WESTEDII,

Conſulis Hamburg.

WEſtedium dolet extinctum cui cognita virtus
Illius, & pietas nota verenda fuit.
Ceſſet livor iners, hunc ulla principe digna
Dote liquet clarum non caruiſſe virum.
Heu mihi quam Cenſore gravi Reſpub. noſtra
Et quam patre bono deſpoliata gemit.
Ille ſed in Chriſto vivit quem ſemper amavit
Et mundum vili pendit, habetque bene.

Obiit Anno XXXVIII. die V. Julii.

XVI. Epitaphium

Clariſſ & Nobilis Viri

MELCHIORIS RANZOVII,

Sereniſſ. Regis Danorum Magiſtri Equitum.

MElchior hic Ranzou ſitus eſt clariſſimus, atque
Nobilibus veteri ſtemmate natus avis.
Qui virtute ſua, multis & dotibus amplæ
Inclyta Ranzoviæ gloria gentis erat
Quem dolet in media ſublatum ætate virili
Cimbria præſtantem magnificumque virum.
Illius in duris induſtria cognita rebus
Danorum Regi commoda ſæpe fuit.

Corporeisque bonis nunquam vitæve pepercit
Pro Domini ſalva proſperitate ſui.
Impiger, aſſiduus, celer, imperterritus, acer
Præfectus pacis, militiæque fuit.
Eloquio gnarus magna cum laude diſerto
Mentis abundanter promere ſenſa ſuæ.
Quantus & extiterit cum res poſcebat in armis
Pallida teſtatum reddere Trava poteſt.
Invida cur Lacheſis non hunc es vivere tantum
Paſſa diu meritum ſtamina longa virum?
Rumpere ſed meritæ nequeas cum ſtamina famæ,
Poſt cineres viget hæc vivaque ſemper erit.

Obiit Anno XXXIX.

XVII. *Epitaphium*

D. DETLEVI SCHULDORPII,

Senatoris Hamburg.

DEtlevus ſitus hic feſſos Schuldorpius artus,
In cœlo mentem non perituras habet
Primus enim Chriſti verbi Doctoribus almi
Præbuit hoſpitium præſidiumque ſuum
Ingenio viguit nec rebus ineptus agendis
Candidus & niveo pectore dexter erat.
Et ſi non Lacheſis penſum rupiſſet avara,
Ille decus patriæ grande futurus erat.

Obiit Anno XL. die XV. Auguſti.

XVIII.

XVIII. *Epitaphium*
D. JOHANNIS SCHRODERS,
Senatoris Hamburg. Soceri ſui cariſs.

JOhannes habet hoc Sertorius oſſa ſepulchro,
Qui fuit hac patribus junctus in urbe viris.
Quem probitas animi pietatis & anxia cura
Juſticiæ in vera continuere via.

Obiit Anno XL. die Laurentii.

XIX. *Epitaphium*
D. STEPHANI KEMPEN,
Paſtoris ad S. Catharinam.

HOc tegitur Stephanus rigido ſub marmore Kempe
Conveniens rebus nomen utrumque gerens.
Nam pro perpetua contendens vincere palma
Ut pugil aſſeruit dogmata vera DEI.
Primus & Hamburgæ divini ſemina verbi
Sparſit ab Auſoniis purificata nugis.
Et poſito vano, Franciſci veſte, cucullo,
Inclytus hac Chriſti paſtor in æde fuit.
Miles ubi contra Balaam ventriſque miniſtros
Pro Chriſti fecit prælia multa grege.
Structaque blaſphemi ſtravit mendacia Papæ,
Victrici ſtricto fortiter enſe DEI.
Ergo ubi militibus Chriſtus ſua præmia reddet
Illius ornabit laurea parta caput.

Obiit Anno XL. die XXIII. Octobris.

EPITAPHIUM ALIUD
Ejusdem, Sapphium.

TEctus hoc ſacro Stephanus ſepulchro
Dormit, & dulci fruitur quiete
Qui fide lætus vigilavit ire,
Obvius agno,
Atque ſuccinctis pietate lumbis
Miles in fida ſtatione manſit
Semper ardentem tenuitque vivo
Lampada lychno.
Inditum fato meritis utrumque
Convenit nomen pugilis corona
Namque pro palma aſſeruit verendi
Dogmata Chriſti.
Primus adverſus Latium tyrannum
Beſtiam ſeptem capitum potentem
Sparſit in clara Jovis urbe ſacri
Semina verbi.
Ventris & contra Balaam miniſtros
Quos lupos Chriſtus vocitat rapaces
Multa pro Chriſti grege dura ſacro
Prælia fecit.
Vique ſcindentis gladii potenter
Aſſerens verbum Domini ſacratum
Stravit idola, & manifeſta diri
Somnia Papæ.
Ergo cum Chriſtus rediens ab alto
Præmium fidis ducibus rependet,
Illius cinget peritura nunquam
Tempora laurus.

XX. *Epitaphium*

D. GERARDI van HUTHLEM,

Senatoris Hamburgenſis.

MArmore ſub rigido ſitus hoc Gerardus ab Huthlem
Magnanima præſtans mente Senator erat,
Et patriæ dulcis ſpectavit commoda ſemper,
Publica privatis præpoſuitque bonis.

Obiit Anno XLII. Decembris VI.

XXI. Epitaphium

D. HERMANNI ROVERS.

Senatoris Hamburgenſis patroni & amici incomparabilis.

HErmannus ſitus hic requiem Roverus honeſtam
Corporis, in cœlo gaudia mentis habet.
Principio patriæ qui Secretarius urbis
Et poſt magnifica mente Senator erat.
Mentis in hoc viguit vis atque induſtria tanta,
Poſſit in urbano quanta vigere viro.
Clarus & eximiis multis virtutibus atque
Ingenii propter plurima dona fuit.
Dulciloquis inerat vis perſuaſoria labris
Et qualem Pylii fama fuiſſe ſenis.
Hinc inter Reges pacem reparare ſequeſtram
Eloquio potuit conſiliisque ſuis.

Prin-

Principibusq; viris placuit bene, gratia quorum
Civibus hunc propter commoda sæpe fuit.
Assiduoque soler studio cordatus & acer
Curator patriæ prosperitatis erat.
Cuncta sed hæc pietas æternæ & cura salutis
Semper in officio continuere suo.
Præcipue est vero complexus amore ministros
Dogmata quos novit tradere pura DEI.
Neve furor Satanæ per diversoria verbi
Divini faceret vique dolisque viam,
Consiliis juvit fidis opponere vallum,
Et grave sustinuit irrequietus onus.
Sed bene temporibus letho subductus iniquis
Non vidit sacri vulnera fœda gregis.
Heu mihi præsidium quantum Respublica nostra
Et decus, hoc uno perdidit orba viro.

Obiit Anno XLIII. die Cyriaci.

XXII. Epitaphium

D. JOANNIS RENZELII,

Senatoris Hamburg.

Renzelium pietas & summum mentis acumen
Nunquam si fas sit commeruere mori.
Sed vix dum mentis præstantia venit in actum,
Nec satis illius cognita virtus erat.
Quod veluti sulcis teneræ resecantur aristæ
Sicut & implumis raptus obivit avis.

Sed

Sed bene ſubductus curis gravioribus urbis,
Aſpectu fruitur jam propioreDEI.

Obiit Anno XLIII. pridie Simonis & Judæ Apoſtolorum.

XXIII. Epitaphium
M. JOANNIS FRITZII,
Paſtoris ad S. Iacobum.

HIc jacet & dulci fruitur poſt fata quiete
Johannes valido Fritzius ore ſenex.
Errantem primus qui Chriſti ad ſepta reduxit,
Et ſacra hac lætum fecit in æde gregem.
Adverſusque lupos ovium ſub veſte rapaces
Continuit fidos in ſtatione pedes.
Et nunc in gremio paſtorum principis orat
Pro grege, ne repetat devia luſtra ſuo.

Obiit Anno XLV. die XIV. Februarii.

XXIV. Epitaphium
D. ALBERTI OLDEHORST
Senatoris Hamburg.

HOc Alberte jaces ſub marmore conditus Oldhorſt,
Qui pius, ingenuus, virque benignus eras.
Curia Te patrum doluit ſibi triſtis ademptum,
Te dolet Aonidum non ſupereſſe chorus.

Sed

Sed nunc ante thronum ſanctorum vindicis agni
Accinis angelico carmina ſacra choro.

Obiit Anno XLV. pridie Bartolomei.

XXV. Epitaphium
D. JOANNIS WOLMARI,
Doctoris Medicinæ & Phyſici Hamb.

QUi medica multis vitam protraxerat arte
Wolmarum mortis ſuſtulit invidia.
Oſſa tegit tellus, ſed ſpiritus ambulat inter
Sidera, ſcrutatus quæ procul ante fuit.
Gaudia perpetuæ referens accepta ſalutis
Vulneribus medicis Lucifer alme tuis.

Obiit Anno XLV. die Martini.

XXVI. Epitaphium
D. JOHANNIS HULPEN,
Conſulis Hamburgenſis.

COnſul ab auxilio ſortitus amabile nomen,
Joannes jacet hic pondere tectus humi.
Præſtitit auxilium qui contra jura gravatis,
Et tulit afflictis ut pater æquus opem.

Obiit Anno XLVI. die Dorotheæ.

XXVII.

XXVII. Epitaphium

D. THEODORUS HOCHUSEN,

Conſulis Hamburgenſis.

QUantus in Hochuſio ſplendor gravitasque fuerunt,
Qui jacet hoc tenuis pulvis & oſſa loco.
Bis tria magnificum rexit per luſtra Senatum,
Pacis ad augendas ſedulus autor opes.
Sed quoniam moriens vera in pieta quievit,
Innixus Chriſto juſtificante fide.
Splendida pars ſanctæ reducis conjuncta catervæ
Cum Chriſto in nivea nube reverſus erit.

Obiit Anno XLVI. die Veneris poſt Dominicam Oculi.

XXVIII. *Epitaphium*

D. HENRICI vam BROKE.

Licentiati Juris & Conſulis Hamburg.

VIrtutes multas & dotes Conſulis hujus
Abſtulit heu nimium mors truculenta cito.
Juſtitiæ ſtudium, pietas, & candor in illo
Debuerant nullo tempore jure mori.
Civibus hoc Conſul quisquam vix carior alter,
Ingenii propter dona benigna fuit.

Obiit Anno XLVI. die Jovis poſt Feliciani.

XXIX.

XXIX. *Epitaphium*
D. JOANNS RODENBORGES,
Consulis Hamburg.

URbis in hoc princeps Consul columenque; sacello
Joannes Rodenburgius ille jacet.
Qui ne divini præsepia præbita verbi
Destrueret Sathanæ vis, furor atque dolus
Corpore susceptit duros & mente labores,
Neglecta vitæ commoditate suæ.
Sed nunc percepta digna mercede laboris
Cum nato fruitur jam requiete DEI.

Obiit Anno XLVII. postridie Antonii.

XXX. *Epitaphium*
D. JOACHIMI SOMMERFELDES,
Senatoris Hamburg.

NOmen ab æstivo sortitus amabile campo
Hoc Joachimus habet condita membra solo.
Qui cum scripsisset patrii secreta Senatus
Factus ob ingenii dona Senator erat.

Obiit Anno XLVII. Sabbato post festum fest assumptionis D. virginis Mariæ.

XXXI

XXXI. *Epitaphium*

Reverendi & Clariſſimi Viri,

D. HERMANNI BONNI,

Eccleſiæ Lubecenſis Superintendentis.

HErmannum triſti ſublatum funere Bonnum
Proſequitur gemitu grata Lubeca pio.
Præſule quo viguit vera pietate, nec ullum
Diſſidium Chriſti ſenſit habere gregem.
Dotibus hic cunctis præſtanti præſule dignis
Præditus & ſummo dignus honore fuit.
Urbs prius hæc habuit nullum clariſſima majus,
Et vix eſt etiam poſt habitura decus.

Obiit Anno XLVIII. Februarii XII.

XXXII. *Epitaphium*

M. JOACHIMI FRANCI,

Paſtoris ad S. Nicolaum.

HIc pia membra jacent Joachimi mortua Franci
Qui fuit hac Chriſti paſtor in æde gregis.
Et vigil excubias non mercenarius egit
Pro gregis æterna proſperitate ſui.
Commiſſasque ſibi ad viridantia paſcua duxit
Atque ſalutari gramine pavit oves.
In quo Doctrinæ ſolidæ vis ardua ſacræ
Juncta verecunda cum pietate fuit
Doctus & interpres ſcripturæ, mente tenebat
Quicquid habent Patres, Biblia quicquid habent.

Hebræique fuit gnarus ſermonis & ore
Romano potuit Cecropioque loqui.
Donaque ſi ſpectes virtutibus addita ſummis,
Paſtoris veluti vixit imago boni.
Simplicitas animi qualem natura columbæ
Indidit, huic inerat candida felle carens.
Serpentina tamen prudentia caſſa veneno
Juncta columbina cum probitate fuit.
Mens gravis, & conſtans, patiens, & fortis eodem
Conſtitit adverſus quælibet auſa gradu.
Non hunc virgineos vultus imitata pudicos
Molliit Auſoniæ triſtis imago lupæ.
Addita nec variis fregit vis aſpera technis.
Ut crucis inſtantis quæreret effugia.
Denique quo verſu complectar cuncta ſub uno,
Electum nati vas fuit ille Dei.
Ad quem nunc Patribus ſanctis ſociatus abivit,
Præbita perpetuæ gaudia lucis habens.

Obiit Anno LI. die Martis poſt
Eſto mihi.

XXXIII. *Epitaphium*
Clariſſimi ac Nobiliſſimi
PETRI SVAVENII,
Sereniſſ. Regis Danorum Conſiliarii.

SVavenius jacet hoc rigido ſub marmore tectus
Stemmate majorum nobiliore ſatus,

Sed

Sed magis ingenio, virtute, & Palladis arte
Nobilis & parto nomine clarus erat.
Argolico doctus cum vellet & ore Latino
Promere dulciloquo verba diserta sono;
Consiliis habitus nec inutilis autor honestis,
Cum res prudentis mentis egebat ope.
Eloquii durum gravitate domique forisque
Sustinuit longo tempore mentis onus.
Et tandem magno fessus sub pondere rerum
Spiritus exuvias liquit ad astra volans.
Lætus ubi cujus semper flagrabat amore
Perpetua potitur Christe quiete tua.

Obiit Anno LIII.

XXXIV. *Epitaphium*
Clarissimi & Nobilis Viri
BENEDICTI SEHESTEDII,

Qui legatum agens Illustriss. Ducis Holsatiæ in Comitiis Augustæ

Diem immature obiit, Anno LI.

HOc Benedictus habet Sehestedius ossa sepulchro,
Rursus in extrema vivificanda die.
Cimbrorum veteri qui clara ab origine cretus
Traxit ab insigni nobilitate genus.
Ingenuas multis virtutibus addidit artes,
Esset ut eloquio consiliisque potens.
Cumque Ducis mandata sui tractaret in urbe
Vindelica, vitam perdidit ante diem.

Heu mihi quam triſtem jacturam Cimbria fecit
Et quantum hoc uno perdidit orba decus.

XXXV. *Epitaphium*
Reverendi & Clariſſimi Viri
D. ERASMI ALBERI, Doctoris Theologiæ & Superintendentis.

ALberum pietas ſublatum flevit Eraſmum,
Cumque petens illo ſydera, liquit humum.
Non fuit hunc odiis vexatum digna nephandis
Ferret ut innocuum perfida terra virum.
Aſt indigna magis ſanctos urbs obruit artus
Improba poſcendæ quæ necis anſa fuit,
Pauper in hoc mundo vitam traduxit & exul,
Exoſus propter libera verba Dei.
Divite nunc Chriſti fruitur contentus amore
Dignaque conſtantis præmia mentis habet.

Obiit Anno LIII.

XXXVI. *Epitaphium*
THOMÆ COPPEN, Regis Danorum quondam Secretarii & poſtea civis Hamburgenſis.

FEſſa Thomas ſenio longævo Cóppius oſſa
Hoc habet extremo vivificanda die.
Qui cum Danorum Regis ſecreta potentis
Scripſerat, hac tandem civis in urbe fuit.

Et

Et Christi senio confectis tecta ministris
Condidit, & census addidit ære suo.
Et tria constituit donata stipendia large,
Pro literis operam dantibus ingenuis.
Ornavitque chorum tabulis geminasque columnas
Subtili sculptis artificique manu.
Denique non illo cunctis è civibus ullus
Largior in Christi templa scholasque fuit.
Sed quia non meritis respondit gratia mundi,
Desera hanc tandem posteritate metet.
Et nunc defunctus mundi livore maligni
In templo Christum splendidiore colit
Moxque reviviscent postremo ubi corpora sole,
Urbis erit Solymæ pars rediviva novæ.

Obiit Anno LIII. octavo die Februarii.

XXXVII. *Epitaphium* D. PETRI de SPREKELSEN, Consulis Hamburg.

PEtrus in hoc tumulo Consul primarius urbis
Frigida deposuit corporis ossa sui
Sed mens cœlestem cum Christo possidet aulam
Et fruitur vivi luce bonisque Dei.

Obiit Anno LIII.

XXXVIII.

De immaturo obitu

D. LUDERI SCHULTEN,

Senatoris Hamburgenſis

Compatris ac Amici ſui dilectiſſimi.

Cum tot clarorum celebraſſem juſta virorum
Triſtibus hunc elegis mors ait adde tuis,
Et mihi dilecti mox rumpit ſtamen Amici
Quod Lacheſis celeri nebat avara manu.
Clamque mihi à tergo turbatam vellicat aurem,
Et tibi mox alius lugubre carmen ait.
Vix dum finierat, triſtis puer advenit ecce
Nuncius interitus care Ludere tui.
Territus obſtupui, meus credere lenta moratur,
Usque adeo ſubiti nuncia verba mali,
Tempus erat roſeo cum jam deſcenderat ore
Pronus ad oppoſitos Cynthius Antipodes,
Sumtaque difficiles jam cœna refecerat artus
Dulcis ut appeteret corpora feſſa ſopor.
Accipio veſtem, greſſum mens ægra fatigat,
Accedo, aſpicio corpus inane, fleo.
Diſcedo tacitus, mecumque dolore repletus
Talia ſollicito corde voluto gemens.
Quid ſuper infidum ſtruimus ſublimia mundum,
Et ſpes quas fingit mens fore fana ratas,
Quis ſibi nunc longæ promittat tempora vitæ,
Vivere vel multas ſperet Olympiades,

Hic

Hic triduum ante mihi ſoſpes dimiſſus amicus
Nunc data carnivoris vermibus eſca jacet.
Suſtulit in medio quem mors truculenta vigore
Dejicit ut ramis poma tenella notus.
Cum tamen aſpicias tot inertia pondera terræ
Decrepitos tremulis paſſibus ire ſenes.
Qualis at? & quot amabilibus virtutibus? atque
Dotibus ingenii prædituſ ille fuit?
Quanta decorabat geſtus & gratia mores?
Quanta fuit nivei pectoris integritas?
Mens ſincera doli nil plus & fraudis habebat,
Candida quàm triſti felle columba carens.
Nonne ſales, lepidique joci, riſusque venuſti
Dulce Viro addebant cum gravitate decus
Quam placidus, quam lenis erat? quam lentus ad iram?
Quam mihi potuit corde moleſta pati?
Quis magis obſequio ſtuduit reverenter amicos
Quis magis integra demeruiſſe fide?
Illius in cunctis induſtria rebus agendis
Summaque ſedulitas ſæpe probata fuit,
Res illi ut tuto poſſet mandare Senatus
Quas bene curatas vellet habere ſuas.
Quanto juſtitiæ ſtudio fervebat & æqui,
Argutæ quantum mentis acumen erat.
Omnia quæ longe ſuperabat cura ſalutis
Æternæ & veræ relligionis amor.
Numquid honorata Vir talis obire ſenecta
Aut nunquam efferri funere dignus erat?
Nunc exangue tamen jacet exanimumq; cada-
Condendum gelida quo putrefiat humo. ver

At tu ſpem votis conceptam mente fovebas
Hunc patriæ columen ſubſidiumque fore.
Conſulis eximii cum ſortiretur honores,
Hisque gravi junctim pondere ferret onus,
Auſpiciis cujus Respublica noſtra vigeret,
Fata modo ſinerent, in meliore ſtatu.
Illa ſed heu nimium, mors arguit omnia vere
Somnia nocturni vana fuiſſe joci.
Irrita quæ veluti foliis mandata caducis
Vexit in obſcurum ventus & aura chaos.
Sed quid agis? tantum gemitu cor lædis inani,
Cum nequeant flecti fata dolore gravi.
Inclyta Saxoniæ ſancti Ducis occidit uxor
Octiduo mortem Conjugis ante ſui,
Enſifer ipſe etiam mox triſtia fata ſecutus
Conjugis egregiæ tectus obivit humo.
Aſcaniæ Princeps quos morte Georgius ambos
Præceſſit ſacri gloria magna gregis.
Unius & tu fers caſum impatienter amici,
Illic quod merito lugeat orbis habet.
Mors quorum extremi ſunt ſigna notanda diei
Et pœnam ſceleris quod cito terra dabit.
Cum DEUS innocuos mundo ſubducat iniquo,
Inque ſuum CHRISTUS colligat ante ſinum.
Nosne igitur miſeros homines meminiſſe neceſſe eſt
Quam celeri mortis curſitet hora pede,
Quam tacitis & quam pernicibus advolet alis,
Dum citius quàm vel reſpiciamus adeſt.
Quandoquidem carni lex inviolabilis omni
Eſt data, cum mortis venerit hora, mori.

Morte

Morte magis certum nihil eſt, incertius horâ
Mortis habet brevis hæc vanaque vita nihil.
Ergo momentaneos cur captes vanus honores,
Corrumpasque tuos ambitione dies?
Purpura cur ſaccum tegat hunc tibi vermiculoſum,
Cur tibi cor ſtolidum copia reddat opum?
Cur tibi diminuat tranquillæ gaudia mentis
Et faciat ſomnos ſtulta cupido breves?
Nil tibi poſſeſſus totus tunc proderit orbis,
Cum Lacheſis penſum rumpet avara tuum,
Atque reluctanti dulci hac excedere vita
Injiciet ſubitas mors violenta manus.
Vive igitur ſemper quaſi præſens, moxque parato
Adferat extremum quælibet hora diem.
Sola voluptates veras & gaudia præſtat
Mens pia quæ nullo ſunt peritura die.
Sic adfectus ego præſtantis morte ſodalis
Excluſi nimiam pectore triſtitiam,
Metiri ſtatuens vera ratione modoque
Hoc reliquum vitæ quod mihi tempus erit.
Et mihi ſic cujus fuerat per commoda vita
Utilis, ejusdem mors quoque facta fuit.
Sed Tu celſa colens dulciſſime Compater aſtra
Æterno ſalve tempore vive, vale.
Et quoniam merito Tibi ſervit noſtra Thalia,
In ciſum lapidi diſtichon illud habe:
Oſſa Senatoris Luderi frigida Schulti
Hic tegit & reteget mox rediviva lapis.

Obiit Anno MDLIV, die XVI. Martii.

Epitaphium ejusdem

D. LUDERI SCHULTEN,

Senatoris.

OSsa Senatoris Luderi frigida Schulti
Hic tegit & reteget mox rediviva lapis.
Qui pius & placidus, justus, sincerus & acer,
Sedulus & niveo pectore dexter erat.

XXXIX. Epitaphium

Strenui-Nobilis & Clarissimi Viri

D. WOLFGANGI POGWISCI,

Equitis aurati, & quatuor Regum Daniæ Consiliarii.

HIc sita Wulfgangi Pogvvisci membra quiescunt,
Majorum veteri nobilitate sati,
Qui virtute sua dignos sortitus honores
Clarus ob ingenii splendida dona fuit.

Magni-

Magnifice geſſit partum, quem fulvus equeſtris
Militiæ aurata poſtulat ordo, ſtatum.
Teutonicoque fuit facundus & ore latino
Mentis ut efferret ſenſa probanda ſuæ.
Ille nec ingenuas artes didiciſſe pudendum
Splendori duxit dedecus eſſe ſuo.
Quatuor illuſtres Danorum regibus aulas
Eloquio rexit conſiliisque ſuis.
Grande decus Patriæ, quo fortunata vigente
Floruit incolumi: Cimbria læta ſtatu.
Vixit honorifice longævus Neſtor ut olim
Verba Pericleo more diſerta tonans.
Doctus ubi fuerat regnum cœleſte parari
In Chriſtum viva juſtificante fide.
Spiritus hic poſito mortali corpore tandem
Tranſiit æterni Regis ad aſtra ſui.

Obiit Anno LIV.

XL. *Epitaphium*
D. VINCENTII MOLLERS,
Senatoris & Quæſtoris ærarii.

INgenio pollens Molitor Vincentius acri,
Hic nece communi victus ab hoſte jacet.
Dilexit patriam, cujus dum quæſtor agebat
Sollicitus curam, tranſiit ad ſuperos.

Sed

Sed quoniam Chriſto mens eſt confiſa benigno:
De victo mortis robore victor ovat.

Obiit Anno LIII. die XXV. Maji.

XLI. Epitaphium

D. NICOLAI VAN DER HOYA,

Senatoris Hamburg.

QUi jacet hic tectus dominus Nicolaus ab Hoya
Longanimus, prudens, & vir honeſtus erat.
Omnibus officiis fovit venerabille verbum,
Nec fuit inconſtans ſicut arundo leviſ.
Illius in cœlo cum Chriſto ſpiritus ergo
Degit & æterno lumine lætus erit.

Obiit Anno LIV. die XII. Septembris.

XLII. *Epitaphium*

M. NICOLAI BARSMANNI,

Paſtoris ad S. Johannem.

HIc dulci fruitur requie Barſmannus, & oſſa
Sacra fatigati corporis exul habet.

Qui

Qui ne fœda gregi præberet ſcandula ſacro
Suſtinuit patriæ vertere dulce ſolum.
Et Chriſti crucis impoſiti grave pondus & æquo
Pectore dulce tulit ſalvificumque jugum.
Mitis enim placidusque fuit patienſque malorum
Prælia nec tumido corde ſuperba movens.
Hinc animæ invenit requiem, vitæque beatæ
Gaudia dilectæ præmia pacis habet.

Obiit Anno LIV.

XLIII. *Epitaphium*
D. HENRICI HESTER-
BERGES,
Senatoris Hamburg.

Juſtitiæ hic cultor rigidus cenſorque ſeverus
Henricus tegitur Heſterebergus humo.
Integer & ſyncerus homo ſine fraude doloque,
Obſervans veri, pollicitique tenax.
Sed jus eſt ideo regni cœleſtis adeptus,
Quod Chriſti meritum credidit eſſe ſuum.

Obiit Anno LIV. die Simonis & Judæ.

XLIV.

XLIV. *Epitaphium*

Clariſſimi, Strenui & fortiſſimi Viri,

D. CONRADI PENNINGII,

Equitis aurati & militiæ præfecti.

ARdua militiæ qui jura ferocis & artes
Calluit, & quo ſint bella gerenda modo
Qui forti toties inſtruxit pectore pugnas,
Et dubium validi Martis obivit opus.
Qui juvit toties cum bello invaderet hoſtes
Sternere victrici millia multa manu.
Conradus celebri clarus cognomine Penninck
Inclyta Saxonici fama decusque ſoli,
Humani generis communi victus ab hoſte
Hic jacet, & tectum marmore corpus habet.
Aurea præclaris rebus calcaria geſtis
Virtutis meruit præmia ferre ſuæ.
Quam fidus fuerit belli præfectus & acer,
Anglica teſtatum reddere terra poteſt.
Gallia cum Belgis cum ſævis Dania Suecis,
Expertis Scotis aſtipulantur idem.
Illius auſpiciis arcem prope noſtra Draconis
Depulſo manſit libera terra jugo.
Quodque levis nimium vulgari in milite res eſt,
Noluit ad verſus belligerare Deum.
Sed pius & verbi divini verus amator
Exemplo juſti Centurionis erat.

Cumque

Cumque diuturno conflixerat ante duello
A valido mortis robore ſtratus humi eſt.
Fortiter oppetiens mortem victorque per illam
Spiritus in Chriſti vaſit ad aſtra ſinum.
Lætus ubi pæana canit de robore victo
Mortis, & angelico gaudet adeſſe choro.

Obiit Anno LV. die V. menſis Februarii.

Epigramma Aſſcriptum

Libro in quem nomina merita & obitus Conſulum & Senatorum referuntur.

REs alias hominum cum mors ſine vindice tollat
Nil in ſola ſui nomina juris habet.
Tramite ſynceræ ſeu ſint ea candida vitæ
Seu turpis vitæ ſint nigra facta notis.
Hæc quoque conſumit tandem longæva vetuſtas
Si non conſervet ſcriptor ab interitu.
Sicut in hac multos habuit ſacer urbe Senatus
Præſtantes factis conſiliisque viros,
Nomina jam quorum tenebris jacuere ſepulta,
In multis paſſim ſparſa voluminibus.
Nunc quibus *Hermanni Roveri* induſtria tandem
Reſtituit lucem quam meruere ſuam
Hujus erat patriæ cum Secretarius urbis,
Et dedit hæc Dominis munera grata ſuis.

Eru-

Eruta qui longa variis jndagine chartis
Uno concluſit non moritura libro.
Quisquis es ergo Patrum cui credita publica res eſt
Fac ſint ut vitæ talia geſta tuæ,
Ut tua ſunt avido cum condita membra ſepulchro
Cum laude hoc poſſis nomen habere libro.
Non hominis ſiquidem poſſeſſio carior ulla eſt,
In longos durans quam bona fama dies.
Non hominis contra poſſeſſio vilior ulla eſt,
Quam quæ non poterit fama ſiniſtra mori.
Autori quas non referunt ſua tempora grates
Poſt modo de ſera poſteritate metet.

SERIES
CONSULUM *
inclytorum
EIP. HAMBUR-
GENSIS
per annos circiter quadringentos.

ONSULUM HAMBURGENSIUM
Quotquot ad manus fuerunt
LOGIA ET VITÆ,
Partim ſeparatim antea editæ,
partim nunc demum
Vulgatæ.

Conſtat ſane, capita Reip. Hamburgenſis quos Conſules hodie appellamus, eos pridem dictos fuiſſe *Proconſules*, quaſi Proto-Conſules, ſive qui præ cæteris Conſulibus (ita enim univerſos Senatores nuncupare tum in more poſitum fuit) auctoritate uterentur & Magiſtratum gererent: Verum quia jam ultra centum annos ille vocabuli uſus propemodum exolevit, nam ne de Rizenbergii Epitaphiis jam A. 1555 editis dicam, Proconſulem quoque meritiſſimum Nicolaum Vœglerum, qui Anno MDLXXXVII. diem obiit, in Epitaphio Conſulem dictum reperio, itaque noſtrorum temporum conſvetudine hoc dare volui, ut Conſules potius quam Proconſules appellarem. Conſului autem in hac ſerie Nobiliſſ. Virorum *Herm. Rœveri* ineditam & *Adami Trazigeri* nepotis typis exſcriptam hujus argumenti commentationem, maxime vero Faſtos nuper vulgatos Magnifici GERHARDI SCHROEDERI, cujus & privatis obſervationibus debere me profiteor, quod nonnulla accuratius tradere potui.

SERIES
CONSULUM
inclytorum
REIP. HAMBURGENSIS,

Sicius van Neſſe. circa A. 1248.
Bernhard van Buxtehude.
erner van Buxtehude.
ertram van Neſſe, Eſicii F.
otfridus ſive Gotſchalck, Adelheidis F.
artvvich van Erteneburch. A. 1293.
erner van Metzendorp. Superfuit ad huc A. 1316.
ohann Miles. Vixit adhuc A. 1327.
idemann Uppemperde A. 1308.
ohann Horborch, ab A. 1311. ad 1348.
ohann von dem Berge, Senior, circa A. 1323.
enricus Miles. A. 1332.
Nicolaus Franſoiſer ab A. 1337. ad 1348.
Gœdeke Ibinck, vixit ad huc 1346.
Johann Witte.
Nicolaus de Monte (Claus van dem Berge) ante A. 1341. ad 1344.
Thidericus Uppemperde ab A. 1341. ad 1348.
Hellingbernus Hetfeld ab A. 1341. ad 1350.
Johann Miles ſ. Militis, Romam ante ablegatus, Conſul 1352. obiit 1361.
Henricus Hope ab A. 1362. ad 1367.

Henricus de Monte. ab A. 1362. ad 1380.
Bartram Horborch. - 1364. - 1394.
Henricus Hoyeri. - - 1364. - 1375.
Diederich Wrack - 1365. - 1367.
Chriſtianus Militis ante - 1373. - 1374.
Wernerus de Wyghersen - 1375 - * 1380.
In locum Chriſtiani Militis, fortaſſe.
Ludeke ſive Ludolf Holdenſtede 1376. - 1389.
in locum Henrici Hoyeri.
Henricus ſive Heino Ybing - 1381. - 1390.
in locum Henrici de Monte.
Chriſtianus Militis, Junior - 1381. - 1419.
in locum Werneri de Wygherſen.
Marquardus Schreye - 1390. - 1422.
in locum Ludolfi Holdenſtede.
Meinardus Buxtehude - 1391. - 1415
in locum Heinonis Ybing.
Johannes Hoyeri - 1395. - 1409
in locum Bertrami Horborch.
Hilmarus Lopovv - 1410. -
in locum Johannis Hoyeri.
Jo. Luneborg - - 1411 - 1440.
in locum Hilmari Lopow.
Henricus de Monte - 1415. - 1452
in locum Meinardi Buxtehude.

Hen-

* Adamus Tratziger memorat Epitaphium hujus Werneri in templo S. Petri quo traditur obiiſſe die feſto S. Johannis Baptiſtæ A. 1376. Sed hoc Epitaphium neque in templo neque inter inſcriptiones Hamb. reperi.

nricus Hoyeri ab A. 1417. - 1446.
Ab Anno 1417. *ad* 1440. *Consul honorarius fuisse videtur, vir hic meritis quam plurimis & Legationibus ad Concilium Constantiense aliisque pro Rep. obitis insignis, at ab A.* 1440. *Consulatum ordinarium gessit post obitum Johannis Luneborg.*

hann Wyc sive Wige, - 1420. - 1436.
in locum Christiani Militis Junioris.

ernard Borsteld, - 1423 - 1428.
in locum Marquardi Schreye.

icco de Hove - - 1430. - 1441.
in locum Bernardi Borsteld.

Simon de Utrecht - 1433. - 1437.
in locum Johannis Wyc sive Wige.

enricus Kœting - 1438. - 1464.
in locum Simonis de Utrecht.

hidericus de Luneburg - 1442. - 1458.
in locum Vicconis de Hove.

ricus de Tzevena - 1447. - 1448.
in locum Henrici Hoyeri.

etlevus Bremer - 1449. - 1467.
in locum Erici de Tzevena.

hidericus Gerleveſtorp - 1452 - 1455.
in locum Henrici de Monte.

* Hujus Simonis de Utrecht & quorum nominibus deinceps Asteriscum appositum videbis, Epitaphia recurrunt in Inscriptionibus Hamburgensibus Viri Nobilissimi, Theodori Anckelmanni, quas una cum Auctario recudi curavi ad calcem Lambecii Originum Hamb. 1706. fol.

Henricus Lopovv ab A. 1456. ad 1470.
in locum Thiderici Gerleveſtorp.

Henricus Leſemann - 1459. - 1464.
in locum Thiderici de Luneborg.

Ericus de Tzevena, Junior, - 1465 - 1478.
in locum Henrici Kœting.

Albertus Schilling - 1465 - 1481.
in locum Henrici Leſemann.

Henricus Murmeſter ab A. 1468 ad 1481
in locum Detlevi Bremer.

Jo. Meiger - - 1472 - 1485
in locum Hinr. Lopow.

Jo. Huge - - 1479 - 1499
in locum Erici de Tzeven.

Hermann Langenbecke - 1481 - 1517
in locum Henrici Murmeſter.

Nic. de Schvvoren - 1481 - 1490
in locum Alberti Schilling.

*Henning Bühring ſ. Buerinck - 1486 - 1498
in locum Johannis Meigeri.

Carſten Berſchamp - 1493 - 1511
in locum Nicol. de Schvvoren.

Detlev Bremer - - 1499 - 1506
in locum Joannis Huge.

Ericus van Tzeven - 1499 - 1504
in locum Henningi Bühring.

Barthold vam Rhyne - - 1505 - 1524
in locum Erici van Tzeven.

Marquard vam Lo - 1507 - 1519
in locum Detlevi Bremer.

Jo.

Jo. van Sprekelſen, Anck. 56. - 1512 - 1518
In locum Carſten Berſchamp.
Nicolaus Tode - - 1517 - 1524
in locum Herm. Langenbeck.
Thidericus Hohuſen - 1517 - 1546
in locum Joh. von Spreckelſen.
Gerhard vam Holte - 1521 - 1529
in locum Marqu. vam Lo.
Einricus Salsborg - 1524 - 1532
in locum Bartholdi vam Rhyne.
. Hülpe - 1525 - 1546
in locum Nicolai Tode.
. Wetken - 1529 - 1533
in locum Gerhardi vam Holte.
aul Grote - - 1532 - 1537
in locum Henrici Salsborg.
ert Weſtede - - 1533 - 1538
in locum Joannis Wetken.
Rodenborg - - 1537 - 1547
in locum Paul Grote.
ter van Spreckelſen - 1539 - 1553
in locum Albert Weſtede.
gen Plate - - 1546 - 1557
in locum Joannis Hülpe.
icus vam Broke - 1546 - 1548
in locum Thiderici Hohuſen.
thias Reder - - 1547 - 1571
in locum Joannis Rodenburg.
mar Koel - - 1548 - 1563
in locum Henrici vam Broke.

*Albert Hackmann - -	1553 - 1584
in locum Petri van Spreckelſen.	
Lorenz Niebur - -	1557 - 1580
in locum Jurgenii ſ. Georgii Plate.	
*Hermannus Wetken -	1564 - 1593
in locum Dithmari Koel.	
Everhard Möller - -	1571 - 1588
in locum Matthiæ Reder.	
*Pavvel Grote - - -	1580 - 1584
in locum Laurentii Niebur.	
*Jo. Niebur - -	1581 - 1591
in locum Alberti Hackman.	
*Nicolaus Voegler -	1585 - 1587
in locum Pawl Grote.	
*Joachim vom Kampe - -	1588 - 1594
in locum Nic. Voëgleri.	
*Diedrich van Eitzen -	1589 - 1598
in locum Everhardi Mœlleri.	
*Erich van der Fechte -	1591 - 1613
In locum Jo. Niebueri.	
*Joachim Beckendorp -	1593 - 1614
in locum Hermanni Wetken.	
Diedrich vom Holte - -	1596 - 1605
in locum Joachimi vom Kampe.	
Vincent Möller - -	1599 - 1621
in locum Diederici van Eitzen.	
*Eberhard Tvveſtreng -	1606 - 1609
in locum Diederici vom Holte.	
*Hieronymus Voegler -	1610 - 1642
in locum Eberh. Tweſtreng.	

ebaſtian von Bergen - - 1614 - 1623
in locum Erici van der Fecht.
. Wetken - - 1614 - 1616
in locum Joachimi Beckendorp.
rthold Beckmann - 1617 - 1622
in locum Joh. Wetken.
oachim Claen - 1622 - 1632
in locum Vincentii Molleri.
lbrecht van Eitzen - 1623 - 1653
in locum Bartholdi Beckmanni.
Ulricus Winckel - 1624 - 1649
in locum Sebaſtiani à Bergen.
o. Brand - - 1633 - 1652
in locum Joachimi Claen.
artholdus Moller - 1644 - 1667
in locum Hieron. Voegleri.
Nicolaus Jarre - 1650 - 1678
in locum Ulrici Winckel.
o. Schlebuſch - - 1653 - 1659
in locum Joannis Brand,
Petrus Lütkens - 1654 - 1670
in locum Alberti van Eitzen.
Wolfgang Meurer - 1660 - 1662
in locum Joannis Schlebuſch.
Barthold Tvveſtreng - 1663 - 1668
in locum Wolffgang Meureri.
* Jo. Schroetering - 1667 - 1676
in locum Bartholdi Moller.
* Jo. Schulte - - - 1668 - 1697
in locum Bartholdi Tweſtreng.

Broderus Pauli - - 1670 - 1680
in locum Petri Lütkens.
Jo. Schrœder - - - 1676 - 1684
in locum Joannis Schroetering.
Henrich Meurer - - 1678 - 1690
in locum Nicolai Jarre.
Dietrich Möller - - 1680 - 1687
in locum Broderi Pauli.
Jo. Schlüter - - 1684 - 1686
in locum Henrici Meurer.
Joachim Lemmermann - 1684 - 1704
in locum Joannis Schrœder.
Henr. Meurer reſtitutus plenarie - 1686 - 1690
defuncto Joh. Schlüter.
Petrus Lütkens - - 1687 - -
in locum Dieterici Mölleri.
Jo. Dieterich Schafshauſen - 1690 - 1697
in locum Henrici Meurer.
Hieron. Hartvvig Moller - 1697 - 1702
in locum Joannis Schulte.
Petrus van Lengerke - 1697 - -
in locum Jo. Dieterici Schafshauſen.
Julius Surland - - 1702 - 1703
in locum Hieron. Hartwigi Molleri.
Gerhard Schrœder - - 1703 - -
in locum Julii Surland.
Paulus Paulsſon - - 1704 - -
in locum Joachimi Lemmermanni.

MEMO-

MEMORIÆ
Magnifici VIRI,
. MATTHIÆ RHEDERI,

In

elyta Hamburga Proconſulis optimi,
& amplisſimi, veræque pietatis ſtudio,
ac virtute præſtantiſſimi:

ui dignitate Senatoria, & ſummo pro-
nſulatus honore conſpicuus, totos quadragin-
ta duos annos, conſiliis prudentiſſimis
tranquille ac feliciter patriam
gubernavit,

Et VIII. Calend Decemb., Anni M.D.LXXIX placide ad Deum migravit.

Carmina Amicorum.

1.

MATTHIÆ RHEDERI,

Filii in obitum dilectiſſimi ſui parentis.

ULtima fila tuæ, Genitor dulciſſime, vitæ,
Colle moras niveo dum traho, Parca legit:
Nec vidi tam fata mihi lugubria, ſenſi,
His tamen externa cor regione premi.

Præ-

Præscia mens quoties flevit : quod abire pararet
Obvia per somnos sæpius umbra mihi.
Quam suaves vultus, quam mitia corda reduxit
Nox mihi, sic superans lucis opaca jubar:
Te sine, quod lacrymis me destinat, atque tenebris
O nox luce nitens versicolore magis.
Dum tamen inferiis genitor dilecte parento
Ista tuis, fletu serta rigata meo,
Hos cape supremos nati lugentis honores,
Exequiis fumet, tam pia myrrha, tuis.
Hæc adolet pietas & amor jam consecrat urnæ,
Hæc desiderii pignora fida mei,
At madidæ dum rore genæ, vultusq; liquescunt,
E lacrymis vernent lilia mœsta meis :
His operosa tui monumenta adjuncta sepulchri
Testentur misero spes mihi quanta cadat.
Præsidiumq; orbo, quantum te præside ademto,
Quamq; erepta mihi, dulcia vota patris.
O potius tecum primæ sub flore juventæ
Optarim tumulum consociare meum.
Sed pia vata vetant, naturaq; sævior, ævum.
Hinc ducam in tenebris, lux quia demta mihi,
Donec & his tenebris exutus in æthere puro
Fratre, Dei unigena, teque parente fruar.
O properent rapido decurrere talia passu
Tempora, dilectum restituantque patrem.

2. VIN-

2.

VINCENTII MOLLERI, E. C. F.

Ondidit hoc tumulo funebria triſtia ſolvens:
'iſcera prærepti patria mœſta patris.
nbriviæque decus terræ, ſanctique ſenatus
)ux pius, exanimi cum cinere umbra foret.
bene apud memores ſtans gratia & ardor honeſtus,
n gelido faceret corpora viva rogo.
lentes adolens violas, mœſtamq; cupreſſum,
Exequiis vernans unde reſurgat honor.
mq; ubi vita, decus florum ſuperadditur, illi
Quod nihil eſt, nec honos, nec ſociatur amor.
ıc non funus iners, ſed nobile fœnus agendo,
Virtutum exuvias mœſta recondit humus.
t terris patriæque datum: bis quinque peracta,
Terque tria ereptum luſtra tulêre ſenem.
ɔnſpicuum pietate ſacra, virtute coruſcum
Et feſſum, ut patriæ ſuſtinet unus, onus.
ſce levat tanto demum mors atra, laborem,
Compenſat nivei marmoris alma quies.
ac tamen hac tantum fruitur pars terrea in urnis,
Sub pheretri donec mole ſepulta cubat.
ed niveæ menti, terrena mole ſolutæ
Traductæ ex humili puluere ad aſtra DEI,
ɔrs longè melior pro ſorte priore reperta eſt,
Conformisque Deo, vitam agit ante Deum.

3. NI-

3.

NICOLAI CAMPERI
Stadenſis.

CUr ſic aſſiduo turgent tibi lumina fletu?
Crebra quid ex oculis profluit unda tuis?
Quid lacrymis vultum perfundis? & ora madore
Muſa rigas? tanti quæ tibi cauſa mali?
Fallor? an occubuit Rhedero ſanguine cretus
Conſul, Gambrivii duxque paterque ſoli?
Scilicet ille jacet: quid non fata improba tentant,
Hei mihi quàm ſubito mors inopina venit!
Cingite funeſta Muſæ pia templa cupreſſo,
Cingite pullato tegmine triſte caput.
Non niſi lugubres referant modo plectra Camœnas,
Littera nunc hei hei nunc Hyacinthe ſonet.
Atria ſordeſcant, prudentis tecta Senatus,
Et plorent madidis aſpera fata comis.
Pectore dilaceret ſævo Reſpublica planctu,
Ereptum lugens pectore mœſta patrem.
Illius occubuit ſiquidem dux, cultor honeſti,
Virtutis, fidei, juſticiæque decus.
Cui vel conſilio, vel dextrè rebus agendis,
Patria non habuit, non habitura parem.
Relligione Numam, antiquum gravitate Catonem,
Vicit, perpetuò vivere dignus erat.
O ſpes fallaces, ô fati haud mollia jura,
Volvitis heu quantis pectora noſtra malis!

Quam

àm male fraudantur tantis hæc ſecula donis!
O quàm nunc merito patria terra dolet!
lta viri virtus, pietas, candorque, fidesque,
llius ad tumulum pectora tunſa ruunt.
pilli patrem, civilis turba parentem
Luget: crebra piis fletibus ora rigans.
taceam viduæ ſuſpiria mœſta maritæ,
Et luctus orbæ lachrymulasque domus.
uid referam gemitus, iterataque vota Senatus,
Curia rectorem quærat ut orba ſuum.
on ſecus ac fido puppis ſpoliata magiſtro,
Quam rapit unda, refert vis inimica Noti.
uid moror? omnis eum ſexus gemit, omnis & ætas,
Fœmina, vir, juvenes, cum puerisque ſenes.
u quoque (quem ſocium ſtudiorum fata dedere
Ipſa mihi) luges mente animoque patrem.
pater, exclamans, jubeant ſic fata benigna,
Ut tibi morte mea ſit redimenda ſalus.
pater, ah equidem, cur me non invida ſoluit
Sors magis in cinerem quam raperere mihi?
unc mihi talem rapis ô ſors invida patrem?
Hoc cur defuncto vivo ſuperſtes ego?
t moriar certe: & reliquum quod reſtat agendum
Vitæ hujus, mœſtus, ſolus, & æger agam.
Et lucem poſthac fugiam, potumque cibumque,
Ut te præcipiti per Styga morte ſequar.
Parce rogo teneros lachrymis affligere ocellos,
Parce etiam manes ſollicitare patris.

Quid

Quid cor inutilibus rumpis juvenile querelis?
Mortem te luctu posse movere putas?
Falleris ah juvenes æquè rapit illa senesque,
Et ratio hanc unquam flectere nulla potest.
Scilicet omne suos repetit, repetetque recursus,
Et gaudent reditu singula quæque suo.
Terra sumus, terræ properamus reddere corpus,
Inque redire umbram quæ levis umbra fuit.
Parce igitur lachrymis, cessa lugere beatum:
Luctus obest vivis, nec juvat exanimes.
Nosti etiam quod morte datur conscendere ad arcem
Ætheream, & vitam quæ sine fine manet.
Nam licet ipsa semel Parcæ vitalia rumpant
Stamina, falce necis vitaque cæsa cadat:
Non tamen interea semper teget arida tellus
Corpora, nec mentes mors truculenta necat.
Incolit æthereas arces qua venerat antè
Spiritus, ast tumulo molliter ossa cubant.
Suaviter hac recubat consul Rhederus in urna,
Adventum expectans optime Christe tuum.

4.

ALBERTI TWESTRENG, HAMBURGENSIS.

DUX sacer astrorum, gelido vicina trioni
Regna petit, rapidis Sol ubi fessus equis.
Terra rigens, adoperta gelu, concretaque stricto
Frigore, ob ereptum congemit orbe jubar.

Pro-

Projicit, & virides deducta fronte coronas,
Pulchraque de flavis tergit amoma comis.
At minus instanter plorat, rarasque querelas
Spargit, dum gratas cogitat ire vices.
Quando jubar geminet blandum, radiisque receptis
In nitido ponat grata trophæa polo.
Talis imago domus, luctu gemituque fatiscens,
Plorat ob extinctum dum spoliata patrem.
Amissum dum deflet herum, ducique parentis
Luget ad extructos, corpus inane, rogos.
Crinibus exululat ruptis, & pectora plangit,
Et lacrymis madidas imbuit illa genas:
At luctum imminuens Spes alma, levansque querelas,
Stamina, ait, propero sunt reditura gradu:
Cum commissa sibi tellus justissima reddet
Quæ fovit molli, dona sequestra sinu.
Nititur his monitis mœstos evincere luctus,
Tristraque abstergit lumina sæpe manu.
Sed tamen instat amor, desideriumque recurrit
Et desolatæ plurima cura domus.
Non modo funestam jubet hæc assumere vestem
Et mutare nigris candida texta togis,
Læticiaque omni tristi de mente fugata,
Lumina lugenti mœsta notare manu.
Non gravis hæc domui tantum natisque relictis
Imminet, ob chari funera mœsta patris:
Urget at agnatos, & tristes urget amicos,
Ut fletu & lacrymis tristia justa parent.

Percipit orba quidem ingratum reſpublica luctum,
Tactaque tam triſti patria clade gemit.
Hinc omnes merito dum publica vulnera tangunt,
Prægravis erumpit non ſine jure dolor.
Sed non ſentit humus crudeles conſcia fletus,
Non dolor & lacrymæ ſtructa ſepulcra movent.
Manibus haud proſunt mœrenti pectore fuſi
Cum lacrymis gemitus, cumq; dolore preces,
Spiritus Elyſiis qui lætus obambulat aruis,
Reſpuit inferiis thura ſacrata ſuis.
Gaudet & unigenæ jam totus imagine nati,
Hunc veluti vitem fertilis uva manet.
Qualiter aſſociat ſibi junctam arteria venam,
Illius ut vita huic ſuppeditetur ope.
Eſſe ſibi curæ nec deſpicit ille petentem,
Non eſt æterno frons ita dura DEO.
Eluit hic omnes nivea de mente querelas,
Mœſticiæque ſeges hoc duce pulſa fugit.
Pulſa fugit nigri ſub regna immania Ditis,
Structa viget querulis qua domus atra modis:
Regna ſubit vacua aptus amor, dulcisq; voluptas
Replet & æternis pectora læta bonis.
Oblectant citharæque ſoni, cantusque juventæ
Æthereæ, blandum dum canit illa melos.
Hæc quia ſecuros remanet ſors optima manes,
Et tam certa ſacro gaudia parta throno.
Flebilibus domus orba modis, & mœſta querelis
Humida quid miſeris luctibus ora rigas?

Qui

Qui præclara refers & nomina, & ora parentis,
Quondam amor egregii deliciæque ſenis.
Siſte graves cum fratre modos, lacrymisque reſiſte,
Num dolor in culta fronte perennis erit?
Deſine triſte modis querulis convellere pectus,
Num te lugentem longa videbit hyems?
Quin magis illius laudes atque inclyta facta,
Exhibeant tantum corda profeſſa patrem.
Fulgeat in vita patriæ virtutis imago:
Deſertosque juvet laus rediviva ſenis.
Heſperus occiduis veluti cum mergitur undis,
Pulchrius Eois exerit ora plagis.
Hanc tamen hanc laudem tenui memorare loquela
Eſt humeris impar ſarcina vaſta meis.
Atque adeo tantis impar facundia rebus,
Suſtinet, haud illis ſolvere vela modis.
Lembus in exiguo ſic ſuetus margine lymphæ,
Horret in immenſo carbaſa ferre ſalo.
Adde quod includat vocem, linguamque coarctet,
Qui valide torquet pectora mœſta dolor.
Eſt opus hoc pia Muſa tuum moduleris honore
Exequias meritò, Diva vocata, novas.
Inclyta nec claræ cantes primordia ſtirpis,
Et vera præſtans integritate genus.
Nec gentem & proavos, præclaraque nomina jactes,
Non ſunt iſta tui crede laboris opus.

Digna licet repetat veteris præconia laudis
Inter honoratos, Nobile nomen avos:
Excellens Henetis præsul Volmarus in oris.
Cujus erat decori rubra thiara comis.
Krantzius Arctois mansura volumina terris
Qui dedit Hammonii fama secunda soli.
Antistesque sacer legum Oldendorpius, Euro
Cujus & occiduis nomina nota plagis.
Ista sed externæ quoniam sunt præmia laudis,
Diva cave blandis enumerare modis.
Nec patriæ dotes, atque ardua facta recense,
Non facit ad solidum publica causa decus.
Si genus ob clarum, tantum, patriæque decorem
Quisque beatus erit; quisque beatus erit.
Omnibus ex uno genus est & origo parente,
Qui paradisiaco jugere cultor erat.
Ingenuos tantum mores, animumq; benignum,
Virtutesque animi tam bona rara refer.
Prima fuit sanctis mox præstans moribus ætas,
Non menti intentans tristia bella piæ.
Prompta pati leges, & mitia jura vereri,
Apta piis monitis cedere, ferre jugum,
Arguit hoc validum grandævo in corpore robur,
Et veneranda albis longa senecta comis,
Cum viridis scelerum gravis & sentina juventus
Luxuriansque feri more superbit equi.
Canitiem fœdat vitiis, morbisque fatigat
Corpus, & in medio languida vere cadit.
Inde pius didicit primordia dulcia linguæ
Ausoniæ, & vitæ dogmata sacra piæ.

Post-

Poſtmodo ne laribus, virtus ſegneſceret arctis
Ceu decus amittunt lilia clauſa ſinu.
Fata ſequens, patrio dubias à littore fecit
Occidua impavida per freta puppe vias.
Mitibus atque auris uſus, ventoque ſecundo,
Contigit audaci Gallica regna rati.
Nec freta dura fidit merces portante carina,
Auri dura ſitis non grave juſſit iter.
Sedulus extremos fugit ut mercator ad Indos,
Ut referat lætus, quas ita anhelat opes:
Gallica ſpectator veluti ſubit oppida mores,
Atque animi ſitiens nobiliora bona.
Hæc facili poſtquam peperit mens optima ſorte,
Patria fert grato vela recepta ſinu.
Nec tantum Oceani variis ambagibus acto,
Securos portus, hoſpitiumque dedit.
Nec tantum veteri prognatam ſtirpe maritam,
In thalamum fauſta pronuba mittit ave,
Faſces ipſa ſuos hinc ſubjicit, ordo Senatus
Eligit imperio conſiliisque ducem.
Hac ſtatione vigil, fervens pietatis amore,
Officii fecit munia ſancta ſui:
Juſtitiæque tenax, rectique cupidine flagrans,
Patria felici commoda fovit ope.
Quis gravitate prior? vera quàm cautior arte,
Direxit clavum qua ratis ipſe ſuæ.
Nemo illo citius triſtes ſentire procellas,
Et potuit dubiis antevenire malis,
Nemo illo melior ſyrtes vitare minantes,
Et potuit dubiis antevenire malis,

Nemo illo melior ſyrtes vitare minantes,
Vertere & in portum carbaſa ſalva ſuum.
Inde favens ſacris, generoſa mente Camœnis,
Atque fovens fidei lumina prima ſacræ,
Aurea Gambriviis renovavit ſecula terris,
Condidit & patrio tempora læta ſolo.
Hinc etiam ut patriam lethali cuſpide Mavors
Perculit incenſam contemerando fidem:
Unanimi patrum voto delectus in armis,
Obtinuit clari militis omne decus.
Enſiferoque Duci pietate fideque probatus,
Incolumis retulit ſalva trophæa domum.
Conſpicuumq; decus per tanta gravamina vitæ
Patribus, & patriæ gratius inde fuit.
In patriæ gremio, tranquilla pace virentis,
Maturum donec, fata tulere ſenem.
Atque piam mentem, niveo fulgore coruſcam,
Traduxere tuo Chriſte benigne ſinu.
Lumine qua vero fruitur, qua deficit umbra,
Qua tenebras mortis fugit, ovatque DEO.

Elogium Breve

PRÆCLARI CONSULIS NICOLAI VOGLERI, J.U.L.

TAntum eſt Vogleriani nominis apud Hamburgenſes decus, tanta celebritas, quam Parens *Nicolaus* & filius potiſſimum *Hieronymus*

nymus, qui ambo ad clavum Reip. ſederunt, virtute ac meritis ſibi ſuis jampridem peperere, ut nulla illam ætas extinctura ſit, nulla poſteritas obliteratura. Nicolaus, ex honeſtiſſima natus familia poſtquam dexteritas ejus & prudentia in rebus gerendis innotuit, inter Reip. Secretarios cooptatus fuit A. MDLI. & interjecto tempore Archi Grammatei, ſive Protonotarii, Anno MDLX. Senatoris munere fungi cœpit. Hoc ipſo tempore factum eſt, ut unà cum Viris Nobiliſſimis D. *Wilhelmo Mollero*, Syndico Reip. & *Hermanno Wetken* Senatore ablegaretur ad Comitia quæ Ratisbonæ tũ celebrabantur, ubi controverſia quæ Ampliſſimo Senatui cum Rev. Capitulo interceſſit feliciter non modo finita fuit, ſed & civitatem Hamburgenſem per publicum Imperatoris & Ordinum Imperii decretum Pace religioſa comprehendi contigit, unde lites quæ flagrabant graviſſimæ de religione ſuſpenſæ, & per transactionem Bremenſem præſentibus ex parte Senatus Ampliſſimis Viris *Alberto Hackmanno*, *Laurentio Niebuero* & *Hermanno Wetkenio*, placide compoſitæ ſunt. Conſulares faſces Voglero commiſſos eſſe conſtat poſt exceſſum inſignis viri *Pauli Grote* Anno MDLXXXV. die XXI. Febr. ſed quam dignitatem omni cura ſtudio contentione in ſalutem Reip. gerere inſtituit, hanc ei diu ornare non permiſerunt fata, quibus poſt biennii decurſum Anno MDLXXXVII. ad diem XV. Dec. extinctus non mediocre deſiderium ſui reliquit. Uxores habuit duas, unam

Margaretam D. *Georgii Platenii* Consulis filiam natu maximam, eaque A. 1562. die 25. Nov. extincta alteram *Annam*, filiam *Hieronymi Bissenbekii* Senatoris, è qua præter alios liberos suscepit filium Hieronymum Voglerum, virtutum paternarum dignitatumque heredem, cujus meritis, (ignoscent meritissimi de Rep. viri manes) Parens ipse, lætus hac victoria, palmam cesserit. De hoc infra erit dicendi locus, jam filiæ Annæ Epitaphium adscribere juvat, quod eodem dignæ quoque Patris laudes continentur:

In Obitum

ANNÆ, filiæ NICOLAI VOEGLERI,
J.U. Lic. & Reip. Hamb. Senatoris ac præfecti
Arcis Bergerdorph:
Nuptæ
ALBERTO OLDENDORP,
& 17. Sept. 1582. defunctæ Epitaphium scriptum
à
CHRISTIANO NARENDORPH, subjectumq; HENNINGI MEYERI, Ecclesiastæ Buxtehudensis in eandem Epicedio.

Anna ego *Nicoleo Væglero* hic nata quiesco,
Est mihi nam talem laus habuisse Patrem.
Quem doctrina, fides, pietas, sapientia, candor
Vivaci passim nomine in orbe ferunt.
Cumque sit humanus verbis, factisque benignus
Omnibus, & gratum lingua diserta facit.

Albertus

Albertus proavis *Oldhorſt* oriundus honeſtis,
Elegit ſponſam me ſociamque tori.
Cum quo transegi duo luſtra & quatuor annos,
Pace bona thalami fœdera caſta fovens.
Ac licet immenſa curarum mole gravarer,
Attamen in CHRISTO ſpes mihi fixa fuit.
Pectore tranquillo mala fortiter omnia vici,
Opponens brevibus gaudia longa malis.
Perpetuo reſtant vitæ capienda futuræ
Gaudia, quæ CHRISTI ſanguine parta mihi.
At tandem partus magno ſuperato dolore
Diſcedens terræ cœlica regna colo.
Ter duo deſerui fœcundi dulcia lecti
Pignora, quæ matris ſpesque fuere patris.
Illa DEO rurſus commiſi mortis in hora,
Qui volet illorum tutor & eſſe Pater.

Elogium Breve
Excellentiſſimi CONSULIS
SEBASTIANI A BERGEN.
J. U. L.

SEbaſtianum à Bergen in lucem edidit Hamburgum ex clara Bergeniorum ſive Montenſium familia Anno reparatæ ſalutis MDLIV. Hic poſito in patria ſchola tirocinio litterarum, non cruda ſtudia propulit in Academias, cum natus eſſet annum unum ultra viginti. Wite-

bergæ licentiam juris utriusque docendi antiquo & solenni ritu accepit, Anno MDLXXXII. Professoribus quoque publicis inclytæ illius Academiæ adscriptum reperio, nec pauca specimina ingenii atque industriæ edidisse, quæ typis impressa extant, ut *Enunciationes XLI. de Pœnis*, *Theses de constituta pecunia*, *Disputationes quatuor de donationibus & testamentis*, *subjectas explicationi institutionum imperialium*, itemque *de tutelis dissertationes duas*, nescio an etiam alia. In patriam revocatus est Anno MDLXXXV, ut Reip. à secretis esset, tum in Amplissimum Senatorum Ordinem adscitus Anno MDCI. denique Consulari auctus fastigio Anno MDCXIV. in locum Erici van der Fechte Viri præstantissimi. Reip. caussa legationes obiit ad Comitia Ratisbonæ celebrata Anno MDCVIII. tum ad Regem Daniæ Ducemque Saxonico Lauenburgicum & alios Principes. Ei quoque potissimum debent Studiosi, quod insignis Bibliotheca prope ædem S. Johannis ipsorum usibus dicata quothebdomadis per quinque dierum quadrihorium patet. Hanc interjecto tempore ut præclaris thesauris librariis Tassii, Jungii, Slegelii, Sellii, & nuper Placcii τὰ μαναρίτα, codicibusque quibusdam MStis à Luca Holstenio legatis egregie locupletari contigit, ita non inficiandum ei inprimis ornamentum accessere Consulis ipsius laudatissimi, & qui relictam ab eo sine liberis Viduam *Gertrudem Molleriam* duxit, celeberrimi Viri Friderici Lindebrogii

Biblio-

Bibliothecæ. Quid dicam de legato locuplete quod Lindebrogianum vulgo audit, Conſuli autem potiſſimum in acceptis referri oportet, quo Eccleſiis, quo Profeſſoribus Gymnaſii, quo diſcipulis in ſchola Johannea & Pauperibus liberaliter eſt proſpectum, conſtatque omnibus Nobiliſſimum hunc virum & patriæ amantiſſimum non virum ſolum conſilio & opera ſed poſt fata quoque bene mereri de quam plurimis voluiſſe. Diſceſſit è vita die XXIV. Octobr. Anni MDCXXIII.

Vita & Obitus.

Magnifici, Amplisſimi, Conſultiſſimique VIRI

Dn. JOACHIMI CLANII,

J. U. L.

Præſignis Reipublicæ Hamburgenſis
Conſulis meritiſſimi,
Authore
CHRISTOPHORO SCHWANMANNO
S. B.

QUatuor heu flevi cognatæ funera gentis,
Nec ſatis, & quintum mors inopina tulit:
Scilicet occubuit CLANEÆ Gloria ſtirpis,
In tumuli dormit CLANIUS æde meus,

Inti-

Intimus, affinis, durô mihi cognitus æstu,
Juris apex, magnus Consul, & urbis honor.
Fas ergò TANTI numeris ornare sepulchrum
Poscit amicitiæ candor, & urget amor,
Quem colui vivum, tumuli venerabor in urnâ,
Æternò careat fine Cygnæus Eros.
Urbs jacet ad tumidum perdives mercibus Albim,
Quæ vetus Hammoniô milite nomen habet.
Stemmate a) Claneo David, Margretaque costa,
Par nuptum, sedes hîc tenuere suas
Prodiit his noster lucis JOACHIMUS in auras,
Dulce tori pignus, scipio grata patris,
Quinque ter exierant à natô sæcula Christô,
Octo bis & messes, lustraque ritè decem,
Octobrisque dies surgebat denus Eoô,
Pronaque cælestes Libra premebat aquas,
Mater ut infantem gravidâ proferret ab alvô,
Illa Maritalis viva Corona domûs.
Cum primo Matris Pietatem lacte puellus
Imbibit, & Clarii fontis anhelat aquas.
Warnerus celebris ROLEVINCIUS ille, regebat
Temporis id patriæ virgea sceptra scholæ,
Hôc cupidè didicit Latiæ fundamina linguæ,
Et consorte pares vicit in arte manus. (nos,
Viginti b) juvenis nondum compleverat annos
It, petit Albiacæ culta Lycéa Scholæ,

Sul-

a) Joachimus CLAEN nascitur Hamburgi Patre Davide Claen; matre Margreta. A. Christi 1566. 10. Octob.
b) It Witebergam. Anno 1586.

Sulpitios avidè juris, legumque magiſtros.
Altaque fatidicæ ſacra Themiſtos adit,
Diſputat, auscultat, Codex, Digeſta leguntur,
Creſcit ab ingeniô, creſcit & artis ope,
Sex ierant meſſes & doctam c) tendit ad Urbem
Divite MEIBOMI quæ cluit arte MEI.
Helmſtadium veteres dicunt, nunc Julias audit
Quâ ſcatet Aonüs Halmus amœnus aquis.
Continuat juris ſtudium, Feudalia tractat,
Rectiùs ut cœptum conſolidetur opus.
Inde ſed ad MOENI d) ſe confert doctior Urbē
Quæ vetus à Francis nomen adepta tenet.
Hinc adit inſignem Muſis & jure COLONAM,
Cæſaris hæc nomen matre Neronis habet,
Subſtitit hîc binos exactis menſibus annos,
Audiit & claros juris in arte ſophos,
Excipit ornatum e) ſtudiis urbs Miſnidos oræ
LIPSIA qua Myſium tollit in aſtra caput.
Sed Themis ad majus ſtimulat, defertur in urbem,
Quam decorat f) Cameræ juſtitiæque forum,
Addictus praxi, SPIRÆ ſubſiſtit ad annum,
Si deſit praxis, jura fidesque jacent.
Inſtigat virtus, g) Baſileam tendit ad urbem,
Et mitram ſumma juris in arte capit.

ISE-

c) Helmſtadium proficiſcitur Anno 1592.
d) Anno 1593. venit Francofurtum ad Mœnum Inde Coloniam Agrippinam.
e) Anno 1595. ſe contulit Lipſiam.
f) Anno 1596. Spiram venit.
g) Anno 1597. it Baſileam, Creatur Licentiatus Utriusq; Juris, 16. Auguſti.

ISELIUS Rector, GRUNÆUS jure Decanus
Tentatum censent puncta merere sophi.
Ornatus mitra, studii LIPSENSIS amore,
Et WITEBERGENSIS culta Lycea subit,
Ad gratam tandem patriam h) redit auctus honore,
Longa sed in patria, non fuit illa mora.
Allectus praxi, Spiram i) contendit ad urbem,
Substit, exactis mensibus, annus erat,
Et redit ad patriam k) propenso numine teram
Munus & Exedræ rite vocatus obit,
Annuus exierat plenis jam mensibus orbis,
Martis erat l) sextus dinumerando dies,
Electu patriæ fit SECRETARIUS urbis,
Suscipit oblati grande laboris onus,
Difficiles affert nunquam non Curia curas,
Lenit at has Conjux ingeniosa domi
Filia Molleri m) sacra Doctoris in arte,
Margaris, optatos intrat amata toros,
Sex & quinque dedit sexus discrimine partus,
Jamque Duæ vivunt, occubuere novem:
Scilicet immenso nihil est sub Sole perenne,
Æs, homo, terra ruit, mundus & ipse ruet.

Sedulus

h) Anno 1598.
i) Anno 1599.
k) Anno 1600. 2, Febr. Capituli Hamburgensis Secretarium egit,
l) Anno 1601. 6 Martii electus est patriæ Secretarius.
m) Anno eodem 20. Julii nuptias celebrat cum Margareta D. Henrici Molleri filia.

Sedulus officii partes, Spartæque peregit
Munia, nox gemuit mole, labore dies,
LEGATUS n) crebro terris jactatus & undis,
Frigus & ardorem, diluviemque tulit,
Præsignes AULÆ, grandes testantur & URBES,
Et Daniæ REGES, Holsatiæque DUCES.
Chilonium, Bremæ sedes, Lubeca togata,
Conventus Hansæ, Brunopolisque vetus,
Belgarumque Ducis sedem bis missus ad Hagam,
Arma solo vidit, vidit & arma salo,
Invida sors ludit, bini moriuntur in uno
Corpore, cum fœtu o) Margaris uxor obit
Lux nova post tenebras & sol post nubila surgit,
Defertur viduo major honore status,
Ordinis eligitur p) votis & voce SENATOR,
Paret, & impositum sustinet urbis onus.
Altera messis erat q) PRÆTORIS ad arma vocatur,
Juraque dat solio civibus æqua suis,
In viduo plures jam lecto vixerat annos,
Et redit ad Thalami mutua pacta novi.
MARGARIN r) elegit LENTENO sanguine cretam,
Quæ dudum viduum luxerat ante torum,
Henrici

n) Legationes.
o) Anno 1615. mense Decembr. moritur uxor cum fœtu.
p) Anno 1616. 21. Febr. Senator eligitur.
q) Anno 1618. 24. Februarii, Prætor designatur.
r) Anno 1618. mense Aprili nuptias celebravit cum Margreta Lenten, Luneburgensi Henrici Bekendorpii, Patricii Hamburgensis viduâ.

Henrici quondam veteri de gente marita,
A BEKENDORPIS qui micat ortus Avis,
Hanc novus ad ſacram ſponſus ſibi copulat aram,
Margaris in ſponſi tranſit amata torum.
Docta Deo, mentisque bonæ, pietate venuſta,
Clara maritalis Gemma nitore domus.
Prætori quartus reſtababat fructus honoris
Scilicet illuſtri ſummus in urbe gradus.
Quatuor s) exierant completis menſibus anni,
Et lectu dignum Conſule nomen habet,
Conſul honoratur magno conſente Senatu,
Clarus amore domi, clarus honore foris.
Nec tamen elato tollebat lumina faſtu,
Moribus, inceſſu, voce, modeſtus erat,
Non illo melior, nec quis ſtudioſior æqui,
Candida ſincera mente columba fuit.
Lingua, Cor, & calamus parili ſtrepuere ſonore,
Diſſona non tacito corde fuere labra,
Non rimabatur pollutis faucibus aurum,
Nobilis hortator pacis & autor erat,
Aurea poſt litem non raro munera ſprevit,
Perdignum Specimen, laude referre libet,
Curator viduæ, profert à litibus aurum,
Quod Luſitana à pixide nomen habet,
Abnuit hoc Conſul, capiat petit, inſtat uterque;
Conſul adhæc, nutu ſerviat anne meo?
Sic; illi. Recipit conſul, viduæque redonat,
Et cape munus ait, quod fuit ante meum.
O felix

s) Anno 1622. Pridie Petri ad Cathedram eligitur Conſul.

O felix animi, viduæ qui negligit aurum,
Aureus eſt, auri qui minus igne calet.
In rectis conſtans, caſus durabit in omnes,
Juſtitia fretus, præſidioque Dei,
Non ſprevit tenues, re, verbis juvit egenos,
Hoſpitio, menſa, largus & ære fuit,
Undique militibus cum rus & tecta natarent
Obtulit hoſpitium (res ea quanta!) mihi,
Res, natasque meas excepit ſedibus ultro,
Ille meis Genitor, Mater & uxor erat,
Grande, ſcio, donum veteri transmiſit amico,
Qui captus juſſo ſolveret ære lytrum,
Magna fuit Pietas, at ſummo tempore vitæ,
Illa tamen miro fertur adaucta modo,
Mane ſacros hymnos germana voce canebat;
Ich danck dir liebr Herr: primulus hymnus erat.
Ich hab mein Sach GOtt heimgeſtellt / cantus hic alter,
In dich hab ich gehofft. tertius hymnus erat.
Taliter, ô dicò, Conſul, pro more canebat,
Audivi præſens auribus iſta meis,
Hei mihi poſtremus fuit hic affatus & actus,
Quam comis tanto vertice Conſul erat!
Ipſe propinabat ſtabilem mihi corde ſalutem,
Cor, os, frons, oculi, nil niſi candor erant;
Ah, quoties animo tacite res, dicta, revolvo,
Decidit ex oculis humida gutta meis,
Omnia ſi vellem numeris comprendere, codex
Ex Elegis fieret grandior Iliade,
Hoc igitur vitæ curſum ſplendore peractum,
Dignatur fini claudere Jova pare.

Cura, labor creſcit, faſces regit ille ſupremos,
Omnia cum belli permaduere lue.
Acceſſit fluidi genus immedicabile morbi,
Ad mortem lento ducitur inde gradu,
At retinet ſanam male ſano corpore mentem
Hæc Comes in medio funere fida fuit,
Sole dies ſextus Februi t), decimusque nitebat,
Et placide ſummum claudit in orbe diem,
Spiritus aſtra petit, templi caro ſede quieſcit,
Corcula lux mire condidit una duo;
Scilicet & Buxthdâ Conſul MEINHARDUS ab Urbe,
Mortuus Hammonia contumulatur humo.
Candidus in vita quæ junxerat ardor amoris
Corcla, ſolo Treviæ condidit una dies.
In terra nunquam licet HÆC mihi Corcla videre
Rurſus at in cœlo Jova videre dabit.
Ah qui Corcla facis, trinum ſuperadde duobus,
Cantet ut in cœlo te ſine fine Trias.
Naſcitur haut quovis hiberno CLANIUS anno,
TREVA tui grate Conſulis eſto memor.
Flent, lugent uxor, Natæ, gener atque nepotes,
Denatum laudant, Corcula, templa, Scholæ,
Natorum Natos, & qui naſcentur ab illis,
Incitet ad laudum præmia talis Avus,

t) Obit 16. Febr. Anno 1632;

VO-

VOGLERÆUM

Vitæ nunquam satis laudatæ, Morti æternum beatæ

Magnificentissimi & incomparabilis VIRI

DN. HIERONYMI VOGLERI,

HAMBURGENSIS

Genere avito & meritis propriis Nobilissimi

Patriæ Patris.

Consilio, cura, auxilio, labore, per universam vitam merentissimi nunc demerentissimi

Imperat. Regib. Principib. intra & extra Germaniam gratiss. Chariss.

Qui

natus, Anno 1565. 10 *August.*

cum laudabiliter

In conjugio LVIII.

Senatoratu XIV.

Consulatu XXXII.

In universum LXXVII.

Annos vixisset & menses quatuor;

magna animi fiducia, quam in ultimum usque vitæ spiritum non sine gaudio inter lacrymas adsistentium constanter professus

Irreciparabili totius orbis & inprimis patriæ urbis damno Anno CIↃ IↃ CXLII. 2. *Decembr. undec. nocturn.*

solo vivere desiit, cœlo æternum vivens

CHARTACEUM, cum MARMOREUM

vel quo ipse dignus erat

AUREUM

dicare non posset, consecratum

à

M. JOH. ADOLPHO FABRICIO Sacerdote Hamb.

HEu cecidit, cecidit, funeſta clade, corona
Urbis VOGLERUS nunquam reparanda corona!
Et totum cecidit laudata corona per orbem!
Nullius meritis, heu! reſtauranda corona!
Ocius in lacrymas, in fletus, inque ululatus
Volvite vos cives, deponite ſyndona & atri
Induite in gemitu mœroris ſyrmata ſigna:
Plorandi cauſa eſt, lugendi eſt horrida cauſa,
Qualis ab annorum curſu, quo mens mea retro
Pertendit, vobis non cauſa notatâ doloris.
Heroi nunc ite pedes, & carmine triſti
Dicite VOGLERI Vitam: non quanta meretur
Dicite. Sed tenues vos dicite quanta poteſtis.
Vogleri mortem, ſi tanta poteſtis Jambi
Dicite, vel ſaltem VOGLERI funera flete.

VITA.

FOrtibus à fortes communi lege creantur,
Et magni à magnis majorum vivida virtus
Ornat progeniem. Nec enim Jovis ales inermem
Magnanimus generat vitioſo errore columbam.
Nicoleus Voglerus erat, a) quo major in urbe
Non erat, eloquio & doctrinæ munere dives, Conſul

a) D. Hieronymus Voglerus Patre Conſule Nicolao naſcitur A. 1565. 10. Auguſt.

Conſul erat patriæ, patriæ gratiſſimus urbi:
Hæc aquila hanc aquilam genuit (Lux fauſta lapillo
Qua genitum tanto de germine nobile germen,
Lux Fauſta huic urbi niveo ſignanda lapillo!)
Ut vidit genitor rariſſima munera prolem
Ætatis teneram exſerere, hanc majoribus auſis
Deſtinat, & vulgi vulgaribus eximit umbris.
In laudem patriæ ſurgit juvenilibus annis
Proles, nec reſidere foco vult illa paterno,
Altius ire juvat, peregrino ſole calentes
Viſere vult terras, donorum lumina ſpargit
Vel quocunque venit, gratiſſima & urbibus, aulis;
Quæ tanto ingenio felici munia nutu
Publica mandaſſent, ſed patris ſanctio ſancta
Huc revocare gradum, patriæ tam nobile germen,
Indolis atque altæ hæc inſignia munera cenſet
Deberi; Paret Gnatus, ſuadente parente
Ipſe ſibi remoram vitæ injicit, oſcine læto
Conjugium ingreditur b) Proles Rederia, fama
Virtute & forma tota tunc urbe celebris,
(Nunc Mortæ tantis eheu obnupta tenebris,
Et tanto, à Domino tamen hoc: viduata marito,
Et luctu & fletu tota nuc urbe celebris,)
Jungitur: applaudit lætanti tota ſuſurro
Patria, de tanto gratata & cive triumphat.
Sed calet ingenii Magni vis ignea: ad alta

b) Conjugium ſubit anno 1584. cum Catharina Reders Syndici filia.

Surgere pergit, c) & utMotu ſol usque perenn
Volvitur haud uno terrarum climate clauſus:
JERONYMUS ſic noſter erat, molimina mentis
Cogere non poterant jucunda repagula ſuavis
Conjugii. Sed certa per intervalla dierum,
Menſium & annorum fuit ipſi ſancta voluptas
Multorum mores viventum, atque extera jura
Terrarum vidiſſe, & luce fugace notaſſe.
Redditur d) interea patriis ornatior usque
Oris; in ſeſe convertens lumina juſto
Jure Magiſtratus, mox decernente Senatu
Per fanum Magnæ Famæ, magnique laboris
Cunctorum applauſu conſcendit templa Regentum
Conſcendit lætus patriæ communis in uſum.
Communi patriæ natum ſeſe eſſe ſciebat,
Communi patriæ totum ſeſe usque dicabat.
Ut patriæ ſervire ſuæ fuit ampla facultas,
Sic dici Patrem Patriæ fuit una voluntas,
Dum ſervit, conſumi, aliis fuit ipſa voluptas:
Sic patriæ inſervit, communia commoda quando
Strenuitate urget mira, diſpendia vitæ
Corporis & proprii diſcrimina nulla moratus.
Et quis enim neſcit, memori nec pectore volvit,
Quantos ante annos tolerarit mente labores,
Et quæ pertulerit conſtanti corde pericla
Atque viæ & vitæ, quando hinc Hiſpanidos e
oras Viſi

c) Peregrinatur ſtante conjugio.
d) Redit, Senator eligitur anno 1596.
e) Legatio ſolennis in Hiſpaniam anno 1605.

Visit Legatus, patriæ & communia tractat
Momina causarum. Rediit f) sub sidere faustô.
Singula quid referam! non tanta referre potestas
Quas tricas, quas ille plicas, quos ille viarum
Anfractus subiit! quas extricavit, & ô quas
Explicuit, memori si postera mente notare
Gens ingrata negat, tum demum intelliget illa
Istius auxilio cum consilioque carebit.
Conscripti Patres hoc juratique senatus
Sensere, affectum, curas videre, laborem,
Effectum videre viri, dijudicat ordo
Sic sacer, ad summi fastigia scandat honoris,
Tam meritis dives, genii tam lumine dives,
Et tam divino donorum munere dives
Hic noster. Via fit. Suffragia cuncta leguntur,
Nemo dissentit, communi voce creatur
Consul g) & hinc exit veteri pro more Senator,
Electusque novis mox Consul honoribus intrat.
Grandis honos patriæ consul qui dignus habetur.
Grande at honoris onus. Noster non pondere fractus
Obtinet antiquum, quo majus surgit honoris
Ipsi onus, hoc ipsus semper fidentior intrat,
Esse bonum commune aliis, dum vita manebat
Tristibus & lætis, & læto & tempore tristi,
Hic semper fuit ipsi unus labor unaque cura;
Consilio auxilio commune bonum esse volebat,
Sic Consul dici voluit, sic Consul haberi.

f) Ao. 1608.
g) Consul evehi tur 1510.

Sic commune bonum eſt, qui non ſibi naſcitur uni,
Hic Conſul commune bônum eſt, non natus is uni
Sed patriæ natus cunctis eſt civibus urbis.
Si commune bonum eſt, ſibi qui non vivit & uni,
Hic Conſul commune bonum eſt, namque omnibus idem
Semper erat, cunctis vivebat, & usque paratus.
Si commune bonum eſt, qui non ſibi mortuus uni,
Hic Conſul commune bonum eſt, quia mortuus, eheu!
Omnibus, hunc omni lugent ex ordine cives.
Si commune bonum eſt, cui auxiliatio prompta eſt
Omnibus, iſte bonum Conſul commune vocandus,
Omnibus auxilio fuit is, fuit omnibus uſu.
Si commune bonum eſt cujus prudentia totam
Urbem conſervat, totam qui dirigit urbem:
Hic CONSUL commune bonum eſt, prudentia cujus
Urbem ſervavit, noſtram direxit & urbem.
Si commune bonum eſt animos placare regentũ
Conceptasque faces avertere ab urbibus iræ,
Hic Conſul commune bonum eſt, ſub numine cujus
Pax urbis viget, & Gambrivia Gloria floret.
Sic commune bonum VOGLERUS jure vocandus
Eſt,

ſt, Eſt. ah eſſent duo verba hæc conſona vero!
Non eſt, ſed fuit AH! quid nos amiſimus urbe?
Quo ſumus orbati? quid terræ effertur in antrum?
Conſul Voglerus h) plora, lacrymare, quis ille
ſt? commune bonum plora, quis mortuus ergo!
Mortuus eſt commune bonum mitiſſime JEſu
Ne commune malum (ſæpe experientia teſtis)
Dum commune bonum moritur (te quæſo) ſequatur!

MORS.

Etiam eſt quod à tacente poſſis diſcere
Relliquit Annæus, *quod ex uſu fiet:*
Hic eſt: ita eſt, hic à tacente diſcere
A mortuo debes, potes; primariam
Artem & potiſſimam docerier tuo
Sine tædio, ſed commodo cum plurimo,
Artem docerier mortis potes piæ.
Mortis memor i) Conſul beatus usque erat
De morte cogitabat, & thorum fore
Corruptionem poſthumam quottidie
Prævidit. at ceu miles haut perterritus
Acie ſtat, & procul hoſticos ictus videt,
Exſpectat acer, fortiter ſe præparat.
Sic conſul armis ſpiritus ſe præparat.
Mullerus arte Doctor in Theiologa eſt
Qui Conſuli vivo usque ſingularius

h) Moritur 1642. 2. Decembr. intra 11. & 12. nocturnam. Humatur 11.

i) Præparatio ad Mortem, per colloquium cum Dn. Johanne Mullero SS. Th. D. P. P. &c.

Sicut fuit, ſic hunc adeſſe in ultimis
Agonibus volebat. Huic cordis ſui
Votum explicabat, cordis hoc votum fuit:
Non ocius non Tardius ſibi, ut Deo,
Mori liceret, ſic volente. Tardius
Nam protrahi mortem timebat. Ocius,
Adeſſe mortem noluit, quo commode
Diſponeret domum ſuam. Votum DEus
Audivit ex voto, piè demortuus.
Demortuus ſalvus, k) qui namque credidit
Salvabitur. credo, ergo ſalvor, colligit
In ſyllogiſmi more: l) ſicut cervulus
Fontes aquæ ſitiens petit, ſic, ſic, ego,
Deſidero, JEſum meum, JEſus meus
Chriſtus meus: m) Frater meus: Rex & meus:
Meus Jehova, & eſt, fuitque æternum erit.
Monitus peregrinationem terream
Vitam eſſe noſtram, patriam cœlo. hic fortis
Nos eſſe cum Paulo, n) ſed olim nos domi
Cœlo fore: eja! ſic erit! mox excipit
Lingua imbecilla fiat! Amen! JEſu ita
Fiat! profunda Davidis o) conſiderans
Profunditates anxias, profundius
Precatur, & obſignat has preces! Amen!
Amen fideli! interrogatus an ſub pectore
Jeſum

k) Joh. 3. 16.
l) Pſal. 42. v. 2.
m) Verſus ſubinde â Dn. Conſule repetitus. CHRISTUS Homo, frater, Rexque, Jehova meus.
n) 2 Cor. 5 8. daheim.
o) Pſal. 130.

Jeſum teneret illibatum p) : lacrumans,
Et ingeniens & ore & annuit manu:
Habeo, tenebo corde, nunquam deſeram
Inſtare cum mox terminum vitæ ſuæ
Sentiret ultimum : Vale-Dico tibi
Venerande Doctor, q) inquit, ut columbula
Seſe abdit in petræ timens receſſibus :
In rictibus ſic vulnerum JEſu mei
Jam me recondo, ſic ego reconditus
Securus accedam ad thronum patris mei :
Et ſic videbo te, videbis me Deus
Fiat! vale venerande vir! fiat! Vale.
Devotione qua, quibus ſuſpiriis,
Queis geſtibus, queis lacrymis, & ad Deum
Manibus levatis, perperam vitæ ſuæ
Transacta, nam qui non, quis eſt? coram Deo
Peccaverit, qui rem ſuam bene egerit?
Confeſſus, & queis ignibus deſideri
Aſſumſerit cœnæ ſacræ viaticum,
Teſtis Schelhammer, ut precum ſagittulas
Et cordiales Biblicas ſententias.
Et vota vatum ſancta, cum ſuſpirio &
Pronunciarit geſtibus ſanctiſſimis,
Quæ corde ſemper volverat, cum gaudio
Schelhamerus audiit recenſet, comprobat.
Dum verba Jovæ ſuggerit, quæ r) Amoſides
Propheta ſcripſit, verba ſunt prædulcia:

Timere

p) Jeſus in corde & ore.
q) Abdit ſe in vulnera Jeſu adminiſtrante Dn. Schelhammero.
r) Eſai 41. 10.

Timere noli, nam tecum ſum, ne cedito:
Ego ſum DEus ſemper tuus: te roboro:
Teque adjuvo, conforto te: defendo te
Hac dexterâ, quæ dextera eſt, juſti mei,
Se colligens conſul beatus, ſpiritu
Sancto excitatus, pluries, & clarius
Mi Domine, verba ſuggeras hæc ſæpius:
Sunt, inquit, iſta verba ſancta indagine
Profundiore penſitanda. Spiritus
Motus quis hic non ſenſerit, ſanctiſſimi?
Iſtoque motu ſpiritus, qui in ultimum
Non halitum ſuos ſolet relinquere
Solos, ſubinde voce fortis maſcula
Verum tamen ſubmiſſiore, ſimplice
Vice plus ſuo ſub pectore & ſub lingua
Chriſtum gerit: Chriſtus meus, Frater meus,
Homo factus eſt, Frater meus, ſubſtantiam
Meam gerit, nam qui manet ſubſtantiâ
Sua, meæ ſubſtantiæ, ô myſterium!
Eſt particeps: ut permanens ego meâ
Subſtantia, ſubſtantiæ fierem ſuæ
Compos, ſcio ergo ubi viget ſubſtantia &
Mea regnat hic regnabo ait: fratri meo
Regnabo compar. Chriſtus eſt ſervator, &
Meus redemtor, hinc ſcio, æternum meus
Vivit redemtor, vivit ipſe, certa ſpes.
Et ipſe vivam, carne quam tango manu
Dominum videbo, rurſus & hoc lumine
JEſum videbo, namque vox ejus rata eſt:
Vivo ipſe, vos vivetis & mecum: caput
Si namque vivit, membra vivent corporis:

r) Eſa. 41. 10.

Vive-

Vivetis & gaudebitis, ſic Spiritus
Certamine adſtat extimo, ſic dictitat
Sub cogitata ſic vocat, ſic & docet
(Sunt verba Chriſti) quæ ſcienda ſunt piis
Credenda quæque ſunt piis ſub exitu.
Schelhamerus applicat manum, quam Pontifex
Benedictionem cœtui ſancto DEI
Pronunciabat, voce clara in exitum
Et cogitationis in viaticum
Repetit. Pater laſſus ſupra ſeſe elevans
vires, manu, capite, adnuit, dicens Amen:
Sine lacrymis quis hæc legat, ſine lacrymis
Non hic quis agnoſcat DEI clementiam?
Quis non voveret omni tempore? O Deus
O ne, DEus, nos ultima hora deſeras!
Non ſingula hic, non omnia hic nunc exprimo:
Ut ſumma attentio fuit vivi viri
Morientis & talis fuit devotio.
Unum addo & ultimum, quod Conſulis
Erat ultimum, Gorgoniæ ſuſpirium
In pace tutus s) dormiam, mors ſomnus eſt:
lætus quieſcam, mors laboris eſt quies:
Quia tu DEus meus juvas me, ſuaviter
Ut dormiam. DEus meus nunc dormio
Et nunc quieſco. - - - -
Sic vixit ſanctè, ſic ſanctè mortuus omni
Qui verſu major Conſul Voglerus: & omni
Major laude fuit, nunc molliter oſſa quieſcant
In tumba. In manibus mens læta quieſcit JEſu.
Tu tamen ingemina gemitu titubante, viator,

Ceu

s) Pſal. 4. 9.

Seu peregrinus eris, ſeu civis, in orbe viator
Es tamen; ingemina, res vera eſt, voce gemente:
Heu cecidit, cecidit, funeſta clade Corona!
Urbis Voglerus, nunquam reparanda Corona!
Et totum cecidit laudata corona per orbem!
Nullius meritis heu reſtauranda corona!
Tu reparare potes, tu reſtaurare Jehova.
Tu potes, ô repara; reſtaura magne Jehova:
Ne defloreſcat Gambrivia Gloria, dona,
Et ſerva per quos jam ſtat res Gambra ſalusque
ſic tibi ſemper honos, à nobis lausque manebit.

JERONYMUS VOGELERUS,

Veni Jeſule Mors Vigor

NOn mortem metuo, nam qui bene vixit in orbe,
Is moriens mortem qui metuiſſe poteſt?
Tabeo, & hæc ſenio torpeſcunt languida membra,
Non eſt in membris, ut fuit ante, vigor.
Mors mihi erit non Mors, ſed Mors reparatio vitæ,
Mors ad te adventus Jeſule certus erit.
Jeſule chare veni, diſſolvito languida membra
Sic reſtaurabit languida membra Vigor.
Jeſule chare veni, veniam mox Jeſule & ad te
Sic erit æternum Mors mihi vita, Vigor

JERONYMUS VOGELERUS.

Evigilo, rurſus emineo.

VIrtute eminui, donorum munere multo
Eminui, ſeu mi Res peragenda domi,

Seu

Seu peragenda foris, Regum, vel Principum in aulis:
Quod non ipſa negas Invidia, eminui:
Dum vixi tamen haud ſic me eminuiſſe ſciebã,
Namque quid his terris eminuiſſe juvat?
Nam ſi quis luce hac in terris eminet, iſtum
Craſtina lux, mortis falce ſecante, rapit.
Verum inter cœli tam multos, Judice JEſu,
Eſt aliquid, ſanctos eminuiſſe, DEI.
Hinc ego non moriens morior ſpes ſancta repoſta eſt:
Dormio & Evigilo, rurſus & emineo!
Dormoi & Evigilo, rurſus te, Chriſte, vocante
Evigilo cœlo, rurſus & emineo!

JERONYMUS VOGELERUS,

Veni Vir glorioſe, Sume.

MOrtuus ut Conſul Vogelerus ſuſcipit illum
Amplexibus ſuaviſſimis JEſus, veni
In cœlum, eja veni ad nos, inquit, ſerve fidelis:
Veni, Veni Vir Glorioſe, dignus es.
Qui mihi tam fidus, dum vixiſti orbe, fuiſti:
Veni. Veni Vir Glorioſe, dignus es
Ut ſumas cœlo tantorum digna laborum
Brabea. Sume vir brabea, dignus es
Euge veni, Euge veni cœleſtia gaudia & intra,
Vir Glorioſe, ſume dignus præmia.

Aus-

Ausführliche
Lebens-Beschreibung
des
berühmten Regenten
Hieronymi Voglers/ J Cti.
und Hamburgischen Burgermeisters.
Verfasset
Von
L. B. F. H.

DAsjenige / so uns im vergänglichen und zerbrechlichen Leben unvergänglich macht/ ist allein der Besitz grosser Qualité und die Ausübung seltner Tugenden; am meisten die Meriten/ so einer dem Publico leistet/deren Vergessenheit nicht mit dem Rest des entseelten Leibes im Grabe eingescharrt wird. Von den Verdiensten solcher Männer schöpfft ein gantzes Land Nutzen / ja die meisten auswärtigen Höfe reflectiren auf das Vornehmen solcher Personen / und man darff sich wenig wundern/daß offtmahls ein durchlauchtes und gekröntes Haupt die Thaten solcher Leute von Fernen und in der Nähe mit gnädigern Augen ansehe / als rohe Lands-Leute. Inzwischen bleibt es dabey / daß nur ein edler Geist zu edlen und grossen Thaten reitze / dafür ihnen die Unsterblichkeit zu Lohne wird / und wo nicht prächtige Ehren-Bogen auf den Gassen ihnen aufgerichtet werden / so geschieht es dennoch / daß ihr Denckmahl im Hertzen danckbarer und redlicher Gemü-

Gemüther der spätern Nach-Welt grüne. Nicht allein dieses macht rege den Zunder zur Tugend/die das Gemüth von der Begierde/ rühmliche Thaten zu verrichten/entzündet / sondern auch die Hoffnung des Trostes und Ruhe/ so daraus quillet / wenn sie vollzogen worden / welches der weitberühmte Bürgermeister der Hamburgischen Republique, HIERONYMUS Vogler/ allemahl reifflich erwogen / indem er die Worte an der Umfassung eines Camins in seinem prächtig aufgeführten Hause eingraben lassen: Recordatio rerum bene gestarum generoso animo omni jucunditate jucundior; Das Angedencken wohlverrichteter Thaten ist einem edlen Gemühte angenehmer / als alles Vergnügen der Welt. Dieser war zum Ruhm und Glücke seiner Vater-Stadt den 10. Augusti des 1565 Jahres gebohren/ und weil einmahl gewiß/ daß die Erfahrung nur die Künste nach ihren Verdiensten zu schätzen weiß/ so hat sein rühmlicher Vater/ als er eine ungemeine Fähigkeit und überaus geschicktes Naturel an seinen Sohn gemercket/dadurch den Grund zu seinem Lobe und Wolfahrt geleget/ daß er ihn den Studiis gewidmet/ alle Künste und Sprachen lernen lassen/ und dadurch den Nachruhm eines glückseeligen Vaters verdienet / von dem wir hinführo noch etwas gedencken werden/welches wir bißher / wegen Mangel der Zeit/ so der Kupffer-Stecher zu employren hat/ aussetzen müssen. Der renommirte Mathematicus, Tycho Brahe, soll in seiner zarten Kindheit immer mit den Fingern nach den Sternen gewiesen haben/welches zu solcher Zeit unfehlbahr die Lust an-

gedeutet/ſo er zu dieſer Wiſſenſchaft gehabt/ und al den Spruch des Poeten: erectos ad ſidera tolle vultus, ſchon ſo zeitig wahr gemacht/ zumahl/ da de Gerechten in heiliger Schrift ſelbſten verſproche wird/ daß ſie/ wegen ihrer Anführung zur Juſtice, leuchten ſollen/ wie die Sternen. So kan man freylich einen Baum an der Blüthe kennen/ was er für Früchte/ dem gemeinen Weſen zum beſten/ tragen werde/ wenn wir erwegen/ daß Vogler in ſeiner Jugend allemahl das Rath-Hauß mit einem/ in ſolchem Alter ungewohnten/ ſcharffſinnigen Anſchauen/ betrachtet. Bekannt iſt ſonſten/ daß/ als Caroli IV. ungerathner Sohn/ der faule Wentzel benahmt/ in Nürnberg gebohren ward/ man viele böſe Omina der von ihm zu hoffenden Frucht angemercket/ indem ſeine Mutter in der Gebuhrt den Geiſt aufgab/ das Hauß/ worinnen man ſolches Waſſer zur Tauffe wärmete/ abbrannte/ und das Waſſer gar nachmahls mit ſeinem Unflaht beſudelte/ welches man alles als Vorboten ſeines unfläthigen Gemüths anſahe. Jedoch/ dergleichen Gedancken ſollten uns ſchier von unſerm Zweck bringen/ und das Anſehen gewinnen/ als wollten wir Materie zu einer Parentation ſuchen/ deswegen wir/ zu Vermeidung dieſes Verdachts/ die erſten Jahre ſeines Lebens-Lauffes gantz kurtz faſſen/ und nur vermelden/ daß er ſolche zum Vergnügen aller Præceptorum, denen er anvertrauet geweſen/ und Contentement ſeines anſehnlichen Geſchlechts vollzogen. Als er einige Jahre auf den Academien ſich auf die politiſche Wiſſenſchaften/ und inſonderheit/ wegen der ihm beywohnenden greſ-

ſen

sen Beredsamkeit/ mit auf die Oratorie geleget / in welchem Studio er denn für andern excelliret/kam er einsten/ noch vor Vollziehung seiner Reisen/zu Hause/und traff im 29. Jahre seines Alters eine Mariage mit Madem. Reders / des Syndici Tochter/ daher er solche in seinem Ehestande anzutreten genöthiget worden. Nachdem er die berühmteste Länder von Europa mit Nutzen gesehen / und das grosse Rom durch seine Seltenheiten ihn allein zu zwey verschiedenen mahlen zu sich gelocket / erfreuete er sein Vaterland mit seiner glücklichen Wiederkunft/ und machte die Hoffnung der von ihm zu erwartenden Dienste von neuen rege. In seinem Ehestande sahe er nicht das Vergnügen / so die Eltern aus Erzeugung wolgerathner Kinder schöpffen / denn er hatte hierinnen gleiches Glück mit vielen grossen Männern/die/(wie der berühmte und unvergleichliche Wittenbergische Polyhistor, Conr. Sam. Schurtzfleischius, in einem Trost-Schreiben an den ehemahls sehr renommirten Jure Consultum und Syndicum in Hamburg/Garmers/wegen des unglücklichen Todes seines Sohnes geschrieben/) aut non procrearunt filios, aut non diu retinuerunt, entweder gar keine Söhne gezeuget/ oder dieselbe auch nicht lange behalten.

Von seiner mit glücklichem Succes vollführten Reise hat man eine sehr wohl verfaste Beschreibung / die er mit eigner Hand aufgezeichnet / und ein gutes Buch ausmachen könnte / wenn man es zum Druck beförderte. Er war sehr curieus, wohl in den alten Geschicht-Büchern belesen / und zu seinen

Schulfüchsereyen und Metaphisischen unnützen und abgeschmackten Grillen / sondern zu Wissenschafften angeführet worden / die auf die gemeine Wohlfahrt zielen: Daher lieset man nicht ohne Vergnügen und Bewunderung / wie genau er alles auf seine Tours observiret / und die remarquableste Denckwürdigkeiten mit grosser Geschicklichkeit zu Papier gebracht. Die erste ansehnliche Ehren-Charge, so er in seiner Vater-Stadt bekleiden muste / war die Raths-Würde / zu welcher er 1596. mit Zustimmung vieler Patrioten erkohren ward / und weil seine Studia, Fähigkeit / und kluge Conduite schon damahls mehr als zu bekant war / so muste er den Qualitè eines Abgesandten noch in selbigem Jahre nach Coppenhagen gehen / um daselbst Nomine Illustris Senatus der Königlichen Krönung beyzuwohnen. Im Jahr 1604. ward er an Ihre Groß-Brittannische Majestät / und des folgenden Jahrs nach Lübeck und Stockholm gesandt / um das Mißverständniß / so zwischen Hochgedachter Crone und löblichen Reichs-Stadt erhoben / zum gütlichen Accommodement zu bringen helffen / welches auch einen glücklichen Effect gehabt. Nach der Zeit ist er zu dergleichen Employs mehr gebraucht worden / nemlich / an Ihre Hoch-Fürstl. Durchl. Ertz-Hertzog Albrechten zu Oesterreich / als Hertzogen zu Burgund und Braband / an Ihre Aller-Christlichste Majestät in Franckreich / und Ihre Catholische Majestät in Hispanien / in Begleitung des Lübeckischen und Dantziger Gesandten / im Nahmen der Hansee-Städte. Von dieser Gesandtschafft / welche

welche die ansehnlichste gewesen / so jemahls von den Hansee-Städten abgefertigt worden / wollen wir einige Particularia anführen / die das damahlige Ansehen / Macht und Hoheit dieser vereinigten Republiquen bekräfftigen / und uns viel von dem Ceremoniel, womit dieselbe an auswärtige Höfe empfangen und aufgenommen worden / kund machen / zumahl solches von keinem Publicisten biß hieher / (vielleicht aus Mangel der Uhrkunden /) aufgezeichnet. Es hatten Jhro Königl. Majestät in Spanien einen sehr hohen Zoll / zu 36. Pto-Cento, auf gewisse Waaren geleget / welchen zu heben die Gemeinschafftliche Städte des Hansischen Bundes zu Beförderung des Commercii für nöthig erachteten / und daher Hn. *Hieronymus* Vogler / aus Hamburg / Hn. Heinrich Brockes / aus Lübeck / und Hn. Arnold von Holten / aus Dantzig / zu ihre Gesandten verordneten / die ihre Reise auch im Novembre antraten. Der damahlige Gemeinschafftliche Hanseatische Syndicus, Dr. Johann Doman / ward ihnen nebst einem Legations-Secretario, Conradinus, einer jungen qualificirten Person / aus Lübeck gebürtig adjungirt, die mit ihrem grossen Gefolge am 20. gedachten Monats zu Blanckenese ankamen / biß dahin sie der Magistrat zu Hamburg / mit 12. Einspännigern und Reiten-Dienern convoyren lassen. Sie nahmen ferner ihre Tour über Bremen / Osnabrüg / Münster / Dortmund und Cöln am Rhein / in welchen Städten sie von den Ober-Herren und Vorstehern des Regiments mit ansehnlichen Præ-

senten vom Weine und Victualien begabet wur-
den / welche Affection sie auch von dem Hochlöb-
lichen Rath der freyen Reichs-Stadt Acken / wo-
selbst und zu Cöln sie von den regierenden Herren
Burgermeistern / mit Zuziehung anderer vorneh-
men Herren / zu einem Gastmahl aufs Rath-Haus
invitirt, und magnifique tractirt, auch von
dem ältesten Herrn Burgermeister zu Ack und einem
Raths-Herrn biß auf 2. Meil accompagnirt wur-
den. Die Herren von Bremen gaben ihnen 12.
Reuter zur Convoy biß Osnabrück mit; die Her-
ren von Osnabrüg aber liessen sie so wohl von einer
Zahl Infanterie als Cavallerie biß Münster be-
gleiten / welche Höflichkeit sie / wegen damahliger gros-
sen Unsicherheit zu reisen / von den übrigen Puissan-
cen gleichfalls genossen / dannenhero sie glücklich
am 21. Dec. endlich zu Brüssel angelanget. Sie
waren kaum abgestiegen / und in ihr Zimmer getre-
ten / so wurden sie durch den Hn. Secretaire Fleck-
hammer im Nahmen Jh. Hochfürstl. Durchlauch-
tigkeit / Ertz-Hertzogen Albrecht complimentiret /
und gleicher Gestalt durch zweene von Adel von we-
gen Herrn Ferdinand Lopez, Jh. Majest. von
Spannien destinirten Ambassadeurn nach
Dennemarck / und Gouverneur zu Carpen, sa-
lutiret, wobey sie zur Nachricht bekamen / daß man
ihrer in Spanien mit Verlangen erwartete / und sie
in Brüssel schleunig expedirt werden könnten.
Deshalb ruheten sie nur einen Tag / nemlich am
Feste der Beschneidung Christi / nach dem neuen
Calender / und hielten des folgenden Tages gleich

bey

ches die Hrn Gesandten von Hamburg Pentzhorn und Möller im Jahr 1655. erhalten/wie wir dessen vorhin schon erwehnet / hebt sich folgender massen an: Louis par la Grace de Dieu, Roy de France & de Navarre; A tout presens & advenir, Salut: Nos tres-chers, grands amis & confederes, les Pro-Consuls, Senateurs, Marchands, Anciens, Aldermans, Manans & Habitans des Villes & Cites de la Nation & Hanse Teutonique, dits Osterlins ayans envoyè vers Nous les Sieurs Penshorn & Möller, leurs Ambassadeurs & Deputes &c. Ludewig von GOttes Gnaden / König von Franckreich und Navarren; Entbieten denen Gegenwärtigen und Nachkömmlingen Unsere Gnade und Gruß: Unsere sehr werthe grosse Freunde und Bundsgenossen / die Bürgermeister / Rahts-Herren / Kauff-Leute / Aelter-Leute / Aemter und übrige Einwohner der Städte von dem Teutschen Hansee-Bunde / Osterlins genannt / nachdem sie die Herren Penshorn und Möller/ihre Ambassadeurs und Gesandten an uns geschickt ꝛc. ꝛc. Der damahls mit der Puissance geschlossene See-Tractat / ist noch in selbigem Jahr in Frantzösischer und Teutscher Sprache in Hamburg öffentlich gedruckt worden / daher wir solchen hier vor dißmahl übergehen / und an statt den Anfang / der von den Herrn Commissarien itztgedachten Herrn Gesandten ertheilten Vollmacht hieher setzen / welcher sich also verhält. Louis &c. Nôtres Chers, grands amis & confederes, les Pro-Consuls, Senateurs, &c. Ayans envoyè vers Nous les Sieurs Penshorn & Möller, Senateurs

nateurs de la Ville de Hambourg, leurs Ambaſſadeurs & Deputes, pour nous faire entendre, que l'Alliance & confederation depuis ſi long tems ètablie entre nous & eux &c. Wir Ludwig ꝛc. Unſere werthe groſſe Freunde und Bundsgenoſſen / die Bürgermeiſter / Rahts-Herren / ꝛc. wie oben / nachdem ſie an uns die Herrn Penshorn und Möller / Rahts-Herren der Stadt Hamburg / als ihre Geſandten und Abgeordnete / geſandt / um uns zu wiſſen zu fügen / daß die Verbündniß ſeit ſo vielen Jahren zwiſchen Uns und ſie geſtifftet ꝛc. ꝛc. Die Spaniſche von Jahren zu Jahren erhaltene ſind vom Herrn Marquard auffgezeichnet.

Nach einer ſo glücklichen Expedition ſeiner mit ſo viel Gefahr und Mühe unternommenen Geſandſchafft / retournirte er endlich den 15. Feb. 1610. zu allgemeiner Freude in Hamburg. Wenn wir auf dieſe Art ſeine übrige Legationes an die Römiſche Käyſer Rudolphum und Matthiam, Königin Eliſabeth in Engelland / König Jacob von Groß-Britannien / König in Schweden Carl / Chriſtianum IV. König in Dennemarck / die Ertz-Hertzogin in Oeſterreich Iſabella / die Staaten der vereinigten Niederlanden / viele Chur- und Fürſten des Römiſchen Reichs und andre Staaten und Republiquen beſchreiben wollten / würden wir ein gantzes Buch damit anfüllen können. Ein halbvernünfftiger wird hieraus leicht ermeſſen / daß ihn der Umgang mit ſo vielen groſſen Staats-Leuten und die ihm anvertraute wichtige Geſchäffte noch mehr qualificirt müſſe gemacht haben / zumahl da ſein

Natu-

Naturel geſchickt/ ſein Ingenium fähig / ſeine Eruditiön ungemein / ſeine Erfahrung groß / und ſeine Beredſahmkeit ſo fertig / beliebt und angenehm war/ daß man ihn deswegen den teutſchen Cicero, ohne Schmeicheley genannt. Die einem Regenten vor allen wohl anſtehende Großmuth war ſeiner Seele tieff eingeprägt / und wenn man einen Vogel an ſeinen Flug erkennet / ſo kan man Voglern an ſeinen Wahlſpruch / an ſtatt der Fittigen / kennen / denn er führte täglich die Worte im Munde / welche auf einer Medaille über ſein Geſchlechts-Wapen / bevor er von Jhr. Käyſerlichen Majeſtät geadelt worden/nebſt ſeinen Portrait auf der andern Seite / abgebildet zu ſehen. Conſtantis animi laus eſt, nec ſpe nec metu frangi: Es iſt ein Ruhm für einem ſtandhafften Gemüthe / weder durch Furcht noch Hoffnung bewegt zu werden. Durch ſeine Klugheit in Rathſchlägen / ſeine Unverdroſſenheit in derſelben Ausübung / ſeine unermüdete Wachſahmkeit gegen alle Gefahr / und durch ſeine Gerechtigkeit im Urtheil-Sprechen kam er in den Seelen der Bürger und Unterthanen der Hamburgiſchen Republique in ſolchen Eſtim, daß ſie ihn ſchon lange in ihren Hertzen vorher als Bürgermeiſter ehrten / zu welcher Würde er im andern Jahr nach ſeiner Widerkunfft/ 1610. gelangte. Hiebey hat er eine ſo löbliche Conduite geführet / daß man gezweifelt / ob ſie ihn wegen ſeiner Autorität mehr gefürchtet / oder wegen ſeiner Leutſeeligkeit und Gerechtigkeit geliebet / denn er redete mit ſeinen Bürgern / als wie mit ſeines gleichen / und mit dem geringſten Handwercksmann als

wie

wie mit Kindern; wenn ihm aber die Boßheit des Volcks einige Empfindligkeit abnöthigte / so waren es doch Pillen / die durch Freundlichkeit überzuckert / daß man ihm also ohne alle Schmeicheley den Nahmen eines Vaters des Vaterlandes beylegen kan / zumahl da ohne dem die Schmeicheley keinen Platz findet / wo man nichts als den überbliebenen Staub der zerbrechlichen Glieder verehren kan.

Dieses hohe Ehren-Amt hat er 33. Jahr bekleidet / so rühmlich / daß sich jederman beflissen seinem Beyspiel zu folgen / niemand aber ist ihm jemahls gleich / geschweige vorgekommen. Fürnemlich war er gelehrten Leuten hold / weil er selber gelehrt / und der Studirenden grosser Beförderer / die in ihm die Eigenschafften der Seele eines wahrhafften Mecœnas bewunderten / und ihn für einen Schutz-GOtt der bedrängten und verfolgten Musen hielten. Er war / nach dem Naturel aller redlichen Hamburger / gebohren / den Leuten gutes zu thun / und es fehlte ihm dabey an keinem Vermögen; sein Verstand überstieg alle Höhen der Geschäffte / sein Fleiß überwog alle Schwerigkeiten / und also war er so geneigt / als es ihm leicht war / seine Vater-Stadt in den wichtigsten Angelegenheiten mit seinen Verdiensten zu überschütten. Kurtz: Durch seine Gerechtigkeit im Urtheilen verdiente er Hamburgs Glückseeligkeit / wie Aristides Griechenlands / genennet zu werden. Schier alle Höfe von Europa richteten auf ihn die Augen / und sahen ihn als die grösseste Stütze der Hamburgischen Republique an / welches die ungemeine Gnade / Liebe und Vertraulichkeit des glor-

würi-

würdigſten Königs Chriſtiani IV. ſo ſelbige Hoch-Seelige Majeſtät gegen ihn bezeuget / ſattſahm an den Tag leget. Hievon haben wir ſelbſt viele Proben / die dieſer Monarch in eigenhändigen gnädigen Zuſchrifften gegen ihn blicken laſſen / geſehen / und es wäre uns ein leichtes / davon einige Exempel bey zu bringen / wenn uns unſer Endzweck nicht zum Beſchluß dieſes Lebens-Lauffes nöthigte. Ihr. Käyſerliche Majeſtät vergolten endlich ſeine Meriten mit der Würde des Adels / und in dem ihm deswegen allergnädigſt ertheilten Diplomate iſt unter andern ihm dieſes Special-Privilegium gegeben / daß er mit rohtem Wachs ſiegeln möge / welche Freyheit viele Grafen und gantze Republiquen nicht einmahl beſitzen / davon der Sächſiſche und Preußiſche Papinianus, Dr. Stryke eine eigne gelehrte Diſſertation geſchrieben. Alle dieſe Würden und Ehren-Stellen machten ihn nicht ſtoltz / denn dazu war ſein Geiſt zu groß / und ſein Gemüthe viel zu edel / das in keinem Dinge mehr Vergnügen ſuchte / als in Ausübung der Tugenden / und in den Verdienſten für das Vaterland / in welchem er auch im Jahr 1642. den 2. Decemb. ſeinen Geiſt aufgegeben / und dadurch das gemeine Weſen in unausſprechliche Betrübniß geſetzet. Er iſt in der St. Peters Kirche beerdiget worden / woſelbſt ihm ein herrlich Monument zu Ehren auffgerichtet ſteht / welches in des Herrn L. Anckelmanns Inſcriptionibus Hamburgenſibus zu leſen.

Zur Hiſtoire Anecdote gehöret dasjenige / was der berühmte Rudolphus Capell, Th. D. und

und ehmaliger Professor an hiesigem Gymnasio, in einem Ptogr. A. 1632. beygebracht / daß unser in GOtt ruhender Regent / als ein grosser Mecœnas aller Virtuosen, die Linde bey der Johannes Kirche / allwo die Tabula publica Gymnasii hänget / mit eigner Hand gepflantzet / welche nunmehr zu einem so grossen und ansehnlichen Baum gediehen. Seine Worte sind diese : *Videtis publicam gymnasii tabulam renovatam quidem sed antiquo loco repositam, sub arbore ingentis magnitudinis , cujus surculum suis manibus magnificus bonæ memoriæ Consul. Voglerus , anno introductionis Gymnasii 1613. ante hos 70. annos , bono omine , neque sine voto terræ implantasse dicitur. Illam videntes cogitate : Tandem fit surculus arbor , adolescens fit juvenis , vir & senex.*

Selbiger grünet zu seinem immerwährenden Andencken / zum Bilde seines unvergeßlichen Nachruhms / und wie sich dessen Gipfel in die Höhe gerichtet / und seine Aeste weit ausgebreitet / so hat sich sein edler Geist dahin gewand / woher sein Uhrsprung war / nemlich zu den Sternen / sein Ruhm-Gerüchte aber ausgebreitet biß an die äusserste Gräntzen des weiten Europa. Die jenige / denen die natürliche Billigkeit die Estim gegen die Väter des Vaterlandes eingepreget / und weise Regenten für die sicherste Grund-Feste eines Staats erkennen / werden auch den geringen Uberrest seines Staubes verehren / und an statt Zypressen um sein Grab zu pflantzen / ihm ein danckbares Andencken gönnen. Wäre das angenehme Latien zu seiner Geburths-Stätte

geworden

geworden / ſo würden wir vielleicht ſeine Materien an Marmor-Seulen leſen können: Weil aber mit Rom die Danckbahrkeit verfallen / und nach dem Tode Eraſmi die Ehren-Seulen vor groſſe Leute in Abgang gerathen / ſo müſſen wir dieſelbe in den Hertzen redlicher Patrioten ſuchen.

De
Vita & obitu
VIRI Magnifici
ULRICI WINCKELII, U.J.L.
& Reip. patriæ Hamburgenſis Conſ. bene meriti
Diſſertatio
ſcripta An. M DC LXXX.
à Nepote
ULRICO WINCKELIO, Hamb.
tum admodum Juvene,
&
nunc primum edita.

UT de Republica, patria inprimis optimè meritorum virorum conſervare & poſteritati tradere memorias laudabile eſt; ita propinquorum ſuorum laudes canere ambitioni vicinum videtur. Anceps ea de cauſa diu fui,

& alterius calamum hac in re exerceri, quam ingenii tenuitatis aleam ſubire malui. Fruſtra tamen cum hactenus vota fuerint, tandem pietas prævaluit verecundiæ, ut licet huic ſeculo ad malè dicendum, quam ad bene ſentiendum vel agendum proniori me ſatisfacturum nullo modo ſperem, tamen malevolorum potius invidiam, quam apud benevolos ignaviæ meritam accuſationem exſpectare ſatius eſſe duxerim. Et vero, ſi quid hujus peccatum fuerit, ſummorum virorum exemplo idem qui fecerunt me erraſſe gaudeo. Nec enim Joſephus Scaliger ambitionis notam incurrit, quod optimi parentis memoriam eloquentiæ ſuæ penicillo poſteritati delineavit. Nec Johanni Slutero JC. & Cancellario Guſtrovienſi nunc Reip. Hamb. à Conſiliis, nec Joh. Georgio Richtero JC. Reip. Norib: aliisque imperii ordinibus à Conſiliis vituperio ceſſit, quod Dominorum parentum elogium publicarunt. Sed ut hos, aliosque plures pietas erga defunctos excuſavit, ita me quoque beati avi vitam paucis & rudiori calamo delineantem nemo temerè conquiſiti honoris affectatique teſtimonii accuſabit. Veritas enim in propatulo poſita extra omnem adulationis ſuſpicionem me ponere poterit. Natus eſt Hamburgi A. C. M. D. C. LXXV. die XXX. Octob. Juliani hora 7tima matutina Pater ipſi fuit *Ulricus Winckel* mercator apud Hamb. ſpectatiſſimus, juratus Ædis D. Petri & Pauli antiſtes, qui anno Chriſtianorum

rum M. DXCIV. die XV. Sept. ætatis ſuæ LXVII. vivere deſiit, & octiduo poſt Hamburgi in templo Petrino honorificè eſt ſepultus. Mater vero *ANNA* nata ex *Johanne Luchtemacher* cive haud poſtremo & *Anna Soltovia*, quæ ex antiqua & honoratiſſima Soltoviorum gente originem duxit. Winckeliorum familia ex urbe Bremenſi originem trahit, in qua ipſi ordine & dignitate non fuerunt poſtremi. Prima parentum cura fuit, ut filius per ſacrum regenerationis lavacrum ab antiquis peccatorum ſordibus mundaretur, & poſtea diligenti informationi traderetur, cumque in puero maturè emicaret ſingulare ingenium, liberalibus eum ſtudiis conſecrare in animum induxerunt. Prima literarum & artium fundamenta in ſchola patria ad ædem D. Johanni ſacram, cujus tum temporis Rector erat vir eruditiſſimus *Warnerus Rolevincius* poſuit, ex hac ad altiora anhelans in Gymnaſium Bremenſe patris juſſu ſe recepit, quod illo tempore magna cum laude vir ſatis celebris *Nathan Chytræus* moderabatur, ſub cujus ductu & moderamine duas habuit orationes, felicitate ſuæ memoriæ gaviſus. Anno 1596. ad capeſſendam uberiorem ingenii culturam Marpurgum profectus fuit. Dabant illi Academiæ ſplendorem duo inſignia literarum lumina *Gothofredus Antonii* & *Johannes Gœddæus*, quorum utrumque & audivit docentem & familiariter quoque novit, & ſub ejus præſidio ante abitum diſputationem inſtituit *de tutelis*, eo applauſu ut ab hoc ju-

dicatus sit, excellentem eruditionem cum artibus Ecclesiæ & Reip. necessariis conjunxisse. Post triennium nimirum Anno 1599. in Coloniensem Agrippinam se recepit Academiam, in qua licet Evangelii doctrinam non ita uti par est tradi non ignoraret, quia tamen egregios juris prudentiâ viros ibi reperit, non dubitavit ab illis, quicquid boni tradebant haurire, nec indè discessit antequam *de Verborum Obligationibus* publicè disputationem sub præsidio *D. Winoldi Kivers* non sine gratulatione habuisset. Florebat ea tempestate Noricum Athenæum viris toto terrarum orbe clarissimis qui liberalioris doctrinæ lumine per Germaniam effuso, juventutem bonarum artium studiosam, tanquam ex veterno excitabant, jacentesque disciplinas erigebant. Duumviri nimirum in juris prudentia maximi *Scipio Gentilis* & *Conradus Rittershusius* in Aristotelica vero solidaque philosophia, tum clarus ibi Vir *Michael Piccartus*. Horum ille noster fama excitatus relictis Ubiis Altdorfium Anno 1602 concessi, & summo discendi ardore flagrans felicitatis non exiguæ partem existimavit, quod in Rittershusiii ædes & convictum receptus, ab ejus viri profunda doctrina & moribus aureis quotidie veluti penderet, & non minus benè vivendi institutis, quam sapiendi & rectè judicandi præceptis proficere posset. Ab hoc viro ejusque institutione familiarique convictu fructum reportavit longè maximum, ut jam non in studiosorum vulgo se numerari,

sed

ſed inter primarios & eximios ſeſe cenſeri autumaret. Scipionem vero illum ſic intuitus ſic miratus eſt, ut ab ejus latere ſive domi ſ. publicè doceret non temerè diſcederet. Obſervabat enim in hoc viro ſingularem Italici ſanguinis genium, & accuratiorem docendi jura modum, quam ſeculum prius capere forſan potuiſſet. Specimen igitur ſuorum in L L atque juris civilis ſtudio factorum profectuum iterum edidit, diſputatione publicè *de fructibus*, habita, moderante C. Rittershuſio, qua obtinuit privatim alios docendi licentiam. Nimirum cum noſtræ eruditionis nullum certius ſignum dare poſſimus quam aliorum inſtitutione & doctrinæ cum aliis communicandæ dexteritate, hanc ille iniit rationem ſuos eruditionis theſauros aliis demonſtrandi, quod quidem ipſi tam proceſſit feliciter, ut neminem temerè operæ ipſi datæ pœnitere potuerit. Quanta ſibi amicitia obſtrinxerit ſummos illos in eruditione viros teſtantur carmina propemptica nec non literæ poſt diſceſſum ad eum datæ, teſtantur poemata, quibus de matrimonio & nuptiis auſpicato Hamburgi poſtea celebratis gratulati ſunt. Triennio itaq; Altdorfii peracto Argentinam conceſſit. Hinc Baſileam Rauracorum petiit, in cujus univerſitate nequaquam ignaviæ deditus vivere voluit, ſed quemadmodum inſtrumenta utut eximia, niſi in uſu poſita ſint æruginem contrahunt: Sic ille omnia quæ alibi didicerat peſſum ire, & memoria elapſura exiſtimavit, niſi ju-

gi exercitatione animum ingeniumque ſubige ret. Collectis igitur *poſitionum ſex decadibus* ex univerſo jure, inſtit. ff. Cod. juſtin. & Novellis indicavit Ictorum Ordini, animum ſibi eſſe, non niſi teſtimonio publico de eruditione ſua impetrata inde diſcedere. Conceſſa itaque pro more cathedra diſputationem inauguralem ita habuit atque defendit eas quas conſcripſerat theſes, ut Licentiæ quæ vocatur honore ac dignitate A. 1605. fuerit optimo jure condecoratus. Hactenus animus & aures ejus circumſonuerant legibus civilibus Romanis, ex Juſtinianeis Codicibus depromptis & perceptis. Fugere autem eum non poterat nos non amplius verſari ac vivere in eadem illa Rep. monarchica plane, quæ floruerat Juſtiniano Imperante, indeque liquido concludebat in judiciis accidere ſæpiſſime, ut à priſcis legibus urgente æquitatis ac juſtitiæ ratione foret diſcedendum. Leges quidem illas Romanorum receptas eſſe, non imperio tantum Romano-Germanico, verum & in Italia, Gallia, Hiſpania aliisque Europæ regnis: ſingulos hos autem populos præter LL. Romanas, uti ſuis inſtitutis & legibus ſeorſim ſibi competentibus. Geſtiebat itaque animus videre & obſervare in aliis regionibus qua ratione legibus tam Romanis quam ſtatutis ſuis uterentur judices. Galliam igitur viſendam ingreſſus ad Pyrenæos montes usque penetravit, quicquid civilis prudentiæ ac judiciariæ haurire potuit, illud colligere non neglexit.

Hoc

Hoc enim perſuaſum ſibi habebat veram juris-prudentiam, non in legum Romanarum notitia tantopere quam in earum recta prudentique applicatione conſiſtere. Legum vero ad actiones applicandi ſolertiam non tam ex libris, quam ex judiciorum inſpectione & accipi & acquiri. Hiſpanorum leges Romanas ſancte colentium ſumma dicaſteria viſitavit, cum per Belgium migraret & aliquandiu Bruxellis hæreret, ut morum & vivendi inſtitutorum inter hoſce populos magna eſt differentia, ita etiam in regendi & judicia exercendi ratione non parum intercedit diſcriminis. Quod quidem illi ut obſervare fuit ſuave, ita non potuit non eſſe magno ad ſapienter vivendum & judicandum emolumento. Gandavum, Antverpiam aliasque urbes illius Belgii tanquam Europæ imo totius mundi in compendio viſendi, celeberrimas, mercaturis non minus quam legum & politiæ adminiſtrandæ exemplis conſpicuas ita perluſtravit & perſpexit, ut in ſuum uſum colligeret, quæ poſtea patriæ ſalutem ac incolumitatem conſervare poſſent. Tandem feliciter confecto ſtudiorum ſuorum & peregrinationum curriculo ſalvus A.C. M DC VI. in patriam rediit. Non poterat ei exprobrari quod multis, quibus ſuæ res non ſatis cordi nec curæ ſunt, nihil eſſe turpius, quam domo abeſſe diu, multosque adeo annos, & earum rerum propter quas omnia inſtitueris, vacuum reverti. Winckelius igitur, vir doctiſſimus &

Jurisconsultus ad suos rediit, suoque adventu mirifica voluptate & ipsos & patriam perfudit. Oeconomicam vitam quod attinet non cœlibem ætatem transigere secum constituit, sed divina favente gratia an. M DC IIX. d. XI. Aprilis lectissimam virginem *Ursulam* * ex parentibus Magnifico Dno. *Theodoro vom Holte*, consule & *Margareta* filia Dni. *Jacobi Sylms*, Senatoris utriusque bene meriti de Rep. hac Hamb. filiam natam matrimonio sibi junxit, cum qua tranquillam egit vitam triginta octo annis, columbarum more, concorditer & amabiliter, quam A. 1646. d. 8. Decemb. in cœlum præmisit. Quamvis autem improle hoc matrimonium initio visum esset futurum, tamen anno à nuptiis duodecimo filium peperit ei Uxor *Theodorum* parentem meum dum viveret propensissimum, & biennio interjecto *Ulricum*, Patri cognominem.

Cæterum nihil minus quam aulas Principum cogitans, quippe patriæ Reip. liberæ suis animi & corporis viribus si qua opus esset succurrere desiderabat, privatis sacris contentus publica non affectabat, sed occulto velut rosæ sitæ loco spiravit odorem suavissimum quo allecti prætereuntes indagine earum capiuntur & inventas colligunt. Sic virtus & eruditio, agendique dexteritas passim excitat, ubi non putes, sui amatores, spargitque odorem quo Reges atque Principes incitati ministeria eorum sibi asserunt; Serenissimus itaque Dux Saxoniæ inferioris

* Nata fuit A. 1581. 26. April.

rioris *Franciſcus* Winckelianam induſtriam odoratus à Conſiliis ut ſibi eſſet evocavit & liberali ſalario honoravit, in qua functione ingenii ſui dotes explicare aliisque declarare cœpit, quid utilitatis ex ſtudiis liberaliter cultis & ex peregrinatione capi poſſet. Quippe in legationibus ſuſceptis ad quos miſſus, gravem oratorem, ſuo principi prudentem conſiliarium, omnibusque aliis comem ac benignum ſe præſtitit. Verum ut ſolent catenati eſſe ejusmodi labores, ita accidit, ut cum *Fridericus* ſereniſſimus Holſatiæ Dux anno hujus ſeculi XVI. à potentiſſimo Daniæ Rege confirmaretur, gravesque controverſiæ inter ordinem Equeſtrem Holſatiæ & Regem metuendæ eſſent, prudentia & conſiliis Winckelii ſalutaribus, totum homagii negotium ita ſucceſſit ut ſine armis tranquilleque, omnium ac ſingulorum animis contentis concordia ſtabiliretur. Hiſce rebus Divina clementia ſatis feliciter geſtis, viam ſibi ſtravit ad honores in patria capeſſendos, cujus enim prudentiam & fidem in alienis negotiis cives ſui perſpexerant, illi patriæ negotia maxima committere jam non dubitabant. In *ordinem* itaque *Senatorium* primùm An. 1618. adſcitus, non aliorum exempla intueri neceſſe habebat, ſed ne quam cives de ipſo conceperant opinionem falleret, ſatagebat, ideoque non multo poſt nimirum 1619 *Prætura dignitas* Senatoriæ fuit adjuncta. Quam graves interceſſerint jam dudum controverſiæ ſereniſſ. ac

potentiſſ. Regi Daniæ cum Rep. Hamburgenſium, non temere quenquam fugere poteſt, viſa eſt Winckelii ſedulitas & prudentia apta hiſce negotiis vel finiendis vel melius ordinandis Hafniam itaque an. 1621. d. 12. Dec. ablegatus à Rep. ſua an. C. 1623. d. 24. Apr. adjuncto ſibi comite Dno *Vincentio Mullero* id temporis Secretario poſtea Syndico Reip. hujusque cauſa miſſus eſt ad Hiſpanicos Belgas. Ubi Bruxellis ſuper arduis negotiis tractabatur: Cum itaque ſummis vigiliis, corporis animique contentione omni patriæ ſaluti vel conſervandæ vel augendæ totus incumberet, nusquam non boni civis partes expleret & perſpicacis ingenii ac judicii jam in publicis negotiis ſubacti, ſigna ubique tolleret, eum in animum omnium civium ſuorum & ordinum patriæ favorem elicuit, ut *Conſulari dignitate* cum unanimi conſenſu populique applauſu maximo eum An. 1624. die Petrina tum ſolemni ſive 21. Febr. afficerent. Hæc tanta honoris adorea, qua majorem reſp. non habet, quam conferre poſſit, adeo imflammavit animum ejus, ut jam tanto impenſius nihil niſi publica patriæ commoda cogitaret, nihil ageret niſi quod Reip. ſibi commiſſæ utilitatem ſpectaret. Judicia ut recte adminiſtrarentur, nec ulla iniquitatis querela inter cives audiretur quantum potuit præcavit. Senatorius ordo, conſenſu ampliſſimorum collegarum, & univerſi ſenatus ſuffragiis nova jurisjurandi formula præſcriptâ, officii ſui rationem quam ſanctiſſime porro

ſe

ſeſe habiturum obſtrinxit. Sed præſentia & quæ veluti ante pedes ſunt curare, quamvis laudabile ſit, futura tamen ſimul proſpicere, & de poſteritate quoque ſollicitum eſſe longè eſt laudabilius. Ideoque non exiſtimavit Reip. adeò ſibi dilectæ, ſuique muneris rationibus ſeſe ſatisfacere, niſi & hac in parte ſedulitatis atque prudentiæ ſuæ ſigna daret. Animum igitur ad ſcholæ reformationem adjecit. Quanti autem interſit ejusmodi Reip. ſcholas rectè & ad ordinem politiæ ſuæ directas haberi, nemo paulo ſagacior ignorare poteſt, quippe ſcholæ nihil aliud quam ſeminaria futuræ civitatis, imaginem præbent Reip. poſt noſtra tempora exſituræ, ut igitur quisque in ſcholis aperiendis regendis & ordinandis diligens fuerit, ita quoque de Rep. ſua melius meliusque meritus eſſe dici poteſt. Itaque Anno 1634. de publicis illis literarum ludis cogitationem ſaluberrimam ſuſcepit, eosque ita inſtituit, ut ex illis apti aliquando prodirent cives, quibus & regiminis quædam pars tuto committi poſſet. Ærarium cum ſit Reip. veluti ventriculus, qui ſingulis partibus ſua ſuggerit alimenta, ſuccos vitales & ſpiritus animales unde vivant & moveantur, quo labefactato, non niſi tabes & male ſana totius corporis conſtitutio ſperanda eſt. Niſi enim nervi rerum gerendarum adſint, quid eſt quod effici laudabile aut patrari ſalutare poſſit? Ideoque rationem augendi ærarii adſtipulante Senatu populoque iniit, quæ ſingulis non fuit moleſta, univer-

verſam a. Remp. incredibili affecit adminiculo, nempe ædium ſingularum collecta ſive tributum aliquod annuum fuit exactum idque valde tolerabile ſingulis civibus, quod tamen in urbe domibus refertiſſima, notabilem & valde publico proficuam contulit ſummam, non ſine ſingulari publici boni emolumento & absque privatorum bonorum detrimento. Qui Hamburgi aliquam habet notitiam, ignorare non poteſt extraneorum, nimirum Belgarum, Anglorum, Hiſpanorum & Luſitanorum non exiguam jam dudum ibi fuiſſe frequentiam & confluxum commerciorum exercendorum cauſa. Eſt enim Emporium illud, totius Germaniæ facile princeps commoditate loci ac ſitus adeo commerciis undique convehendis & diſtrahendis aptum, ut totius Europæ, imo univerſi hujus terrarum orbis mercatores ejus non ſolum habeant quandam notitiam, verum & merces eo mittant, aut ibi petant, aut utrumq; præſtare allaborent. Atq; in eo emporiorum veram celebritatem, utilitatem ac ſummum emolumentum verſari arbitror, ſi variarum etiam remotiſſimarum nationum ſocietates & negotia ibi reperiantur. Hinc enim illæ mercatorum genere omni exoptatæ divitiæ copiosè affluere ſolent. Hinc illa opum incredibilis congeſtio, quas qui non ſeorſim & per partes veluti æſtimare noverit, univerſas animo concipere vix poterit. Hæc cum perpendiſſet B. Winckelius, nullo alio pacto ſe præclarius mereri poſſe duxit, de urbe illa, quã

ſi

ſi exterorum mercatorum Hamburgi vivere aut negotiari deſiderantium res ac rationes eo locaret ordine ac loco, ut tam illi qui jam tum ibi erant, contenti eſſe poſſent, quam alii æquitate contractus illius eo attraherentur & allicerentur.

Illi quibus pars Reip. regendæ aliqua commiſſa eſt, ut publicis muneribus ad communem utilitatem fungantur, cum quisque vel diligentiæ laudem vel negligentiæ pœnam ferre debeat, bene eſt principis & regentis in id incumbere ut hac in re quod ſalus Reip. exigit, non negligatur. Jacent autem pleraque munia, neglectius certe geruntur omnia, ubi ſalaria vel non reſpondent labori & moleſtiis, vel promiſſa non erogantur, & ſtato tempore diſtribuuntur, vel etiam nonnullis ſatis oneroſis functionibus plane nihil redhoſtimenti ex publico eſt conſtitutum. Ex qua iniquiſſima rerum adminiſtratione, querelæ primum, inde peculatus, rapinæ publicorum bonorum, tumultus, ſeditiones denique, oriri facile poſſunt. Quibus avertendis & eminus veluti arcendis intentus ille noſter Winckelius omnia illa publica officia, functiones, munera ad calculum redituum publicorum exegit, examine accuratè eorum omnium inſtituto, quibus ex publicis ſalaria quotannis numerabantur. Judiciorum recte exercendorum eam habuit curam, quam JCtus in Academiis exercitatiſſimus

mus habere poterat: Ordinem Dicasterii inferioris Hamburgensis revisione restituta ita formavit, ut ad æquitatis ac justitiæ normam ad amussim exacte conveniret. Quicquid enim vel in peregrinatione sua, vel & in judiciis provincialibus Hadelemensibus quorum Assessor aliquot annis fuerat dignissimus, vel utile viderat, vel inutile aut inconveniens observaverat, illud ad patriæ suæ regimen ad cujus clavum ipse quodammodo sedebat, prudenter accomodabat. Hisce domi perquam feliciter peractis, Reip. & Senatui visum est è republica esse si ad comitia Ratisbonensia de re maximi momenti mitterent non quemlibet ex Senatu sed ipsum Consulem, quem quidem haberet civitas fidelissimum, & summis rebus agendis aptissimum.

Cum scilicet universæ ejus civitatis salus ex fluminis maximi oportunitate, quæ facit emporio illi capacissimam navium stationem, abs qua si cesset, commercia exerceri commodoquo nunc, nequaquam possent. Potentissimus ac serenissimus Rex Daniæ *Christianus IV.* glorioſissimæ memoriæ teloneo ad Albim extructo vectigalia exigere à mercibus quæ flumine importabantur vel devehebantur satis gravia & civitati perquam noxia contendebat. Si vicinas urbes commerciis florentes respicimus & quantum ponderis sit vel ad sufflaminanda commercia vel ad augenda situm sit, negari non potest hoc negotio vectigalia

infra

infra Hamburgum ad Albim ſpectantia, jugulum veluti fuiſſe petitum totius hujus florentiſſimi emporii. Verum tota res ita eſt transacta & compoſita autoritate Cæſareæ Majeſtatis, ut ſumma inde in urbem utilitas, gloriæ vero nonnihil in B. Winckelium redundaverit. Erat, ut natus in florente ac libera repub. Libertatis civium amans, & conſilio ſemper, impetu nunquam utebatur, quin ſi qui temere quicquam vellent, eos ratione & facundia retrahebat: in tractandis autem negotiis à filo legitimo Juris, latum unguem non abibat: itaque per annos complures præclare de civitate mereri perrexit.

Sed jam vitæ optimè peractæ videnda eſt cataſtrophe. Non enim ſemper contingere ſolet ut vitam excellentem fata ſimilia claudant. ſed hic nihil defuit ad exoptatam mortem, quippe in votis ſemper fuerat, ut ſi Deo viſum rebus humanis eximere ſeſe, non diuturno morbo affligeretur. Si cum Viro Chriſtiano & pio componere licet gentilem, mentio hic fiat Pindari poetæ celeberrimi, qui quodnam eſſet illud in quo ſumma hominis felicitas conſiſteret interrogans reſponſum tulit: mors qualis Agamedi & Trophonio contigiſſet, qui placide obdormierunt, qualis ſi optaret, propediem ipſum conſequutura eſſet: Ajunt igitur non multo poſt cito & placide eum obiiſſe. Quod Winckelius optavit, contigit ipſi mors non lenta nec improviſa eum abſtulit rebus hiſce caducis

&

& pereuntibus, ac in æternam tranſtulit beatitudinem. Poſtquam enim ante paucas ſeptimanas, in æde ſacra, animam ſuam verendo corporis ſanguiniſque Servatoris ſui Chriſti myſterio, ſacro illo viatico, paviſſet expiaſſetque, catarrho quodam correptus fuit. Tamen hoc parum curans ſe veſtitu juxta conſuetudinem cohoneſtavit, aſſidueque ſuis laboribus intentus fuit usque ad veſperam. Peracta cœna de pectoris dolore questus, ad quietem ſe compoſuit, more tamen ſuo pio ardentiſſimis precibus ac ſuſpiriis DEO ſe commendavit, catarrhus ex inſidiis quaſi prorumpens tam atroci vehementiâ pectori incubuit, ut antequam Medici opera implorari poſſet, ſpirationis viis penitus intercluſis ipſe animam ageret, ac inter manus ſuſtinentium quaſi placidô ſomnô ſopitus, deficeret. Ut igitur tota vita fuit negotioſa ab omni ceſſatione tarditate procraſtinatione aliena, ita & fatum ejus non præproperum ſed tamen citatum, inter ipſas publicas occupationes, ſicut bonum militem ſtantem mori oportere exiſtimarunt ſapientes, ita hic quaſi in ipſa ſtatione in patriæ ſuæ ſalutem occupatus obiit Anno 1649. d. 15. Febr. Jul. inter horam 6. & ſeptimam matutinam, cum in hoc mundo feliciter & cum gloria tranſegiſſet annos ſeptuaginta tres, menſes tres, dies quindecim. Die 22. Febr. ſingulari cum honore & funus proſequentium multitudine corpus dormitorio ſuo in primaria urbis S. Petro & Paulo ſacra æde demanda-

mandatum lætam resurrectionem cum omnibus fidelibus exspectat. Sic vixit finiitque cariſſimus meus Avus, morte haud adeo immatura, ſi tempus quis putet. Satur etiam vitæ gloriæque exceſſit. Tua mortalitas finita, non vita eſt: Vivis enim in cœlo, vivesque etiam in terris in mentibus bonorum.

E plurimis quibus beatiſſimi Conſulis funus condecoratum eſt Epicediis, hæc bina adjungere juvat:

TEmpore, quo ante annum p) rapidiſſima turbinis ira
Turrim proſtravit, Vah, Catharina, tuam.
Ecce repentinæ ſtraverunt ſpicula mortis
Patronum inſignem, q) Vah, Catharina, tuum.
Scilicet hanc turris notat iſta ruina ruinam?
Quâ decus ablatum eſt Hoc, Catharina, tuum?
Namque hic Winckelius Juris conſultus & æqui
Arbiter inſignis, Vir Venerandus erat,
Aſſuetus ſanctæ Themidos tolerare labores,
Multis prælucens Juris utramque facem,
Naucleri ad clavum patriæ prudentis ad inſtar
Qui ſedit cum Res publica puppis erat
Curarum variis variè jactata procellis
Sacro Conſilii remigio acta Sacri:
Præfuit huic urbi facundi Neſtoris inſtar,
Exiſtens patriæ lauſque decuſque ſuæ.

P Urbem

p) Anno 1648. 15 Febr.
q) Anno 1649. 15. Febr.

Urbem hanc dum Legum populosam rexit habenis,
Fortiter impositum gessit & urbis onus.
Inprimis autem solenni carmine dignum est
In templo quod cum Concio habenda fuit,
Non, nisi cum vires languerent corporis ægrè,
Abfuerit verbi incensus amore DEI.
Et quamvis, subito sub tanta mole senectæ
Occubuit, menti non tamen istud obest:
Namque repentinæ mortis vix spicula sensit
Et placidè & verè indormiit in Domino
Nescivitque mori se, cum jam jam moreretur,
Nescit adhuc quod sit mortuus; O bona mors!
Ut quondam Divus noster Lutherus amici
Descripsit mortem sic placidam ut subitam.
Nec mala mors illa est, bona quam præcedere vita
Visa est, ut veteres dicere sunt soliti.
Et sic qui moritur, mortem meditando, priusquam
Hic moritur, ponens corporis exuvias,
Non moritur, quando moritur, ceu Symbolon istud
Inscriptum tumbæ Consulis usque monet
Quare vos, quos mors hæc nostri Consulis arctũ
Conjicit in luctum, quæso tenete modum,
Atque in solamen vobiscum expendite, quanta
JHOVA patrem in vestrum munera contulerit,

Quod

Quod ſervarit eum, ut canum venerandus in ævum,
Sceptra Magiſtratus geſſerit in Patriâ.
Atq; Deo atque aliis magnis ut honoribus auctus
Vixerit, & fuerit gloria magna ſenum:
Sic jam cum faſces ſolito deponere more
Vellet, Curarum faſce levatus obit,
Et non amiſſus, verum præmiſſus abivit
In CHRISTO ad vitæ gaudia inoccidua:
Quare, ſic DOMINO placuit, jam dicere veſtrum eſt
Cum Jobo: DOMINO ſic placuiſſe ſat eſt
Namque DEus noſtros menſes metitur & annos
Quod nos perſpicuè Biblia ſacra docent.
Hoc ſacro freno ſua qui modo ſenſa coercent,
Hic dicent: DOMINO Quod placuit, placeat.

Quod in honorem defuncti Evergeta mei ſcribebam

M. JACOBUS Groſſe/
ad D. Cath. Paſt.

HAMBURGA, fortunata mundi civitas
Cecidit corona capitis, heu! dolor! tui.
In pulverem te ſubde, lacrymas plue
PROCONSUL ULDARICUS hic WINCKE-
LIUS.
Proh occidit! cujus vigore conſilii
Stabas labans. Proh occidit! proh occidit!
Quanta eſt viciſſitudo rerum & temporum!
Hæc hebdomas, quæ lachrymas abſtergere
Et civitatis colligare vulnera

Antiquitus ſolebat, ecce Lacrymas
Indicit atras, vulnerat crudeliter.
Si Mors cruenta curiam domum patrum
Afflixerat fors purpuratorum, hebdomas
Hæc corrigebat, ſqualidumque priſtinis
Reddens nitoribus ſtatum, pro tædio
Reddebat, ante. gaudium, pro gaudio
Nunc reddit eheu tædium! dum vulnere
Hanc Conſulari Civitatem ſauciat
Rex Perſiæ Xerxes videns prætorio
De celſiore militem, terra mari
Superbientem, fletibus genas rigat,
Conſiderans fugacitatem temporum,
Quæ forte paucos, forte nullos ordine
Ex militari hoc poſteris relinquerent:
Nos flemus & dolemus æquis lacrymis
Adverſa tam nos pro ſecundioribus
Jam premere fata. Sol peregit annuum
In circulo curſum, adque punctum jam redit,
Ex quo procella a) mixta forti fulmine
Tuam coronam Catharina dejicit!
Jam Conſulem procella mortis dejicit,
Illam tui cœtus coronam & totius
Urbis coronam, caſu inemendabili:
Averte plura mi D[illegible] mali auguri
Tormenta, ſis nobis benignus arbiter!
Non invidemus Conſuli tam proſperum
Cœli ſtatum, tam ſplendidamque gloriam
Cœleſtis aulæ, nemo enim mortalium
Sic eſt beatus, ſic agit feliciter,
Ut non mori ſit ſuavius quam vivere,

a) Anno 1648. 14. Febr.

Vita

Vita hæc laborem, Mors quietem deſtinat.
Mutationes vita, mors conſtantiam
Beatitudinisque donat gloriam!
Et Conſul hac nunc eſt potitus gloria
Per ſortis ambages, per & diſcrimina
Per difficultates viarum ſpineas,
Laborioſas & functionum munia:
Quæ ſi placet, placere debet, accipe.
Hamburga patria eſt b), celebris patriæ
Laus ſurgit in tanto viro, laudes viri
Surgunt, quod eminente natus eſt loco
Cum filio nomen Patris compar fuit,
Eccleſiæ res adminiſtrabat Pater,
Quam Petrus & Paulus notant, fideliter,
Studiis dicatus à Parentibus, bonæ
Et altiora promittentis indolis
Præ ſe ferens minas, agens viceſimum
Annumque primum, deſerit patris focum.
Haſſas Athenas viſitat, te viſitat
MARPURGA c) qua cum Marte doctæ dimicant
Artes, tricennium moratus hic, ſui
In diſputatione mnema publicum
Abiens reliquit, ſpemque Præceptoribus
Amplam facit, magnæ futuræ gloriæ.
COLONIAM petivit hinc, celerrima

b) Dn. Uldaricus Winckel naſcitur Hamburgi 1575. 30. Octobr.

c) Venit Marpurgum 1596. inde abiens publicè diſputat: Coloniam 1595. ubi in abitu iterum diſputat publicè.

Quam Rhene Spumans adluis conſpergine,
Subſiſtit hoc loco per annum tertium.
Indagine altiore mentis ventilat
Quos Baldus, & quos Bartolus monitus habet,
Nec inde diſcedit, priusquam publicum
Teſtamen edit eruditionis &
Sub diſputationis incudem vocat
Verbi obligatione redditam fidem
Non mendace non frangendam hiatu pectoris.
ALTORFIUM d) pergit, levare ſe humo
Et celſiora nititur ſpirare, dum
Academicorum calculo Patrum docet
Alios plicas juris domi cognoſcere
Et ventilare publico foro foris.
Urbs eminens tollit caput; cui Auſones
Argenteum nomen dedere, Teutones
Urbem platearum vocant, hanc porro adit
Et incolarum cernit indolem, interim
Suos rotatus luna volvit ſexies
Sic vixit & ſtudiis dicavit hactenus
Winckelius mentem. Themis deliberat
Decernit, & ſummos honores, e) queis ſuos
Ornare cultores ſolet, Mitram, Annulum,
Et cæteras ſolennitates publicas
Baſilea confert, & per arduum jubet
Ipſum angiportum more protentaminum
Præfulgidum ire Themidis in ſacrarium:
Proclamat & Licentiatum publicè.

Ger-

d) Altorfium petit 1602. ibid. collegia aperit. inde tendit Argentinam.
e) Baſilea Licentiatus Juris declaratur.

Germanus hactenus fuit. Germaniam
Luſtravit, at tantam indolem, vimque ingenia.
Excelſioris una non Germania
Satiare quivit. Patrium ipſe credidit
Mundum eſſe, partes mundi & oras diſcutit:
Te Gallia f) in primis viris & urbibus
Et moribus præclara geſtit cernere,
In te quod ex uſu eſſe poſſet diſcere.
Vita hæc peregrinatio eſt menti bonæ
Quivis locus, domusque diverſorium eſt,
Iter ultimum quod eſt in patriam optimum eſt,
Ergo peregrinationibus modum
Finemque figens noſter ad domeſticos
Redit lares, g) virtutibus novum
Patriæ decus redit celebratum, bono
Se patriæ, ſe commodiſque patriæ
Oſtendit eſſe proſatum, nam neſcia
Latere virtus, eruditio, gravis
Uſuſque rerum in principum clementiam
Illum induit. Leoniburgi Saxonum
Ad grandiora h) puncta Princeps conſilii
Illum vocavit ventilanda, quæ foris.
Inſigne comma laudis ipſi Holſatiæ
Equeſtris ordo contulit prænobilis:
Sollenitates i) quando jure debitas
Homagii & ſubjectionis maxime

f) Peregrinatur in Galliam.
g) Redit in patriam.
h) Fit conſiliarius Princ. Launb. Sax.
i) Ritus ſolemnes homagii pro ſtatu equeſtri Holſatiæ præſtat. 1616.

Fridrice princeps (cujus ad nomen caput
Nudo, pedes flecto, manus levo, apprecor.
Vivat Fridericus DEus, vivat diu!)
In omnibus festivitatibus tibi
Interprete hoc præstat. Foris notus, domi
Patriæque natus, patriæ prodesse vult,
In Patria k) Senator ut vocatus est,
Vocatus est plaudentibus gaudentibus
Cunctisque gratulantibus, mox Prætor est
Dijudicatus pro rei exigentia.
Sexennium delabitur, celso gradu
Ad consularem surgit eminentiam,
Hæc dignitas, hæc consularis dignitas
Virum requirit mente prudentissimum
Negotiis laboriosis deditum
Legationibus ferendis strenuum,
In providendis rebus expertissimum
In ventilandis expeditum casibus
In finiendis rebus at celerrimum
Adversitatem perferendo ferreum
Fuisse talem Consulem WINCKELIUM
Sciunt, scit civitas, livor negat.
Molestiæ tantæ levamen quæsiit
sociamque vitæ l) quam DEus providit, &
Philippus ille copulavit, qui fuit
Cathrinianæ Ecclesiæ, præses sacer
Sine laude nostra celsior laude omnium:
Pulcram Ursulam, voce Ursulam, re blandulam
Agnam,

k) In patria fit Senator. Prætor. 1618. Consul. 1624.
l) Uxorem ducit Consulis Dn. Dieterici ab Holten filiam Anno 1608.

Agnam, ſatam Proconſulari ſanguine
Dietrich von Holten. Hic DEus quod aſſolet
Facere, facit; benedictionis rivulos
Claudit diu, claudit decem atque annos duos
Improle conjugi fuit decus, m) dedit
Vere DEus donum Theodorum dedit
Patris æmulum, Licentiatum juris, &
Cognominem patri alterum, vireſcat his
in filiis pater! refloreat! pater
Defloruit! n) virere deſiit Pater,
Non omnis: en floret, viret jam cœlica
Florum corona, quam ſibi promiſerat
Quando exiens, domo vel intrans repputat
Hæc ſancta ſecum verba primi & ultimi:
Ad uſque mortem o) eſto fidelis: & dabo
Tibi coronam cœlicam. Winckelio
Data hæc corona eſt, plaudite, & nunc finis eſt.
In hac hora finis omni tempore
Noctu, diu, ſemper, beatus finis eſt!

Memoriæ ſempiternæ,
Vitæ nunquam ſatis laudatæ, mortis aeternum beatæ conſecratum
à
M. JOH. ADOLPHO FABRICIO,
Eccleſiaſte Jacobæo.

m) Fit parens ſed tandem duorum filiorum quos DEUS ſoſpitet.
n) Moritur 1649. 15. Febr hor. 6. antemerid.
o) Apoc. II. 10.

Elogium breve
Magnifici Conſulis
JOHANNIS BRAND.

JOhannes Brand Hamburgum primum naſcens attigit die XXVIII. Nov. Anni M. D. LXXXV. patre Joachimo Brand, Ampliſſimi Ordinis Senatorii Viro, matre Margareta Simonis tho Weſten Duodecimviri & Jurati Corporis Chriſti ad ædem S. Petri filia. Studiis in patria innutritum excepit Heidelberga ac Licentia docendi Jus utrumque ſolenni ritu ornavit, Anno MDCXII. cum uſus fuiſſet inſtitutione tum aliorum tum Adami Reuteri cujus præ cæteris meminit Paulus Tſcherningius Sileſius Poeta non ineptus in Carmine * memoriæ Magnifici Brandii conſecrato. Anno MDCXVI. Secretarii munus in Rep. Hamburgenſi ſumma fide & dexteritate obire cœpit, Senatoris vero dignitatem ſeptimo anno poſt uti Prætoris Ao. MDCXXVII. & Conſulis denique Anno MDCXXXIII. Legationibus quatuor functus eſt

* Verba Tſcherningii hæc ſunt:

\- - - - Er hatte bey ſich ſtehn
Den Reuter / dem zur Seit Aſtræa ſolte gehn/
Den Adam Reuter den die Engeländer kennen/
Den nachmahls Ochſenfurth Profeſſor muſte nennen/
Ein Mann aus Schleſien / den Fama ſelber preiſt/
Der hat den theuren Brand in Künſten unterweiſt/
Als des Herr Wördenhof der alte Zeugniß giebt. &c.

eſt ſumma cum laude jam Conſul, prima Viennam ad Imperatorem Ferdinandum II. altera Londinum ad Carolum I. magnæ Britannniæ Regem, tertia ad Chriſtianum V. principem juventutis necdum Regem in novo emporio (Niekoping ſua lingua Dani appellant) verſantem, & quarta denique Hafniam ad juſta Chriſtiano IV. glorioſiſſimo Regi celebranda quo tempore actui ſimul coronationis Friderici III. præſens interfuit. Tantum virum mors eripuit dies quintus Maji A. M DC LII. natum annos LXVII. relicta uxore vidua Margareta, (filia Friderici Telemanni Duodecimviri juratique ad S. Petri ædem Dorotheæque Tammiæ) trium filiorum & unius filiæ matre.

Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 3. circa finem.

Peritura urbis, aut malorum imminentium, vel labis futuræ hoc primum indicium eſt, ſi decidant VIRI CONSULTORES. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Urbs tota ſolidatur atq; augetur cœtu ſapientium vel obitu labefactatur.

STA-

STATUA

Doloris, Amoris, Honoris & Gratitudinis ad Tumulum
Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi Conſultiſſ. & Incomparabilis
VIRI

DNI. ALBERTI AB EITZEN, J. U. L.

Patriæ Patris Hamburgenſis Neſtoris,
Conſilio, auxilio, ſudore, labore, juſtitiâ & clementia demeritiſſimi & omnibus exoptatiſſimi.

Qui

Ex parentibus Patre Dno. Dan. ab Eitzen, patria Ultzenſi, Duodecimviro primum, poſtea Senatore graviſſimo & Matre Margareta Hackmans.

Natus an 1578. 6. *Septemb.*

Prævia optimâ educatione & perluſtratis multis Regionibus & Academiis potiſſimum in Italia, Gallia, Belgio, Germania J. U. Licentiatus Marpurgi Cattorum ſumma cum laude declaratus Anno 1608. *Calend. Decembr.*

Cum vero laudabiliſſime
In Conjugio XLI.
Senatoratu XIII.
Conſulatu XXX.
In univerſum LXXIV.

Annos & Septem menſes demto biduo, genitis 8. liberis de quibus 5. & ex illis viſis nep. 23. de quibus 9. ſuperſtites, vixiſſet, Irrecuperabili totius patriæ urbis damno Anno clo Ioc LIII. 4. Maji undec. nocturna ſolo & foro vivere deſiit cœlo æternum

Vivens

CHARTACEA

Cum MARMOREA vel qua dignior erat, AUREA poni non poſſet ERECTA

à

M. FRANCISCO SIMONE, Paſt. ad D Georg.

Hamburgi, *Typis Jacobi Rebenini, anno* 1653.

OMnia dum rident, dum cœlum, flumen & agri
Lætitiâ ſpumant Maji bona nota canendo:
Totus anhelanti duco ſuſpiria corde,
Magna etenim in magnâ ſe continet urbe ruina,
Ingens congeries lugendi naſcitur inde
MAGNUS conſiliis MAGNUS quoq; DICTATURA
EITZENIUS cecidit! LUMEN prænobile CONSUL,
Eloquio MAGNUS cecidit quoque acumine mentis!
Nullius meritis cecidit reparanda CORONA!
Urbis jam cecidit non reſtauranda COLUMNA!
Heu cecidit cecidit JURISPRUDENTIA QUANTA?
RERUM multarum ſimul EXPERIENTIA TANTA!
Heu cecidit CONSUL Pyliis digniſſimus annis
EITZENIUS quem donorum ſplendore coruſco
Per populos latè & claras circumtulit urbes
Gloria, cui ſtudium, candor, cui jura fidesque
Relligio cordi, occubuit! quo carminis orſu
Rem tantam magni NASONIS flumine dignam
Aggrediar? laudes queîs ſeſe æquabat olympo
Exſequar, * & lumen Soli cum prona ſupinis Divi-

* De nunc. Licentiatus Marpurgi. Catt. Cal. Decemb. Ao. 1608 Maritus Ao. 1609. Senator Anno 1610.

Dividit ambiguo contendens axe miniſtrem?
Hunc fidum juſti cultorem & pectore forti
Spernentem, quæ ſæpè animos in devia flectunt,
Noverat & ſancti Venerabilis ORDO SENATUS,
Omnis & egregiæ populus cognoverat urbis,
Conſilii prompti quàm pollens copia mentem
Munierat, quanta in dubiis ſapientia rebus!
Illiteratus enim Trajani voce receptà
Princeps eſt aſinus ſaltem diademate vinctus.
Ergo conſcendit patriæ communis in uſum
Per fanum magnæ famæ, magnique laboris
Cunctorum applauſu conſcendit templa Regentum
Communi patriæ natum ſeſe eſſe ſciebat
Communi patriæ totum ſeſe uſque dicabat,
Ut patriæ ſeruire ſuæ fuit ampla facultas,
Sic dici patrem PATRIÆ fuit una voluntas,
Conſcripti PATRES hoc juratique SENATUS,
Senſêre affectum curas videre laborem
Effectum vidêre VIRI dijudicat ORDO
Sic SACER ad ſummi faſtigia ſcandat honoris,
Tam donis dives, genii tam lumine dives,
CONSUL & hinc exit veteri pro more SENATOR
GRANDIS HONOR PATRIÆ CONSUL qui dignus habetur,
Omnibus

Præfectus Bergdorf. Ao. 1617. Conſul; Anno 1623. Uxorem duxit *Geſam*, natam Schœnigiam, è qua ſuſcepit quatuor filios totidemque filias, nepotes XXIII.

Omnibus auxilio fuit hic fuit omnibus uſu,
Sic CONSUL dici voluit ſic Conſul haberi,
Sane huic ſe totam dederat Prudentia, in illo
Jugiter ut propriam ſervaret pectore ſedem,
Atque iſto in populum non falſa oracula ab ore
Proderet, eloquio promptam ſortita miniſtram
Suada, quoque aureolo, ut TULLI manabat ab ore.
Juſtitiam coluit penſi cui ſedula cura,
Nec leges fixit rurſus pretioque refixit,
Quod prohibent paſſim divina humanaq; jura.
Jus dedit Hic cunctis, cui non detractio acerba ut.
Cui lingua aſtricta eſt mercede, oppreſſaque turpi
Mens pretio, ut cauſam & fortunam inſontis ad omnem
Invidiam tandemque opponat ad omne periclum.
Præterea CONSUL palparent munera cavit,
Judicium nec amor turbaret; turpius eſt quid
Quam auro pulſa fides, auro venalia jura?
Muneris arguitur judex convincitur idem
Falſi, munus enim mentis diſtorquet acumen
A norma & tetra involuit caligine mentem,
Si ſemel obtinuit vitiorum MATER in urbe
Peſtis avaritiæ leges nec CURIA curat;
Alterutramq; reo, quod juſtum, præbuit aurem,
Magnus ALEXANDER MACEDO velut informavit.

Omnia

Omnia ſed memorem? neſcit tua GLORIA metam
Mi CONSUL nomen, famam cum facta fatigent
Multa, nec emeritæ promittant otia Divæ.
Jure igitur Gambræa ILLI Respublica ſeſe
Et patres patriæ tacito quod corde tegebant,
Credere & illius placide requiëſcere cura
Audebant; meritoque SENEM reverenter habebant,
Ac teneris quisquis charum ducebat ocellis.
Sed fati propior * paulatim urgentibus horis
EITZENIUS magis atque magis tremefecerat urbem.
Ambiguo tamen uſque metu ſuſpenſa tenetur
Quid ſi ſperatis veniant meliora? quid illi
Si nunc fata VIRO longiſſima tempora donent?
Olim etiam in mediis viſa eſt peritura procellis
Jam malo navis fracto, jam parte fatiſcens,
Quæ tamen in portum placido ſe condidit alveo.
Ecce autem in fauſto rumor ſe limine dirus
Proripiens, actum eſt ait, heu! TANTUM æthere ſummo
Subvectum jam Chriſtus habet, quid frigoris? aut quid
Horroris rumore iſto mihi pectus amicum
Perfudit? MEUS è vita ſuper æthera raptus

Mecœ-

* Morbo correptus II d. Jan. obiit 4. Maji, ſepultus in templo S. Petri.

Mecœnas? hic COMPATER hic functus vice
PATRIS.
Lugete O quantum eſt hominum queîs juſta vo-
luntas!
Ah fluite, effluite o lacrymis rorantibus omnes!
Curia, Templa, Scholæ, cives deflete RUI-
NAM.
Plorat enim veneranda fides, quia Maximus illi
Jam-pridem miſeræ CULTOR perit atque
PATRONUS.
Patria quid mirum, ſi caſſum & lumine luges,
Urbem qui multis tam conſervavit ab annis.
Heu ſedes Auguſtam Patrum! non ſancta dein-
ceps
EITZENII eloquio reſonabunt tecta ſuavi.
Aſt DEus omnipotens Rector ſic juſſit Olympi,
Eſt magnum pietatis opus ſe ſubdere juſſis.
Vivant Eitzenii nomen laudesque perenne;
Haut malè obîſſe poteſt, qui Chriſti vulnere
tectus,
Nec moritur quisquis Chriſto fiſus bene clauſit.
Vos liberi quos fata coquunt Patris VENERAN-
DI.
Deſinite in multos animum diffundere fletus,
Mors eſt naturæ lex & commune tributum,
HUNC
Tranſtulit ad Superas ſedes Regnator Olympi.
Nulla ubi lætitiæ, nulla eſt ubi clauſula vitæ,
Naſci & denaſci ſunt extra hæc cælica Tempe,
Hic homo mortalis non eſt, nec deſinit eſſe.
TU PATER interea PATRIÆ defuncte periclis,

Et quos noſtra vehit vario diſcrimine vita,
Caſibus, æternâ tu gaude ſorte, beatâ
Lætitiâ fruere! hinc alii nos ordine fati
Legibus exactis, ceu ſunt humana, ſequemur.
Tu PATRIAM noſter RECTOR SUPREME regendam
Suſcipe, depelle à nobis incommoda BELLI!

BERNHARDUS.

MORS JUSTI, *Vitæ præſentis* EXITUS,
INTROITUS *melioris:*
Imo JANUA VITÆ *ad vitam* ÆTERNAM.

PROGRAMMA
in Funere
Nob. magnif. ampliſſ. & conſultiſſimi
VIRI,
DN. JOAN. SCHLEBUSCH,
J. U. L.
& Conſulis Reipubl. Hamb.
bene meriti,
Quod deducebatur XXX. Jul. Julian.
A. C. CIↃ IↃC LIX.

HAMBURGI,
Typis Jacobi Rebenlini.

PRO-

PROFESSORES GYMNASII HAMBURGENSIS

Studioſæ Juventuti S. D.

IPſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaq; latè
Fortunæ ſecura nitet: nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diviciis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce:
Attamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honos.

ITa verbis præglorioſiſſimi, ut appellatur, Poetarum viſum eſt Orationem præſtruere, quâ, ſupremo officio functuri, viri in civitate noſtra ſummi, & Conſulis optime, cum de ceteris, tum de ſtudiis noſtris meriti, memoriam venerabiliter recordari, & aliqua ſaltem celebrare conſtitutum habemus. Liceat nobis tam piis eſſe: liceat non tam ad ſilendi cauſſas reſpicere, quàm loquendi: & cum ceteros commiſereſcat communis fortunæ, atque à defuncto collaudando ſibi minime temperent, nequaquam ſilentio ſolo nos veneremur. Et quanquam, quod carmine jam occupavimus, ſui honoris ſecuri ſint homines magni, *nec in præmiis humanis*, quod ait Cicero, *ſpem poſuerint rerum*

rum ſuarum: attamen, ut ille virtutem conſequitur, ſic utrique memoria, & deprædicatio apud gratos, inprimisque poſteros ſuccedit. Neque nos moveat, indigna eſſe tantis meritis, quæcunque proferuntur: & *reverentius fuiſſe*, ut Plinii verbis fere hoc dicamus, *integra illibataq; cogitationibus veſtris reſervari, quam carptim breviterque perſtringi.* Nam & longe plurima ita transmittimus: & cum hoc publice præſtare, & ad pietatem interſit, & ad exempla proculdubio faciat, in ipſa hac re, tam neceſſaria, & tanquam religione quadam devincta, excuſatio invenietur. Ex eo ipſo, quod ardua eſt, ſi non aliunde, conatus noſtri, & deſtinatio, ad quam amor, & reverentia non tam invitant, quam cogunt, ab æquis æſtimatoribus laudem auferent. Exempla vetera, & teſtimonia, quibus pietas aliorum prodita eſt, & noſtra accendi debet, data opera prætermittimus: cum ab ipſa potius re, & aſſenſu prudentum, qui neque ſuis præclare factis ſilentium, & noctem induci volent, defendi ſatis habeamus. Habuerint Romani ſua roſtra, in quibus à Junio usque Bruto præclariſſimorum hominum laudes auditæ ſunt: & in Ceramico Athenienſium Oratores ſuorum præconia ebuccinarint: hæc interim declaratio noſtra, hæc invitatio, dum exequiæ hoc die ducentur, dum juſta perſolventur, quod negatum eſt verbis, ex voluntate, & affectu nulli ſecundo, ſuppleat. Pauca dicemus, neque affectatè, ſed verè: optantes potius,

potius, ut rerum dignitas, & pondera qualitercunque appareant, quàm alia ornamenta. Felicem noſtram Urbem, ſi plures ejusmodi cives, ſi rectores habitura eſt: feliciorem, ſi diutius ſuperſtites. Cujus cauſa univerſa civitas in luctu hodie eſt, & ſqualore: cujus honori hæc damus, Vir nob. magnif. & conſult. DOM. JOANNES SCHLEBUSCH, J. U. L. ET CONSUL, QUI NUNC PRÆSIDERET, naſcebatur d XII. Octob. Jul. A. C. clc Ioc VII. intra horam VI. & VII. matutinam. Parentes ipſi fuere civis egregius, virque præſtantiſſ. JACOB. SCHLEBUSCH, Juratus D Petri: & ornatiſſima fœmina MARIA, honeſtiſſimo pariter parente, HENR. BRUSERO, Jurato D. Catharinæ, prognata. Non eſt pulchrius, aut præſtabilius DEI munus, quàm primo bonis ortum, deinde optima indole præditum eſſe. Per quam omnino factum eſt, ut noſter ſtatim à teneris eximia quæque & in patria ſua ſumma ſibi proponeret, & feliciter aſſequeretur. Prima literarum tyrocinia in patriis ſcholis poſuit: ex quibus progreſſus in Academiam Roſtochienſem Juriſprudentiæ diſcendæ ſe dedidit. Migravit deinde ad alios exterosque, ut variam rerum, & inprimis civilium cognitione magis perficeretur: & ante omnes Britannos, ex occidente nobis objectos, adiit: quorum celeberrimum Lyceum Oxonienſe non cito reliquit. Ad Gallos delatus Aureliæ in primis verſatus eſt: licet & univerſi regni quæ ſunt egre-

gia non obiter luſtrarit. Hinc in germaniam reducem inclyta Baſilea detinuit, & coronavit. Inde viſa Argentinenſi urbe, Spiræ diutius adhæſit: Juris noſtri ſacra & ſumma quæque coram inſpecturus, quandoquidem Germaniæ veluti Amphictyones ibi conſident. Quâ lætitia, quo plauſu credamus à ſuis, ab amicis, imo à Patria ipſa exceptum, cum reverteretur, tanta eruditione, & virtute parta, & utilis adeo futurus? *Docuit* id non longè poſt, ut ille inquit, *ingens exitus*. Etenim publicæ ſalutis gubernaculis admovebatur Senator allectus Anno clɔ lɔc XXXIX. Et denique Conſulares faſces ipſi ſummo merito delati ſunt Anno clɔ lɔcLIII. Neque conjugii felicitate fraudatus eſt, Anno clɔ lɔc XXXVI. matrimonio auſpicatiſſimo ſibi conjunctâ lectiſſimâ virgine ELISABETHA, præſtantiſſ. parentibus nata, HERMAN. WETKEN Canonico, & CATHARINA ANKELMANNIA, Senatoris filiâ. Acceſſerunt quaſi complementum gaudiorum, ſi quæ ſunt hic, amoris dulciſſimi pignora ſex, filii V. filia I. Ex quo numero duo tantum filii relicti ſunt, qui parentis deſideratiſſimi immaturum obitum lacrumarentur. Nam qua ætate ille ante dies hos VII. nempe XXV. Jul. deceſſit, intra VI. & VII. veſpertinam? Secundo & quinquageſimo ætatis anno, in quo corporis vires, per equidem annorum leges, ſuo vigore conſiſtere deberent: animi prorſus florere. Et his quidem integerrimis uſus eſt: at illis non item. Quippe à multo

à multo jam tempore dubia, & si dicendum est, iniqua valetudine premebatur: quæ, consiliis subsidiisque Medicorum subinde sustentata, nutabat. Unde sub vesperam domum reversus, violentiâ nimii morbi, & qui caput invaderet, quasi in momento est correptus, oppressusque vesperascente altero, quem diximus, die beatissimè acquievit. Erat, quæ laus maxima apud Romanos, egregius civis, optimus Senator, consummatæ prudentiæ Consul: &, quod apud nos præcipuum esse debet, Christianæ pietatis observantissimus. Qui facili lenitate admirabilem auctoritatem commiscuerat, ut pro re nata omnibus satisfaceret, omnibus occasionibus par esset. Si novi majoresque honores, si tituli hic fuissent, meruisset. Charus atque desideratus omnibus vixit: ingens meritis ingensque fama, vita concessit, cœloque redditus est. Humanæ fragilitatis, STUDIOSISSIMI JUVENES (nam ad vos denique inprimis convertenda est oratio nostra) humanæ illius fragilitatis memores horreamus, & ejusmodi casibus perturbati ingemiscamus. Sed & è contrario habere has vices conditionem mortalium cogitemus, contraque pugnandum esse iis remediis, quæ à DEO & Virture efficacissima nobis suppeditantur. Fas est, & pium hoc tempore, & adeò opus, *laude*, & *bonis recordationibus facta atque famam nominis* beati Consulis, ut huc accomodemus vetusta dicta, *prosequi*: & in comitatu exequiarum etiam nos apparere.

Inprimis autem in ejusmodi exempla, Juventus cariſſima, intueri te oportet: hæc Conſulis noſtri civica tropæa dormire vos nos ſinant, qui ad eandem vitam civilem viam affectatis. Illud meminerimus, *in omni vita exercendos nos optimis in rebus eſſe* autem *res optimas*, *curas de patriæ ſalute* (ut iterum Ciceronis dicta uſurpemus) ad quas etiam præter pietatem prima veſtra ſtudia referantur. Quod reſtat, D. O. M. deprecamur, ne obitus frequentes clarorum, & præſtantiſſimorum hominum, quibus noſtræ Reipubl. ſalus nititur, in omen accipiantur, neve potius veniant: ut reliqui diu rebus humanis interſint integri florentesque: ut Reſpubl. in ampliore ſemper, & tranquilliore ſtatu conſervetur. Funus ampliſſima pompa hoc die hora in dicta de ducetur ad conditorium, quod eſt in D. Petri. P. P. D. XXXI. Jul. Julian. Anno Chriſti cIↃ IↃc LIX.

ELOGIUM BREVE

Præclariſſimi Conſulis

WOLFGANGI MEURERI,

J. U. L.

WOlfgangus Meurerus Patrem habuit D. Philippum Meurerum, Reip. Hamburgenſis ab A. 1588. Syndicum & deinceps ab A. 1597. Potentiſſimi Regis Daniæ & hinc ſereniſſi-

reniſſimi Holſatiæ Ducis Conſiliarium Procancellariumque, Huſumi denique defunctum cui oppido Præſes à Principe datus fuerat. Wolfgangus bonis litteris & præclara Juris ſcientia inſtructus patriæ Reip. Hamburgenſi à ſecretis eſſe cœpit A. 1628. quod munus cum per ſedecim annos ſingulari fide & induſtria obiiſſet, Ampliſſimorum in Patrum ordinem adlectus fuit Anno 1644. Præturam geſſit Ao. 1648. & duodecim annis interjectis Conſulares faſces ſuſcepit Anno 1660. in Joannis Schlebuſchii vicem de quo paullo ante dictum eſt. In illo faſtigio tantum oſtenderunt Meurerum Hamburgo fata, nam è vita diſceſſit Anno 1662. die XV. Maji.

ΕΠΙΘΑΦΙΟΣ

MAGNIF. NOBILISS. AMPLISSIMOQUE

D. BARTH. MOLLERO,

J. U. L. ET CIVITATIS HAMB.
COS. PRIMO
SCRIPTUS:

&

INVITATIO
AD FUNUS EJUS DEDUCENDUM.

DIE XIV. APRIL. JULIAN.
A.C. cIↃ IↃc LXVII.

INcredibilis ſane & peracerbus urbem noſtram pervaſit dolor atque luctus, civesque & extraneos ſimiliter afflixit, ex quo auditum eſt deceſſiſſe de vita, & ſtatione ſua, evocante qui eum nobis commodaverat, DEO, magnificum, nobiliſſimum, & ampliſſimum D. Conſulem, qui nobis nuperrime ademtus eſt. Sane quid acerbius dictu audituve hoc eſt tempore, quam quod non ſine mœrore ſummo & lacrumis repetendum? Vixit Bartholdus Mollerus J. U. L. Conſul. ſenior & primus. Vixit videlicet Phœnix prudentium virorum, publici conſilii princeps, tutor Reipublicæ, Muſarum dux & vindex, omnibus ipſe diſciplinis præditus, Periclesque fere Hamburgenſium: & quæ civilium honorum ſumma eſt, patriæ pater, adeoque lumen & decus incomparabile. Et ſi vel hæc, vel alia quæ meritus eſt, taceantur elogia; certe nullus, qui noverit, & æquitate utatur ulla, negare auſit, quod olim Metello a) alicui Romano tributum legimus, Mollero noſtro tribuendum eſſe hoc: UNO ORE PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM, niſi quod addendum ſit, ET SENATUS NOSTRI. Adeo de ejus laudibus omnium eſt fama conſentiens, & eſſe debet. Quemadmodum vero defectus ſiderum illuſtrium, ex quibus lumen, & vigor vitalis in has terras, & quæ iis continentur, demittitur, terrori ſunt maximo

a) Vid. Cic. in Cat. major.

mo mortalibus, & pro argumentis imminentium calamitatum accipiuntur, licet a conſciis, & interpretibus cœleſtium motuum prævideri queant prædicique: eodem modo tanti viri obitus, cujus ſpiritu animari magnam partem, & vivere noſtra civitas viſa eſt, tametſi non denique admodum improviſus accidit, mœrore tamen, curis & lamentis civitatem omnem complevit. Ille quidem in beatorum ſedibus, ad quas ex hac publicorum & privatorum laborum palæſtra emigravit, felicitatis complementum, quod hic nullum invenimus, adeptus eſt: deſiderium vero nobis reliquit immenſum ſui, memoriamque & gloriam, quæ nulla oblivione poſteritatis extinguetur, immo quæ per ætatis, quæ ventura eſt, gradus magis magisque, ut par eſt, æſtimatis virtutibus, quibus excelluit, in immenſum augebitur. A nobis vero, ut jam initium fiat, æquiſſimum eſt: neque enim concedendum, ut olim requiri aliquid jure poſſit, quod non ſit, ut fert conditio noſtra, & vires, aliqua ratione, ſi non abunde, præſtitum. Alias alia curæ erunt, ut ſuprema pietate tanto viro juſta perſolvantur Sunt nempe plurimæ ſupremi officii partes. At vero omnium æque & communis eſt dolor, qui nititur quam maxime interna animi conſcientia, arcanisque ſenſibus, & intenditur acrius, quo magis amaverimus eum, contra omnia noſtra vota amiſimus. Et licet tempus oportunum

num ejus amiſſioni accedere ullum non potuiſſet unquam : tamen hoc ipſum, quo nobis eſt ereptus, valde alienum eſſe, vel ipſa Reſpublica clamat, ut de opportunitate mortis ejus, quam Agricolæ ſuo concedit Tacitus, non habeamus dicere. Alia porro, quæ doloris vehementia, pro affectibus, quibus homines commoventur diverſis, exprimit, ut non reprehendenda ſunt : ita potius convertendi ſumus, & ipſe quaſi nos vocat ad contemplationem virtutum ſuarum, quas neque lugere, neque plangi fas eſt, ut idem prudentiſſimus ſcriptor b) de Agricola Romano prædicabat. Eum, cum eodem, verum honorem, eam conjunctiſſimi cujuſque, & quorumque pietatem putemus. Et maxime, ut & hæc ipſius verba partim faciamus noſtra, quoties magna aliqua & nobilis virtus vicit, & ſupergreſſa eſt communem modum. Qualis profecto extitit Molleri Conſulis. Plato c) ſcripſit in ſuis legibus, quibus Reip. præclaræ formam adornare eſt conatus, ut Latine interpretemur : qui vitam finierint, & corporis ac animi viribus res præclaras & arduas confecerint, & legibus paruerint, eos laudibus proſequi decet. d) Quam quidem præceptionem Græci jam anteverterant, & ſecuti deinceps ſunt, optimis legibus, & conſuetudine laudabili eo perducentibus : & Romani,

b) Tacitus in vita Agric.
c) l. VII. de LL. poſt med.
d) Vid. Plat. in Menex.

mani, ut alia multa, rectiſſime æmulati, apud quos, præter honores exequiarum, laudationibus funebribus loca publica perſonabant, donec nondum eſſent ſæva, & infeſta virtutibus tempora, ut iterum hiſtoriæ princeps ait. Utinam vero tanto viro, virtutique ejus, & famæ, par præco exiſteret, qui vitam narraret, & facta ejus moresque poſteris traderet! Sed verendum eſt, ut hic Achilles, ut ita loquamur, ſuum Homerum ſit nacturus! Nos ſatis habebimus, officio, qua licet, noſtro fungi, & honorem habere ſupremum CONSULI, optime de tota Rep. & de Muſis pariter noſtris merito, affectumque publica voce teſtari, veniam nobis pollicentes, ſi munus dignitati perſonæ & rerum reſpondeant verba, quibus tamen, ut illæ creſcant, opus non habent. Liceat nobis pro noſtris opibus, ut ait ille, hæc efficere mœnia, ſive potius honoris monumentum. Vita ejus in compendium miſſa, & ſummis quaſi lineis deſcripta oſtendet magnitudinem viri, ejuſque virtutem: non ſecus ac in exiguis tabellis maximarum formarum imagines cernuntur. Et quæ exprimi non poterunt, ut alibi etiam, intelligentium animi præcipient, atque explebunt ſibi ipſis.

Quod Hamburgi natus eſt, non equidem laudem ipſi abſtulit, ſed neque dediſſet, niſi ipſe ſibi prius. Quemadmodum Themiſtocles e) ajebat, ſe Athenis potius, quam in Seripho clarum

e) Cic. in Caton.

rum evadere potuiſſe: non item alium, qui Seriphius eſſet, apud Athenienſes. Idem, & rectius de nobilitate generis dixerimus. Quamvis enim in virtute poſita eſt vera nobilitas, nihilominus, ut quod ſatis pervulgatum eſt, Ariſtotelis f) tamen dicamus ſententia: Veroſimile ex bonis bonos oriri, & eum, qui ita educatus ſit, talem eſſe. Et rurſus, Platone g) teſte, gloria parentum natis eſt præclarus & eximius theſaurus. Transmiſſam ille ad ſe ita auxit, ut reddiderit longe luculentiorem, planeque novam. Pater nempe ipſi fuit nobiliſſ. ampliſſimusque Vir. Dom. Vincentius Mollerus J. U. D. & Syndicus noſtræ Reipubl. inſuperque Sereniſſ. Holſatiæ Ducis Conſiliarius, qui ante plures annos rebus humanis intereſſe deſiit. Mater nobiliſſima & clariſſima fœmina Eliſabetha Beckmannia, parentibus nata magnifico ampliſſimoque Dn. Bartholdo Beckmanno Cos. & nobiliſſima Magdalena Vogleria, etiam Cos. filia, cui frater erat inclyti ſimiliter nominis Conſul Hieronymus Vogelerus. Quorum omnium laudibus percenſendis ſuperſedere nunc eſt ſatius; earumque ita etiam memoria durat, ut quaſi recens ſit, beneficiorum in Remp. collatorum, monumentis extantibus ſempiternis. Naſcebatur autem d. XVIII. Nov. Julian. Anno quinto hujus ſeculi Chriſtiani, cujus initium novis & admirandis ſtellis

f) 1. Rhet. 9.
g) Loc. cit. in Menex.

ſtellis apparentibus pluribus illuſtratum fuit. Ipſe vero novum ſidus, feliciterque ſuæ patriæ ortum eſt; quam tamen non minus duo alii fratres germani illuſtrant, quorum unus maximis Regibus carus eſt & miniſter, alter Civitatis Syndicus. Quam poteſt familia Molleriana nobiliſſima hac fratrum triga triumphare! Sed ad Conſulem. Quid jam memoremus in eo ſublime, & erectum ingenium, quod ſtatim primis annis ſe prodidit? Quid per omnem literarum elegantiorum artiumque cultum exactam adoleſcentiam? Quid quod non tam pulchritudinem & ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ, ſed ipſam virtutem appetiit ardentiſſime, ut illius una potiretur? In patriæ Scholis tyrocinia abſolvit, in quibus generoſis condiſcipulis æmulationis cauſſam præbuit acrem; magiſtri vero accenſum & flagrantem ejus animum mirati ſunt, dimiſeruntque ad Academias non vulgariter eruditum. Abiit autem An. XXII. culturæ animi uberioris gratia primo Lugdunum Batavorum, deinde ad alia Germaniæ nobiliora Athenea tranſiit. Ubicunque eſſet, uti frui voluit doctiſſimorum hominum doctrina, & ita ſe gerere, ut omnibus merito eſſet cariſſimus. Confecto ſtudiorum curriculo, ad apicem Jurisprudentiæ aſcendit, honoresque adeptus eſt Licentiæ, quos vocant Baſileæ, An. XXIX. & ſummo ſuo merito, quos ſi ætatem reſpicias, feſtinatos dixeris, minime, ſi profectus. Nam ingenio annos præcurrebat, ut faciunt excellentis naturæ

naturæ homines: cujus etiam bonitate fiebat, ut ſe ipſum ab illecebris vanarum rerum arceret, quibus ſæpe egregie cœpta interverruntur. Poſtea peregrinatus eſt per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, quo ordine, nunc quidem non ſuccurrit: hoc vero, quo ſucceſſu nimirum, ut cultior domum redierit, & ingenii opibus plurimis ſibi partis, non tanquam ille, qui non homines præſtantes, ſed alias res vidiſſet, fugiſſetque, nec honeſte exploratum veniſſet. Ergo reverſum, poſt teneros ſuorum amplexus, confeſtim honores exceperunt, quos provocabat, non conſectabatur. An. XXX. a ſecretis Reſp. eum ſibi eſſe voluit. An. XXXV. allectus eſt in Senatum. An. XLIV. ad Conſularem dignitatem evectus candidiſſimis calculis, & eventu, quo meliorem nemo facile optaverit, aut exſpectarit. Hic jam amplisſimus aperitur campus exponendi, quæ fecerit, egeritque toties Reip. cauſſa, cum domi, tum apud exteros; ut iverit Legatus ad Belgas quater, in Angliam ſemel, in Daniam bis, Ratisbonam ad Imperii comitia, Viennamque & Coloniam Agrippinæ ſemel, ſi recte numerus legationum initus eſt. Ubique autem diſceſſit, rebus ex civitatis bono, & animi ſui, ac procerum ſententia egregie confectis. Quo quod aliud eſt illuſtrius virtutis documentum, quam ſi facta egregia, & quidem in publicis quaſi rerum humanarum theatris appareant, favorque omnium conſequatur? Quo etiamſi ſe fortuna inclinat, non

quæ

quæ cæca est, sed quæ rationem audit, (neque enim illa semper errat, sed etiam aliquando eligit.) jam res ad summum processit. Ita vero itidem factum cum Consule Mollero. Avunculi magni Consulis Vogleri, cujus paulo ante meminimus, tantus in eum amor extitit, quam qui maximus, ut in filium major esse non potuisset, ratusque est, omnibus modis exornandas ejus sibi esse virtutes. Quod pari affectu, & rectissime perfecit: translata etiam in eum testamento & donationibus bona bonorum parte, ædibusque amplissimis concessis. Consul vero alter Dom. Albertus von Litzen/ cujus una summa dignitas autoritasque fuit, alii favoris præcipuo argumento, filiam ipsi suam, nobiliss. & honestiss. tum virginem ELISABETHAM desponsit atque collocavit Anno XXX. cum ea matrimonium dulce & animorum conjunctione integerrimum habuit, sed sine liberis susceptis. Unde & adoptaverat nobiliss. & ornatissimum juvenem Joh. Christoph. MEURERUM, ex Syndico amplissimo Meurero, & sorore sua natum, & mira cura educari, curaverat. Verum eum amisit paucos ante menses, repentino morbo extinctum Argentorati, quo studiorum caussa, concesserat. De cujus hoc fato nuncius qui venit insperato, ipsum non leviter percussit. Sed liberorum satis ipsi patriæ parenti in Rep. fuerit; & plurimi egregii juvenes filiorum vice erunt, quos suo hortatu & exemplo, in spem ejus quasi eduxit: & eo magi,

quod ſcholarum, & doctorum doctrinæque cupidorum fautor erat ſingularis & præcipuus. Sane in hoc viro bonæ literæ, earumque cultores, magiſtrique jacturam fecerunt non facile reparandam. Sed non miretur quisquam, eo animo fuiſſe ipſum, qui noverit, omnibus ipſum diſciplinis excultum. Quam linguam præter Latinam Græcamq;, quæ in Europa nunc in aliquoeſt pretio, non calluit? Humanitatis ſtudia & Hiſtoriarum familiariſſima ipſi erant, a Philoſophicis minime abhorrebat, & inter ea Mathematicis, ſecus ſentiens, ac nunc ſeculi eſt captus dicam, an error. Juris autem & civilium peritia, inprimis eloquentia plane admirabilem ſe præſtitit, quarum etiam rerum gloria longe lateque celebratus eſt. Ita vero hæc omnibus conſtant, ut metuendum non ſit, vel ipſam invidiam, ſi eſſet, negaturam. Teſtis eſt inſuper Bibliotheca, quam exquiſitiſſimis libris, neque iis paucis, refertam reliquit. Quam autem rara eſt conjunctio hæc & doctrinæ reconditæ, & uſus civilis vitæ! Quam itidem cum auctoritate miſcere gratiam & humanitatem, ut omnibus ſatisfiat! Omnes certe conſummatæ prudentiæ numeros implevit noſter Conſul. Omnium autem fundamentum in eo ſitum eſt, quod in ipſo fuit bonitas eximia, & ingenii acumen, judiciumque quod rariſſimis contingit, cum magnitudine animi indefatigabilis conjuncta. Unde neceſſe eſt, cætera conſequi maxima, & pulcherrima. Sane omnium erat

cenſor

censor acerrimus, sed non iniquus, omnium receſſus exitusque ſtatim exploratos habebat, omnibus remedia, quæ poterant adhiberi, inveniebat promte. Quare longe majoribus negotiis, & ad regni alicujus fortaſſe par fuiſſet, ſi eo fuiſſet perductus. Sed apud nos majora non fuere. Quando autem ſecus eveniret in rebus humanis, neque ipſum fortitudo, neque animi æquitas, quæ etiam ex ejus ſingularibus dotibus una fuit, deſtituit. Neque enim ignorabat, habere h) has vices conditionem mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. Minime virtutum reginam, & ſalutis veræ fontem pietatem, & religionis ſanctiſſimæ curam prætereamus: quæ cum in faſtigio hominem ſuæ felicitatis collocet, & cœlo inferat, ceteris additur & imponitur. Non alius hic fuit Conſul, quam in ceteris, quinimo ſuperare ſeipſum conatus eſt hac in parte. Adeo ſibi curæ habuit eccleſiæ incrementa & decus, templa adiit frequentiſſime, & qui ſacris præſunt, honore proſecutus eſt, & beneficiis cumulavit, egenorum adhæc liberalis altor. Itaque plane ſtatuendum eſt, Deo cariſſimum fuiſſe, & ſingulari providentia electum, ut inter eos, qui humani generis ſalutem promotum eunt, haberetur haut poſtremus. Qui etiam adeo eum per omnem vitam amavit, auxit, defendit. Omnium autem evidentiſſime temporibus extremis. Valetudine uſus erat per annos aliquot non-

h) Plin. ſecund. in Panegyrico.

nunquam vacillante, quæ prioribus firmior fuerat: (nam quid non anni faciunt, curæ & negotiorum moles, licet ab ortu robuſtum corpus quis nanciſcatur? ideoque peritorum & diligentium Medicorum opera ſæpius levabatur. Superioris anni autumno gravius ea tentari, viresque imminui magis, ſe tamen, ut potuit, confirmavit, neque a publicis negotiis & graviſſimis ſibi abſtinendum duxit. Ante hebdomades denique paucas, ita affectus eſt, ut omnino cedendum fuerit morbo, qui in hydropem evaſit, & ita quidem, ut quicquid contra ſummâ arte & cura fieret, cedendum fuerit de vitâ. Exitum ſortitus eſt dignum optimo viro & Chriſtiano. Defecit enim ſenſim, & placidiſſimè expiravit, animoque conſtante, integris ſenſibus, & ſine ulla querela, Chriſtum aſſidue deprecans, eique ſe commendans exceſſit d. VII. April. hujus, quo erat Paſcha, hor. III. pomerid. Hic fuit magni viri & Conſulis finis. Silentio veneramur ad extremum ipſo, (nam plura nunc non dicenda ſunt, neque dici poſſunt,) & votis contendimus à DEO Opt. Max. ut ſoletur, qui maxime ejus cauſſa lugent, & omnes alios, nam omnes ejus cauſſa lugent: ut a clariſſima familia clades & damna plura avertat, ut Rempubl. & ceteros magiſtratus ſervet, & amiſſionem hanc penſet, ut nos æternæ denique felicitatis una compotes faciat. Exequiæ menſ. h. d. XIII. proximo ampliſſimæ fient, & omnium frequentia, ac luctu ingraveſcente

veſcente cohoneſtabuntur, ut memores monere, & accurrentes invitare ſupervacaneum ſit. Neque opus eſt, memoriam pluribus commendare. Nam quicquid ex Mõllero Conſule amavimus, quicquid mirati ſumus, i) manet manſurumque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum; adjungamus, in cœleſti civitate, quo utinam ſimili felicitate omni momento adſpiremus! Perſcript. d. XIII. April. Julian. A. C. cIↃ IↃC LXVII.

Gymnaſii Hamb. Profeſſorum nomine p.p.

à

MICHAELE KIRSTENIO.

Hoc Elogium memoriæ incomparabilis Conſulis dicatum prodiit etiam Germanice, interprete GEORGIO NICOLAI, ſub titulo: Unſterblicher Nachruhm über den ſeeligen Abſchied ꝛc. *Hamburg. in 8. Anno BartholDVs MoLLerVs ebeV obIit! Frater digniſſimus Bartholdo fuit VINCENTIUS MOLLERIUS, cujus non diu poſt defuncti Memoriam ab eodem Clariſſimo Kirſtenio celebratam, non immerito hic ſubjunxi.*

i) Tacit in v. d. fin.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

NOBILIS. & GENEROSO

Dn. VINCENTIO MOLLERO,

S. REG. MAJ. SUEC. CONSILIARIO INTIMO ET AULICO, ET AD CIRCULI GERMANIÆ INFER. ORDINES LEGATO: HÆREDITARIO IN ADLERSBURG, MOLLERSBERG, ET NESHOF,

DICATUS.

HAMBURGI,
Typis Michaelis Pfeifferi, Ao. cIↃ IↃc LXVIII.

VINCENTIO MOLLERO,
NUNC APUD COELITES
BEATO,
QUO NOMINE ET ELOGIO, CUM
ALIA HABEAT MULTA, NULLUM
EST MAJUS,
SUPREMUM MUNUS:
CONJUGI EJUS NOBILISSIMÆ,
LIBERISQ. FRATRI, COGNATIS, ATQ.
AMICIS IMPENSE LUGENTIBUS:
UT ET
OMNIBUS ALIIS, QUI LEGENT,
AD ÆTERNAM GRATIAM ET MEMO-
RIAM MORTUI, SUAMQ. IPSORUM ETIAM
MORTALITATEM RECOLENDAM,
MONUMENTUM, QUOD POTUIT,
LUG. M. Q. ET REVERENTER
D.
MICH. KIRSTENIUS, D.
ET HAMBURG. P. P.
VITA FABULA EST.
ITE LECTORES, ET DE EO COGITATE.

SI quæ cupimus, atque optamus, evenirent magis; aut calamitates potius ſolæ, & raræ accederent, quam ſe ſpiſſius comitarentur; vel etiam tam facile doloribus remedia invenirentur, quam ipſorum cauſſas nanciſcimur; ſive denique præſtantes illuſtresque, virtute inprimis, homines viverent diutius: non profecto in miſerabilem rurſus luctum, & ſqualorem recideremus, non novis lamentationibus urbs perſonaret; non officiis hiſce funebribus repetitis eſſet opus. O vero miſeros nos, & de rebus omnibus, maxime de proſperis, & futuris incertiſſimos; quique nullam ſpem, fore eas nobis proprias, & perpetuas, ne quidem fingere nobis poſſimus, tantum abeſt ut habeamus! Ut dolor dolori comes eſt, fataq; urgent inclementius familias, quas ſemel aggreſſa ſunt; ut hinc adeo frequens, ſi non continua, mœrendi neceſſitas nobis imponitur! Dici hæc talia, quæ juſtiſſime rectiſſimeque conquerimur, per aliquam conſuetudinem, & declamandi licentiam, aut moroſitatem Philoſophicam, fortaſſis multi vel apud ſe muſitantes cogitent, vel etiam aperte verbis profiteantur. Verum anne opus eſt, ut cum Diogene accenſo lumine, & prælato in mero meridie, inveſtigemus hominum miſerias, mortes, & hinc luctus noſtros? Profecto non eſt opus. Videmus quotidie, omnibusque propemodum momentis, & vel in tenebris palpamus, & nobiſcum circumferimus. Qui diſſimulare ſtudent, ſibi ipſis vim inferunt,

inferunt, abduntque ſuis ſe deſideriis, & ſenſibus corruptis, per quos nihil arbitrantur recte: quemadmodum dicunt avium ut maximas, ita ſtolidiſſimas colla frutice occultare, ut latere exiſtimentur. Sed nobis ne ſit ejusmodi ſtupor, & ſentiamus potius nobis male eſſe, quam ut, ſi negemus nos dolere medici arguant, mentem nobis laborare. Et ſane & quod acerbæ ſunt plagæ, & quod nondum coalitæ cicatrices refricantur violentius, facile excitamur. Etenim quam adhuc recens eſt vulnus, & crudum quod toti huic civitati, & nobiliſſimæ inprimis familiæ MOLLERIANÆ inflictum eſt morte incomparabilis Conſulis MOLLERI. Nam neque ſpes eſt fore, ut ſive ſimilem, ſive parem tanto viro ſimus citò habituri: neque, ſi id eſſet, ob id non fuiſſet nobis MOLLERUS Conſul. Adhuc vero cognati, & non pauci alii ejus cauſſa ſuſpirare: adhuc oculi eorum lacrymis erumpentibus tumere, adhuc in obviorum vultibus inſignitæ curarum notæ apparere: cum nuper germanus frater vir nobiliſſimus & generoſus D. VINCENTIUS MOLLERUS; * Regi-

R 5 us

* Fuit & inter Conſules Hamburgenſes VINCENTIUS MOLLERUS, J. U. L. filius Eberhardi Molleri, Senatoris Hamb. Anno 1588. extincti. Vir de Rep. patria egregie promeritus, cujus præclaræ *annotationes ad jus ſtatutarium Hamburgenſe* in multorum manibus verſantur. Hic Secretarii munere fungi cœpit Anno 1585. & Ampliſſimis Patribus Reip. adſcriptus eſt A. 1595. die XXI. Febr. Conſul denique patriæ habenas geſſit ab Anno 1599. usque ad 1620, cujus anni

us Legatus, & miniſter, fratrem germanum citiſſime, morte ſua intempeſtiva, conſequebatur; quippe intra annum vertentem, nec totum adſolutum, menſis n. deeſt. O fatum præceps atque inclemens! O vitam noſtram, ut diximus, incertam ſui ipſius, & nunquam tutam! Eam ipſam, ut oſtenderent attendentibus minus, & ſuæ miſeriæ ſecuris, aut etiam aliis, ad virtutem in ea ſuam exercendam excitandis, quaſi depictam: cum variis rebus periti ipſius & ſapientiores, contenderunt non inutiliter. Qui ſupplicium dixerunt vitam, ut Seneca, nimis reprehendunt: pro bono enim a DEO nobis eſt data, nos in pœnam ipſi vertimus, neque tamen totam. Qui carcerem appellarunt, non multo prudentius locuti ſunt, ut Platonici. Qui vitam eandem fabulæ ſimulacrum habere dictitarunt, ejus vanitatem expreſſerunt; & appoſite locuti ſunt: ut & qui cum ludentibus, aut in ſtadio procurrentibus contulerunt. Miſſis ceteris, vitæ noſtræ elegantiſſimum exemplum habemus propoſitum in Eleuſiniis myſteriis Athenienſium, in quibus accenſis luminibus decurrebatur, quæ aliis atq; aliis tradebantur, accipiebanturq;. Ei rei multa argumenta afferri poſſunt: quæ in nobiliſſimo MOLLERO, cujus vita laudesque utcunque mihi illuminandæ ſunt, apparent evidentiſſime:

3. cal. Martii ipſa die ſacra Paraſceves inter beatos receptus eſt paullo major ſexagenario.

me: atque quod luminum est, oculis se nimium quantum ingerunt animisque nostris. Quare in illo maneamus: & non tam ejus vitam adumbremus, quæ umbras non tulit, quam fulgorem aliquem ex ea, in speculo quasi, aut tabula exceptum, exhibeamus. En igitur vitæ lumen adiit anno XV. hujus seculi, acceptum a parentibus in hac nostra civitate clarissimis, D. VINCENTIO MOLLERO, J. U. D. & ejusdem Syndico; & ELISABETHA BECMANNIA, COS. filia: quos prædicatione efferre amplius, præter id, quod factum est in Consulis filii laudatione, tempestivum nunc non est, aut necessarium. At vero animus ejus ex mente divina decerptus est, vel, ut olim loquebantur, datus ex ignibus sempiternis, & quidem copiosiore inde luce hausta, & cœlesti spiritu auctus. Hinc ipsi adeo fuit acer, præsens, erectus, altissimusque: hinc eæ honorum, & gloriæ cupiditates, quæ in maximis animis, ut Cicero ait, splendidissimisque ingeniis existunt. Hinc semper agere, quod bonum esset, & præclarum voluit, neque quietem ullo modo pati. Quare à teneris domi lireris doctrinisque melioribus, & convenientibus excultus est, & ad virtutes majores, prudentiamque concipiendam præparatus. Quo raptus ardore ad exteros se contulit, ut tamen animi ipsius motu & exercitatione magis magisque accenderetur. Cum annos decem haberet & septem Groningam venit, & inde

Lugdunum

Lugdunum in Batavis, deinde in Galliam, in qua triennium exegit integrum. Nec contentus Pallade, ut ita dicam, inermi, armatam quoque colere voluit, militavitque in caſtris Gallicis Turenianis. Et, quo minus totum ei ſe daret, mater & conſanguinei prohibuerunt. Quorum conſiliis obſecutus in Britanniam ſe contulit, ibique, aulæ etiam non ignotus, aliquandiu vixit. Qua relicta per Galliam ſe penetravit in Italiam: & cum ceteram cum fructu perluſtravit, tum Bononiæ cum Muſis ſuis bonam rediit in gratiam. Diſcedens ex hac terrarum pulcherrima Germaniam repetiit ſuam, ut in itinere luſtraret Rhetos, Valleſios, Helvetios, progrederetur que Viennam Cæſarum Auguſtorum noſtrorum ſede, & domicilio celeberrimam. Qua etiam in aula cum honore verſatus eſt, & publicis tractandis negotiis jam tum ſe non imparem, ſignis omni luce clarioribus, oſtendit: ſicut nec antea, cum apud Belgas, & Britannos tanquam hoſpes commoraretur. Non n. abſcondi, aut concludi anguſtiis, præclara virtus, ſicut nec ignis poteſt; ſed iis liberius ſpacium dandum, in quo motu perenni, & agitatione ſe explicent. Scilicet utrique id proprium eſt, ut quam poteſt maxime, velit refulgere & a multis cerni. Quo etiam impetu, & genii divinioris ductu perrexit noſter, eidem in perluſtranda Pannonia, ac Polonia, obſecutus ſimiliter. Ex eo cum inſuper Baſileæ per annum,

num, (quo per aliquam veluti quietem recolligeret ſe a jactationibus,) hæſiſſet non equidem plane nihil agens, ſed civili diſciplinæ & legibus retractandis ſe occupans, conſilium cepit revertendi. Neque tamen apud ſuos in hac urbe ſe tenuit: ſed aulas & principes potius reſpexit, ubi luminis, & dignitatis, rerumque exellentiorum major copia eſt. Imitatus hac in parte generoſas eſt aquilas, quæ ad Solem potius, quam alio convertuntur. Et primo Illuſtriſſ. Comiti Friſiæ orientalis ſe addixit, cui Conſiliarium fidiſſimum ſe exhibuit, & per ſexennium: unde demiſſus honorifice munus idem apud Sereniſ. Holſatiæ Ducem ſuſtinuit. Paulo poſt Auguſtiſſimæ Suecorum Reginæ CHRISTINÆ (quæ Germaniam victoriis, orbem univerſum gloria jam ſua impleverat) carus eſſe cœpit: quæ ipſum & Conſiliarii honore locoque apud ſe eſſe voluit A. C. cIↃ IↃc XLVI. & biennio poſt Legatum perpetuum ad ordines Saxoniæ inferioris conſtituit. Eandem dignitatem apud Sereniſ. & Potentiſ. ſucceſſores CAROLUM GUSTAVUM, bellis noſtro ſeculo fulminantem, filiumque CAROLUM, qui nunc feliciter in novum Septentrionis ſolem adoleſcit, retinuit, auctiorem tamen acceſſionibus aliis titulisque. Pulchre etiam auctum iri ſua lumina credidit, ſi illa nuptialium tædarum mature adjungerentur ceteris. Quare Ao. XLV. nuptias celebravit cum nobiliſſima virgine CATHARINA CRUSIA,

SIA, BENEDICTI CRUSII regii assessoris amplissimi filia. Suscepit ex ea liberos novem: ex quibus tres præmature obierunt: reliqui filii duo, & quatuor filiæ superstites sunt. Quantam fidem, prudentiam, diligentiamque in omnibus suis officiis obitis præstiterit, dici non potest, & præsertim in tanta brevitate. Sibi potius deesse, quam Regibus suis voluit: eo sacramento cum quovis poterat contendere. Lucem attulit suæ familiæ amplissimam, ipse in luce Germaniæ, & fere Europæ, in oculisque maximorum hominum collocatus. Dignissimus fuisset longiore ejus usura: sed ante diem, per labores plurimos & gravissimos, desiit vivere; aqua inter cutem oborta denique, & ignis, quo vivimus, motum intercludente. Quemadmodum ignes alii sensim, & longa mora consumuntur: alii per violentiam opprimuntur, suffocanturque, aut dissipantur nimia concussione: ita nostrum hoc alterum expertum esse, quis negaverit? Satius est tamen agendo imminui, quam otiando contabescere. Lampadem, quæ ipsi tradita fuit, ut per vitæ stadium eam gestaret currens (ad quod supra alludebamus) egregie pertulit hucusque ad hunc terminum: deponenda ipsi fuit, volente, qui dederat, cursus moderatore summo, ejusque jussu ipsi mors è manibus eripuit. Æquinoctii die nuper id factum est. Quo Sol tempore ad nos adscendit, ille ad DEum se evexit: quo dies extenduntur, noctibus accisis,

ſis, ille ſempiternum & perpetuum diem eſt conſecutus. Ita videlicet (nec dum hac contemplatione abſtinere poſſumus,) invitis nobis lucere hic deſiit VINCENTIUS MOLLERUS, ſplendidiſſimum patriæ ſuæ, & vitæ civilis, ac in aulis etiam magnorum Principum ſidus, quibus lumen animi, ingenii, conſiliique ſui oſtendit. Non ſimilis autem fuit ignibus illis cœleſtibus, quos ſemper conſpicimus, ſed ſubitaneis, & quæ cito admodum tranſeunt. Attamen nequaquam nobis extinctus eſt cenſendus: perinde enim eſſet, ac ſi ſentiremus cum populis fœdiſſime ignorantibus rerum, credentibusque, ſtellas in Oceani aquas, cum veſperi occidunt, delabi, & ibi extinctas ſtridere. Alio & ad DEum translatus eſt, qui dicitur in ſacris litteris in luce habitare, ad quam acceſſus non ſit, ſcilicet antequam eo ipſe nos evocarit. Fruſtra Romani hoc de ſuis principibus finxerunt, quos a morte volebant in aſtra mutari, ſive animas eorum inter numina eo modo receptas eſſe: unde etiam talia inſignia capitibus eorum adjiciebantur. Porro ut poſt occaſum Solem tamen ad nos remittitur, & ſæpe totis noctibus eximius fulgor: ita gloriæ MOLLERI, etiam abſentis, apud nos nitor relinquetur. Neque opus eſt in ejus conditorio ipſi ut æternas alamus lucernas, quæ fabuloſæ ſunt: habet nunquam non arſuras, quas diximus. Sicut vero, cum Sol obſcurari videtur mortalibus, miſere ſæpe trepidant illi & contriſtantur,

tur, vel etiam cum nocte tenebræ sunt : ita etiam in morte MOLLERI LEGATI nobis idem fere accidit. Nox quasi oborta est nobilissimæ familiæ : in tenebris, & luctu, ac squalore jacent, quos reliquit. Solabitur omnes DEUS, mœrorum nebulas dissipabit, Interim pietate, qua possumus, utendum, cujus pars magna in justo luctu & memoria ejus conservanda posita est. Ego etiam, (nec enim, quo minus numero accedam, tenuitas mea prohibebit) ut virum illustrem, ex quo me ille sua dignatus est benevolentia, (plusculi autem jam anni sunt) colui viventem, qua potui observantia, ejusque honoribus olim, neque invito ipso, cum ad curationes, & administrationes regias adscisceretur, applaudebam : ita nunc supremum hoc mihi officium, non minore reverentia, exequendum censui, affectuque, si pietatem spectes, pari, cetera longissime diverso. Magna enim cum voluptate mea conjuncta fuerunt, & confecta priora, & facili impetu effudi, quibus gratulabar: hæc vero acerbissima mihi accidunt, ingrataque, & difficillima factu. Quippe ut animus se habet, ita procedunt, quæ ipso auctore molimur. Quando autem æger est, errat potius, quam ut aliquid recte faciat : Et dolor, ut illum corrumpit, ita quoque ea, quæ scribimus. Fiducia tamen ex hoc ipso mihi petenda est vicissim, quemadmodum ea, quæ nocent, in remedia vertimus : ut affectus pro virtute accipiatur, &

qui

qui dicat ex animo minus ornate cum quovis alio certare queat, qui aliis causſis ducitur. Magis adhuc tamen illo erigor, quod, quam gratiam & laudem apud viventem nobiscum collegi, eam nec apud pios manes ipſius habeam desperare. Maxime vero confido, nobiliſſimam conjugem, liberosque paternæ virtutis & gloriæ hæredes, atque æmulos: tum & fratrem ampliſſimum, cognatosque, & quacunque neceſſitudine clariſſimæ familiæ innexos, pro ſua animi æquitate non improbaturas eſſe quodcunque præſtari poteſt, cum ſi velimus omnia meritis exæquare, nulli, ut puto, futuri ſint, qui faciant ſatis. Nunquam etenim eximia virtus, & communem modum ſupergreſſa, laudari pro ſua dignitate poteſt: neque admodum eorum memoria commendabitur verbis: cum, æternis in animis hominum relictis monumentis, ſeipſam tueatur. Nam ut vir ſapientiſſimus ait, laus eſt oratio, quæ virtutis magnitudinem demonſtrat. At magnorum virorum tanta eſt, ut nequeat exprimi. Mihi ſatis eſt utcunque indicaſſe, & voluntatem oſtendiſſe, & cultum profeſſum eſſe, quem debeo. Quod tamen præterea adjici poteſt, non prætermittam: neque in eo etiam communem consuetudinem refugiendam puto. Si videlicet præſtantium virorum nomina, & laudes, per populorum pœne omnium conſuetudinem celebratæ ſunt carminibus; apud Græcos etiam hymnis, apud Romanos Saliari-

bus illis præcipue, apud antiquiſſimos noſtros Germanos ſimiliter ſibi propriis: ſi iis ipſis luctus quoque, & affectus erga mortuos declaratur: non poſſum mihi temperare, quin etiam imiter in juſtis funebribus MOLLERIANIS. Neque vero neniam, neque leſſum (dedecent enim nos) ſed aliquid grandius, ſi poſſimus, occinamus: quod ſi aliqua in eo repetentur, quæ dicta ſunt, ſi aſperius ſonent, mœrori, ut alia, quæ dixi, ſimiliter, adſcribi velim; ſi gravius, virtuti MOLLERIANÆ. Ejus cauſſa audiatur.

HAs cladeſ, & damna DOMUS MOLLERIA ſentit,
Denſa nimis, properata nimis! Vibicibus hærent
Alte Vibices, repetitaque vulnera creſcunt
Addita vulneribus, fato feriente cruento.
Hæc equidem nimium eſt! Vix lamentabile funus
Conſulis extulimus, cum fratrem frater amantem
Pone ſui comitatur amans Legatus, & anno
Non toto vertente. Redit, cui cura pudoris
Mors nulla eſt atrox, & in uno ſanguine ſævit
Sæpius. Heu taxum, non dum de poſte refixam,
Altera feralem conſcendit, & atra videntur
Signa novum, & nondum veterem teſtantia luctum.
Omnia confuſa miſcent triſtiſſima curæ.
Ac veluti ſpiſſæ glomerantur in aëre nubes,
Et cælum involvunt, & clara videntibus aſtra
Eripiunt, ſolemque diu non cernimus ullum,
Nec lunam, aut humeris fulgentibus Orionæ
Æthereasque faces alias: ſic vita ſerena
Triſtibus, & nigris curarum obducitur umbris,

Et

Et quicquid lætum eſt tempeſtas plena dolorum
Aufert, & cæca miſcet caligine corda
Mœrentum: intorquentque ſuas hic fata procellas,
Fulminaque, & largus lacrumarum defluit imber.
AT porro ſpectate vices. Simul atque levamur
Altius, atque datum eſt ſuperare cacumina celſa,
Qualis in Euganeis vertex aſſurgit, Athosque
Æmathiæ, vel Theſſaliæ ſublimis Olympus,
Aut ortu potius celebris Seilanus Adami,
Vel quo fortunata polo Tenariffa minatur,
Quæ nobis cernuntur? habent hæc omnia lucem,
Et pedibus pluviæ nubesque premuntur opacæ,
Terraque fit minor, & ſordet magis, & latet ima.
Talia ſi fiunt, quænam credamus eunti
Altius in cœlum contingere, qua DEUS arces
Æthereas aperit, quos vult ſecum eſſe, beatis?
Illis ſumma licet percurrere ſidera plantis:
Hic implent vero ſe lumine ſemper, & omnes
Abſolvunt ſine nocte dies, ſine nubibus auras
Accipiunt lenes, mollique quiete foventur:
Felicesque vident animæ, ſi noſtra requirunt,
Sub quantis jaceant tenebris mortalia regna,
Et, quem liquerunt, rident ludibria Mundi.
HUC aquilis iter eſt: aquilis, quas ſplendor & ignes,
Altaque delectant, & quæ (quod carmine lato
Olim concinimus) ſolis flectuntur ad orbem.
Cœleſtes aquilas (aliæ diſcedite) ſumma
Sic petiiſſe juvat, miſeramque relinquere terram.
Quod MOLLERE, facis nitens melioribus alis:
Et vincis, victorque infers tua nomina cœlo.
Et liceat ſenſu meliore reponere dicta:

Sic aquila excelſis in nubibus usque volabis,
Deſpiciens terras. Quid vero nubibus? æthra
In media, & ſupra pallentis ſepta Dianæ.
Et tibi perpetuos (addo) DEUS ipſe favores
Inſtaurare velit: tibi ſit Sol unicus idem,
Proque aulis Regum cœleſtia tecta colantur.

Elogium breve
JOHAN. SCHROETERING,
Conſulis laudatiſſimi.

JOhannes Schrœteringius ſuſceptus in lucem Hamburgi eſt ad diem XIII. Dec. Anni M D LXXXVIII. parentibus honeſtiſſimis mercatoriæ faciendæ deſtinatus poſt itinera per regiones quam plurimas & longe diſſitas ſuſcepta in patriam rediit atque rei familiaris primum & quæ longe lateque exercebat ampliſſimorum commerciorum diligentem curam geſſit, inde poſt munera omnis generis qualia civibus injungi ſolent fide & induſtria ſingulari geſta allectus fuit in ordinem Senatorium Anno M DC XXXVIII. Conſulares faſces conſecutus eſt Anno M DC LXVII. Tres uxores habuit, & ex his tertiam A. 1645. ductam improlem, è duabus vero prioribus quarum priorem Anno 1614. eaque defuncta alteram A. 1626. matrimonio

monio ſibi jun[illegible], undecim ipſi progenerati ſunt liberi, nepotes viginti, decem pronepotes. Superſtites reliquit liberos quatuor, duodecim nepotes & pronepotes ſex, defunct⁹ die 2. 8br. A. MDCLXXVI. ætatis duodenonageſimo. Funus ejus carmine lugubri proſecutus eſt Rev. vir Henr. Elmenhorſtius, è quo cum bona ut confido lectoris venia verſus nonnullos adſcribam:

Sein Thun war Redlichkeit / ſein Leben ehrbar wandeln/
Sein Amt / ſich ſtets bemühn / für Stadt und Landes Heil / handeln/
Sein Chriſtenthum ohn Arg / ſein Sorgen treulich
Sein Leiden voll Gedult / und Gott ſein beſter Theil.
Sein Hertz erfreut in Gott / ſein Aug auf Gottes Wege/
Sein Ohr nach GOttes Mund / ſein Mund zu Gottes Ruhm / Pflege/
Sein Fuß zu GOttes Hauß / ſein Hand znr Armen
Sein Rath / Gemeines Beſt / Er / JEſu Eigenthum.
Fragt / die ihr Jhn nicht kennt / mir nach Herr Schrötrings Nahmen/
Jhn kennt die ferne Welt / da wo der Oeſt entſteht/
Und wo man Achmet ehrt / wo Perſ und Ruß herkamen/
Und wo die müde Sonn zu Abends untergeht.
Sein Lob beſteht allda. Eh wird kein Ætna funckeln/
Kein Marmor hart beſtahn / kein Fluth noch Ebbe ſeyn / ckeln
Als daß der falſche Neid wird ſeinen Ruhm verdun-
Die Tugend ſchreibet Jhn ins Buch der Nach-Welt ein.

PROGRAMMA
In Funere
Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi,
& Consultissimi
VIRI
D. NICOLAI JARRE,
J. U. L.
& Reip. Hamburg. Consulis Senioris,
Primi, Optime meriti,
Scriptum
Nomine Professorii Collegii
ab
EBERHARDO ANCKELMANN.
Ling. Hebr. P.P. & p. t. Rectore.
Exequiali die IX. *Augusti*, *Anno Christi*
cIↃ IↃC LXXVIII.

Typis Georgii Rebenlini, Senatus, Gymnasii
& Scholæ Johan. Typogr.

INter memorandos Judices, ac celebratiſſimos moderatores, qui populo Iſraelitico, ſummo DEI beneficio, rebus adverſis ingruentibus, obtigerunt, poſt obitum Abimelechi, ad conſervandum Iſraelem exſurrexiſſe Tholah filium Puæ, & poſt hunc JAIR Gilhaditam, divina Veteris Teſtamenti oracula nobis inſpicientibus pandunt. Hujus Viri imperium, quod duorum ac viginti annorum ſpacio circumſcriptum fuiſſe legimus, tanta comitata eſt felicitas, ut non modo triginta civitates, villas Jairi nuncupatas, habuerit in poteſtate, triginta filiorum parens, ſed etiam electus ille in DEI peculium populus, qui, vivente Abimelecho, & poſt JAIRI tempora, variis exterorum hoſtium incurſionibus fuit obnoxius, ſub vite ſua ac ficu ſecure habitare quiverit, & in ſuaviſſima pace rebus ſuis præeſſe. Quod etſi nemini, niſi pacis omnis auctori, DOMINO DEO NOSTRO, merito acceptum ferendum eſt beneficium, a quo cum temporariam ſuam nec manentem felicitatem, tum æternam illam, & nunquam deſituram beatitudinem pendere Chriſtianus orbis novit: tamen aſſeverare nullus dubito, quin prudenti etiam JAIRI hujus adminiſtrationi, divini favoris aura ſublevatæ, tribuendum quodammodo ſit, quod illius beneficii Iſraelitæ fuerint capaces. Etenim pro ſua pietate, ac juſtitia, hic JAIR in illud unice incubuit, dum ad gubernacula Reipublicæ Iſraeliticæ ſedere ei

conceſſum fuit, ut ſubditi easdem virtutes ſuas ſtudioſe æmularentur, omni genere vitiorum, quibus ira divina provocatur, procul eſſe juſſo. Quo etiam factum eſt, ut, quam diu JAIR יאיר hic (quem, vocis originem intuens, illuſtratorem judicemque populi ſui, non male expreſſeris) rebus humanis interfuit, ac nobiliſſimum hoc lumen populo DEI ſplendorem atque decus communicavit, & quaſi circumfudit, nullæ horrendæ ac exitiales tenebræ ei obfuerint: quod multo aliter ſe habere cœpit poſtea, quam ex hac mortalitate JAIR iſte ereptus, ad æternas illas beatorum ſedes divino juſſu conceſſerat. Amiſſo enim tam pio ac prudenti rerum ſuarum Moderatore, Iſraelitæ a recta virtutis via deflectentes, tetræ impietati & flagitiis, DEO ac bono cuique exoſis, frena laxarunt, ac omnia in pejus ruere cœperunt, & retro ſublapſa referri, ut Poetæ verba noſtra faciamus. Ceu fere contingere ſolet, ut ventis frementibus & atris tempeſtatibus ſubortis, in brevia & ſyrtes præceps agatur navis, intempeſtive perito deſtituta magiſtro, quæ, eo præſente atque excubante, recta in portum ferri videbatur. Aut, uti fieri quandoque conſuevit, ut clades non exigua immineat ædificio, magnifico quamvis ac ſatis ſpecioſo, ſubrutis, quibus primum nitebatur, fundamentis. Nobis, ne longius abeamus, etiam talis JAIR divinitus obtigerat, qui non per XXII. ſed XL. fere annos, ſuo lumine tenebras imminentes, & com

muni

muni Civitatis noſtræ luci obfuturas, quantum in eo ſitum fuit, provide ac feliciter repulit diſcuſſitque, Magnificus, Nobiliſſimus atque Conſultiſſimus Dominus NICOLAUS JARRE, J U. L. Reipublicæ noſtræ Conſul Senior, ac Primarius. Qui linguæ ſanctæ cognitione animum ſuum imbuerunt, facile perſentiſcent, ſuaviſſime inter ſe conſpirare utrumque nomen, tum יאיר quo ille Iſraelitici populi judex fuit inſignitus, tum יראה quod obtinuit noſter beatiſſimus Conſul. Nimirum, ut ille JAIRUS lumine ſuo gentis Iſraeliticæ gloriam atque decus illuſtravit, ac eandem ſecundum præſcriptam juſtitiæ normam judicare in magno habuit negotio: ita & hunc noſtrum JARRIUM egiſſe, quaſi illius laudabile exemplum ſemper ante oculos habuiſſet, aſſerere non dubitamus. Utinam vero adhuc diutius hunc JAIR divina gratia nobis, nequicquam nunc, eheu! requirentibus, conceſſiſſet! Utinam Reſpublica noſtra illuſtris ac imperterriti hujus Papiniani prudentiſſimis fideliſſimisque conſiliis poſthac etiam niti potuiſſet! Utinam Eccleſiæ noſtræ, Gymnaſio noſtro, & Scholis noſtris, tanti Viri patrocinium in plures adhuc annos experiri licuiſſet! Utinam denique ad hunc Patriæ Patrem confugiendi miſero clienti diuturnior facultas manſiſſet! Sed eſt ſupra nos DEUS, qui tacita ratione omnia regit, ac gubernat: neque poteſt ille, qua eſt infinita bonitate, quicquam vel immittere, vel otioſo aſpectu transmittere,

quod non multo optimum sit, ac generi nostro salutare. Abstulit ille hunc Virum, pro imperscrutabili suo consilio, non immatura quidem & improvisa, sed intempestiva tamen morte: & non solum hoc ipso multas privatas familias ingenti luctu affecit, sed etiam toti patriæ nostræ durum vulnus inflixit. Nos quidem, procul omni curiositate, silеamus oportet, tanto vulnere affecti, & quam capere non possumus divinam dispositionem, religiose eandem adoremus: illa spe potissimum nos consolantes, quod, etiamsi e conspectu nostro sit subductus noster ille JARRE, perpetuo tamen nobiscum sit futurus יהוה יראה Dominus ille qui providebit. Interea autem obliviſci minime debemus, hunc potentissimum rerum humanarum arbitrum seriis ac ardentibus solicitare votis, ut ne, tanto lumine nostræ urbi adempto, idem nobis eveniat, quod Israelitis obtigisse in sacro codice narratur, sublato in æternum domiciliorum illorum commemorabili JAIRO. Cumprimis, quoniam turbatissima nunc sunt tempora, & ubique adeo labefactatus sit atque concussus divinarum pariter ac humanarum rerum status, ut haud fere dispar Hierosolymitano funeri funus, quo sacri ambones proxime elapso die dominico sat graviter personuerunt, pluribus adhuc Civitatibus pertimescendum esse videatur. Neque enim solum funestissimi belli incendium extra Germaniæ nostræ fines deflagrat: sed vagatum pridem latius est, & vicinio-

ra

ra quæque corripere cœpit. Cuſtos Iſraelis quidem omen abeſſe jubeat: verendum tamen eſt, ne inter cæteras malorum cohortes, quibus effrenem hominum malitiam urgere ac caſtigare ſummus ille judex inſtituit, hoc etiam referri debeat, quod tam utilem, tam neceſſarium Reipublicæ noſtræ Virum ſubtractum ad ſeſe evocavit. Quo magis noſtro convenire muneri exiſtimabimus omnes, ut erectis animis excubemus, implorantes DEUM, ut illas pene cervibus noſtris imminentes iræ divinæ flammas, propter ardentiſſimas Chriſti lacrymas, cum noſtris lacrymis non poſſimus, exſtinguere clementiſſime velit. Sed ea res cuique bono, & de confractione ſive damno Joſephi vere ſolicito, uti ſperamus, cordi ac curæ erit, (neque enim licitum nobis hic eſt in illo genere eſſe operoſis:) nos nunc id agemus, ut devota noſtri Conſulis ac Patriæ Patris memoria comiter colatur, ac vitæ ipſius ordo aliis etiam proponatur ad felicem imitationem. Hoc enim ipſo confidimus fore, ut, cum ille e medio noſtri ſit cœleſti nutu remotus, illuſtrium tamen ejus virtutum, quas optimum, ac benigniſſimum Numen in illum haud parca manu contulerat, quodammodo expreſſa imago ſuperet, & ad poſteritatis memoriam perveniat. Quod tamen magis, prout permiſſura eſt temporis ratio, & virium noſtrarum imbecillitas patietur, non, ut tanti Viri nomen atque dignitas

gnitas meretur ac expoſcit, officii noſtri memores, exſequemur.

Natus igitur eſt Hamburgi, cum annus nati Salvatoris laberetur ſupra ſesquimilleſimum ſexcenteſimus & tertius, die XIX. Novembris, Parentibus probis & conſpicuis, qui ei ad ſacrum regenerationis lavacrum NICOLAI nomen indiderunt. Quod nomen omen habuiſſe videri queat. Etenim cum, jactis domi primis pietatis & literarum fundamentis, adoleſceret, & a parente anno cIↃ IↃC XIX. optimis Gymnaſio noſtro tunc præfectis Doctoribus & Profeſſoribus commiſſus eſſet, cæteros commilitones longo poſt ſe reliquit intervallo, & induſtriæ victoriam ſemper obtinuit. Aliquot annis in patrio Gymnaſio ſic exactis, cum iisdem Magiſtris & formatoribus videretur eundo in Academias, ablegatus eſt primum Wittebergam, qua digreſſus Marpurgum, poſtea Tubingam, & Argentoratum, ac tandem Baſileam conceſſit. In quibus nobilibus divinæ & humanæ ſapientiæ emporiis cum reperiſſet excellentes in omni eruditionis genere viros, applicare potiſſimum iis ſeſe familiarius voluit, a quibus ſuæ virtutis fieri poſſe multum acceſſionis judicavit. Qui cum nihil exile, nihil proletarium in adoleſcente animadverterent, id operam dederunt ſedulo, ut cupidiſſimus ejus diſcendi animus omni liberali doctrina politior redderetur. Attulerat autem jam tum domo præclaros, tam in rebus Philoſophicis, quam Juriſconſulto ſcitu neceſſa-

neceſſariis profectus, eosdemque in Academiis ſub Clariſſimis Profeſſoribus ita auxerat, ut ſummis honoribus, in utroque jure obtinendis, dignus cenſeretur. Hos non ambitione, ut multorum mos eſt, ſed merito ſuo conſecutus, peragravit Galliam, Italiam, magnamque partem Germaniæ, ut facies variarum Rerumpublicarum, magnorum Principum aulas, propius cognoſceret, & virorum celeberrimorum ſermonibus, utiliſſimaque librorum cognitione, interiorem literarum & Jurisprudentiæ peritiam adaugeret. In his locis cum ſolertem animum per integrum decennium varie pavisſet, nec ſibi permitteretur domo diutius abeſſe, reverſus eſt in patriam. Anno hujus ſeculi XXXII. contraxit matrimonium cum Nobiliſſima, ac genere & virtute ornatiſſima Virgine ANNA, Spectatiſſimi, & Prudentiſſimi Viri Domini Georgii Schrôteringii, Duodecim-Viri, lectiſſima filia. Hæc ternas fœmellas ex eo peperit, quarum unam, quæ natu minima erat, ſcitulam pulchellulamque puellam præmatura morte amiſit. E cæteris alteram ANNAM locavit Nobiliſſimo, Ampliſſimo, ac Conſultiſſimo Viro Domino DITERICO MULLERO J. U. L. Senatori ac Scholarchæ primo, optimeque merito. Altera, DOROTHEA, connubio juncta fuit itidem Nobiliſſimo, Ampliſſimo, ac Conſultiſſimo Viro, Domino DANIELI von Kampen/ J. U. L. Senatus quondam noſtri membro inſigni, ante aliquot

autem

autem annos morte nobis erepto. Hæc duo filiarum conjugia liberis a Domino ita fuerunt fœcundata, ut beatus noſter Conſul XIIX. inde nepotes neptesque ſummo cum gaudio ſuis oculis vivus uſurpaverit, parem fere cum πολυτέκνῳ JAIR felicitatem aſſecutus. Diviſus autem, DEI O. M. nutu, fuit conſpicuus hic numerus, dimidio altero cedente cœlo, altero terris adhuc ſuperante. Ex hoc binæ neptes, ſupra laudati Domini MULLERI filiæ, in matrimonium collocatæ ſunt: natu quidem major GERTRUDIS, Nobiliſſimo, & Conſultiſſimo Viro Domino JOHANNI REINBOLTIO, J. U. L. Bergedorpienſi Præfecto, natu vero minor, ANNA, Nobiliſſimo ac Conſultiſſimo Viro Domino ULRICO PAULI, J. U. L. & Practico celeberr. quarum illa fauſto quatuor liberorum partu diverſi ſexus JARRIUM abavum fecit. Sed ad Eundem revertamur. Is cum ob egregias animi dotes inclaruiſſet apud cives ſuos, fidemque ſuam ac integritatem pluribus probaſſet, omnium ſuffragio publicis muneribus fuit admotus. Ac primum quidem anno hujus ſeculi XXXIX. in amplisſimum Ordinem Senatorium cooptatus eſt. Orbatus autem carisſima & neceſſaria maxime vitæ ſocia, cum cogitationes ſuas inter familiam & civitatem dividere minus commode poſſet, quas huic præcipue impendere decreverat, boni magiſtratus exemplum ſecutus: hinc fiebat, ut Nobilisſimam & omni virtutum genere condecoratam

ratam Virginem, Spectatisſimi Viri, & Primarii Negociatoris JACOBI MORSII filiam MARGARETAM ſibi Conjugem expeteret. Ex qua in matrimonium ſibi data, denuo duorum liberorum maſculorum parens factus eſt, quos tamen jam tum is, qui elargitus erat, ad ſe recepit. Poſt, anno quinquageſimo, ſummo cum applauſu omnium ad Conſularem Dignitatem eſt evectus. Inſtituti noſtri ratio non permittit, ut latisſimum campum, qui hic nobis ſeſe aperit, dicendi de variis ejus rebus, cum domi tum foris Reipublicæ cauſſa geſtis, ac legationibus ſuſceptis, feliciterque confectis, ingrediamur, Illud tamen non poſſumus, quin addamus, *ſummum eum fuiſſe Juriſconſultum, ſummum Senatorem, ſummum Conſulem.* Habuerat enim in ſtudiis ſuis adminicula univerſa: ingenii incredibilem capacitatem, acrimoniam judicii raram, ingentem proficiendi ardorem, laboris patientiam, & illi ferundo ſanum atque firmum corpus, conſuetudinem cum viris πολιτικωτάτοις & πραξικωτάτοις: quæ pleraque ſunt, quibus ad ſolidam eruditionem perveniri poteſt. His cum provide & conſtanter uteretur, evenit etiam, ut longe lateque virtus ejus emineret, & ſuſpiceretur. Neque vero poſtea, cum faſces ei demandarentur, & judicandi cives ſuos poteſtas facta eſſet, ſui ſimilis eſſe deſiit. Etenim juſtitia civitates, à parvis & humilibus profectas principiis, brevi tempore ad magnam potentiam perveniſſe, injuſtitia autem florentisſimas

&

& opulentisſimas breviori tempore funditus concidiſſe ſecum optime reputabat. Itaque ſemper id agebat, ut vim coerceret, à potentiorum injuriis tenuiores defenderet, cuique ſuum tribueret, juris æquabilitatem inter omnes proportione quadam tueretur. Neque vero in eorum erat numero, qui non tam rationem muneris ſui, quam magnitudinem munerum alienorum ſpectant: qui libentius in nummorum, quam in argumentorum, ab utraque diſſidenitum parte afferri ſolitorum, ponderibus expendendis occupantur, & utrius gravior ſit manus, ejus cauſſam quoque meliorem videri pronunciant. Ab hoc vitio INCORRUPTUS Viri animus longe erat alienisſimus. Nam in illo præcipua virtutum omnium & ſalutis veræ fons, pietas cæteris ita ſe aſſociaverat, ut ab illis divelli ſe non pateretur. Hanc enim cum in LXXV. ætatis annum ſedulo coluiſſet, factum eſt, ut â patre cœleſti abitus ſui mature admonitus, ante aliquot menſes infirmitate valetudinis corriperetur. Quæ cum remittere nollet, cedendum ei fore facile collegit, & in lecto ſe ad beatam ex hac vita migrationem compoſuit, immortalitatis illo viatico & æternæ vitæ pignore prius ſuſcepto. Hic mundana ſolicitudine prorſus amandata, animum & cogitationem ad Salvatorem ſuum unice convertit, (in cujus Crucifixi merito ſe confidere & ſalutem ſperare, expreſſis verbis pridie obitus indicabat) condonatis quoque vere offenſis, quibus

bus ægre ipſi factum erat. Sed invaleſcente totius corporis imbecillitate, nequicquam valentibus, quæ medica manus adhibebat, pretioſiſſimis medicamentis, ſuperata tandem eſt natura. Igitur exhauſtis viribus, die hujus menſis ſecundo poſt duodecimam horam inter preces & lacrymas cognatorum ac familiæ, ultima rerum linea mors tandem eſt ſubſecuta, cum vixiſſet in hac mortalitate annos LXXV. Translata nunc eſt beata Viri anima ad magnam æternamque pacem, ad perenne illud cum Deo & beatis ſpiritibus conſortium. Illic perſpicit (יִרְאֶה) ineffabili cum voluptate, tum cætera omnia, quæ cum Iſraelitarum Judice JAIRO omnibus veræ pietatis æmulatoribus promiſſa ſunt, tum in primis ſalutare, vel, ſecundum Hebraicam veritatem, JESUM ſuum crucifixum. Nos meliora ſuperſtitioſis gentilibus edocti, non invidebimus JARRIO noſtro hanc, quam nulla humana ratio capere poteſt, felicitatem, ſed potius unanimi mente de tanto bono ei congratulabimur, quod incredibili Patris æterni liberalitate, ac pretioſiſſimo unigeniti filii merito, ei obtigit. Ne autem nobismetipſis deeſſe videamur, admirabilem illum Conſiliarium, IMMANUELEM, poſtremo ſupplicibus votis adorabimus, ut pro immenſa ſua gratia vulnus, quod Reipublicæ, quod Curiæ, quod Eccleſiæ, earumque ſeminariis Scholis, inflictum eſt, ſuo tempore velut optimus medicus obligatum ſanet, & excellentiſſimis JARRII noſtri virtutibus re-

ſpondentem Virum ſufficiat, qui gloriæ divinæ & juſtitiæ cum Mardochæo JAIRI filio, qui Gymnaſii Scholæque ſaluti cum JAIRO illo apud Marcum & Lucam, qui denique communi urbis noſtræ commodo ſervire omnibus viribus nitatur. Servet ille Pater miſerationum hanc noſtram Rempublicam, protegat, tueatur: & ſtantes adhuc ejus columnas ſuperſtites nulla vi aut injuria patiatur prorui. Conſoletur ille, qui Deus omnis conſolationis eſt & audit, quorumcunque corda gravis hic dolor perfodit: in primis erigat ac ſuſtentet clariſſimas in luctu nunc conſidentes familias, quas propius hic inuſitatus mœror corripuit, & ab illis in poſterum clades ejusmodi & damna pro ſua voluntate averruncet. Faxit denique præpotens ille rerum omnium moderator DEus, ſi quando lux ultima, & decretoria illa hora nobis etiam advenerit, ut ad unum omnes feliciſſimo illo æternæ vitæ portu excepti, & majoris luminis participes redditi, placidiſſimo obtutu Crucifixi noſtri Salvatoris perfruamur. Exequiarum juſta exſangui corpori hodie fient: ad quæ frequentanda, cum ſummornm beati Viri in Rempublicam & noſtram meritorum memoria quemque invitare ſatis videatur, pluribus hic idem rogare rem ſupervacaneam exiſtimamus. Satisfacient ſuo officio omnes boni, ſtudioſeque in deductione tanti funeris curabunt, ut, exemplo noſtri JARRII, Apoſtolum ſecuti nihil potius ſcire deſiderent, niſi JESUM CHRISTUM, eumque CRUCIFIXUM. ME-

MEMORIAM
VIRI
Magnifici, Nobilisſimi & Conſultiſſimi,
D. BRODERI PAULI,
J. U. D. & REIP. HAMBURG.
CONSULIS MERITISSIMI
NOMINE
PROFESSORII COLLEGII
POSTERITATI COMMENDABAT
HENRICUS SIVERUS, Gymnaſii
Hamburg. Profeſſ. Publ.
Et nunc Rector
Ipſo exequiali die qui erat XXVI. Januar.
A. C. cIↃ IↃc LXXX.

Typis *Georgii Rebenlini*, Senatus, Gymnaſii & Scholæ Joan. Typogr.

LECTORI S.

BRODERUM PAULI, Magnificum Virum, & Hamburgenſis Reip. Advocatum, Syndicum & Conſulem per annos L. præclarè meritum gratæ Poſteritati ſiſtere, & ſchematiſmum biographicum Senis octoginta duorum annorum exellentium virorum vitis annectere propter perſonæ dignitatem & meritorum copiam difficilius eſſe video, quàm non nemo putaverit. Præſtabit tamen ſumma decerpſiſſe cacumina, quàm tacendo merita DN. CONSULIS ſuppreſſiſſe, ne aut ingrati aut ſilentio vitam tranſigentes, aut laude digna diſſimulantes videri poſſimus. Malumus igitur pauca loqui, aliisque uberiorem de vita ejus anſam præbere diſſerendi, imò commentandi, quàm intempeſtivè & ſine ratione tacere. Recepto more *ducamus lineas in tabella*, quæ noſtra phraſis eſt; totum alii curriculum, vitamque Ejus, tum ut in luce omnium tum ut privatim acta eſt, omnibus circumſtantiis locupletatam non ſine laudum cumulo in ſcenam afferant, nos contenti indice digito tria illa potiora capita: Ingreſſum, Progreſſum & Egreſſum Meritiſſimi DN. CONSULIS nude indicaſſe, accingimur operi. Ingreſſus eſt hanc lucem A. C. M D LXXXXVIII. d. III. Aug. in civitate Huſenſi, ſatis in vicino Ducatu nota, Avo Paterno, Nobil. & Ampliſſimo Viro DN. JACOBO PAULI

li, ejusdem civitatis Præside à Sereniſſimo Principe conſtituto : Materno vero Nobil. & Prudentiſſimo Viro DN. BRODERO DOSE, Conſulum dictæ civitatis & numero & ordine quoque primo. Patrem venerabatur Amplisſimum DN JOHANNEM PAULI, Senatorem & hunc Huſenſem , quem hujus ſeculi anno XIIX. menſ. 11. d. 111. ſibi ereptum pietatis, quæ filium decet , memor multis compoſuit Lacrymis. Ipſe novennis puer adhuc Nobil. & Præſtantiſſ. Matrem ANNAM, natam DOSIAM, laudati DN. BRODERI conſulis Filiam elatam luxit , quam jacturam annis undecim ante beatam Patris optimi emigrationem expertus eſt, A. C. MDCVII. d. V. Auguſti. Triennio ante ſuaviſſimi Parentis è vita exceſſum, natus annos XVII. Lunæburgum mittiur. Erat is epochæ Chriſtianorum MDCXV. Subſtitit ibidem ad nuncium usque paternæ mortis, quo tempore inſignis ille ſtili Magiſter & didacticus celebris, qui poſtea factus eſt noſter, DN. M. *Johannes Starckius*, ibidem Scholæ Rectoris munere fungebatur, qui jam illa ætate (erat enim vix viginti annos natus) ſolidiorem ejus in fundamentis Chriſtianæ Fidei cognitionem , cum inſigni græci latinique ſermonis peritia, publice privatimque non ſemel confeſſus eſt & prædicavit, hoc addens: *gratiſſimorum diſcipulorum numero hunc inprimis albo lapillo adſcribendum.* Neque unquam memoriam bene meriti informatoris in extrema ætate Beatus DN. CONSUL de-

posuit, cui religio erat, sine præfatione honoris optimi Starckii, per quem profecerat vel obiter saltem meminisse. Sed comitabimur illum Witebergam euntem, quod XIX. hujus seculi anno factum est, quo tempore justo DEI judicio Germania nostra bello gravi & miserâ monetæ corruptione affligebatur. Post biennium Lipsiam adiit, ibique exegit nobile triennium à Celeberr. JC. DN. *Wilhelmi Schmuckii* & aliorum virorum, quorum literatus Orbis novit nomina, ore pendens. Harum Academiarum laudes promere velle esset facem accendere in meridie. Jactis ita in studio Humanitatis, Historiarum, Politico, & Juris tandem Publici & Privati fundamentis XXVI. annos natus Argentinam, egregium illud non Alsatiæ tantum, sed totius Germaniæ decus, properabat, ubi per semestre tantum spatium, ut & in celebri Rauracorum & Helvetiorum Basilea (quam ab Ænea Sylvio, postea Pontifice Romano, & Petro quoque Ramo paucis, sed elegantibus verbis descriptam habemus) substitit, nunquam otiosus, sed illud *Hoc age*, & *Dic cur hic*, semper in oculis & mente circumferens. Sed properandum, ut per nivosas Alpes, ventosasque & difficiles, hyberno præsertim tempore, ut Chytræanum Hodœporicum vocat, in Italiam tendentem speculemur, transcendentem cautes, & in Italiæ locis celeberrimis *pie & cum fructu studiorum* viventem. Confecto itinere, Imperialis Cameræ Judicium per biennium

ennium : ipſa vero Magni Cæſaris aula, quæ tum Viennæ Auſtriæ erat, jam Pragam Bohemiæ translata, per ſemeſtre illum tenuit. Redit Helmæſtadium, celeberrimam Academiam Juliam, ejusque Excellentibus in ſtudio Juris Doctoribus ita ſe commendat, ut applaudentibus omnibus XXXI. ætatis anno hujus ſeculi XXIX. præſtandis cum laude præſtitis præmiſſisque, utriusque Juris Doctor publica auctoritate & voce renunciatus ſit. Non ignotum illi, *non bene vivi ſine ſocia*, eſſe hanc divinam Ordinationem, DEO gratam & Humano generi ſalutarem, neque illum male conſuluiſſe illis, qui juſtæ & profectæ ætatis ſunt, qui dixerit: *Expers conjugii non bene vivit homo.* Circumſpiciens igitur, quam thori eligeret conſortem, divino nutu invenit Nobil. & caſtiſſ. virginem CATHARINAM, præſtantiſſimi & integerrimi Viri DANIELIS von Langen/ civis & Mercatoris Hamburgenſis Filiam cariſſimam, cum qua per XXXIV. annos in conjugio ſuavi, ſine querela vixit, ſex thori ſuaviſſimis Pignoribus, filius quatuor, duabus vero filiabus cælitus donatus. ULRICUM dico, magnæ ſpei ſed brevis ævi puerum, utpote, qui ſexennis ultimo anni XXXVI. die vitam cum morte commutarit. Neque ſuperſtes fuit aliud par ſuaviſſimum optimorum filiorum fratrumque, JOHANNEM ADOLPHUM dico & DANIELEM. Priorem enim eodem XXXVI. anno, ſed II. Februarii die, & fratrem ejus anno LIV. d. XII. Decemb

vidit efferri triſtis & filiorum cariſſimorum vitæ non minus, quam bonæ vitæ ſive accuratæ educationis amantiſſimus Pater. Placuit tamen Divinæ Majeſtati numerum Liberorum Magnifici DN. CONSULIS ſenarium in duas dividere partes & unam quidem recipere in cælum, alteram vero in præſentiſſimum ejus ſolatium Patriæque commodum relinquere terris: utinam adhuc diu! Nobiliſſimum & Conſultiſſimum Virum DN. ULRICUM PAULI, U. J. L. & Advocatum putà, quo filio DEUS illum non longe poſt mortem filii ὁμωνύμε beare voluit, cum pari Nobil. & præſtantiſſimarum Sororum, ANNA, inquam, CATHARINA cum V. Nobil. & Conſultiſſimo DN. ALBERTO SCHRÖTERINGIO U. J. L. b. m. caſto matrimonii vinculo copulata, & MARIA ELISABETHA, quæ venit in thorum V. Nobiliſſ. & Ampliſſ. DN. JOANNIS HENRICI SIMONIS, U. J. D. & cauſarum Patroni. Nepotes neptesque ſex vidit Avus ſuaviſſimus, ex quibus ruente anno præcedente par unum deſideravit. Superſtites ſervet DEUS regatque. Non paſſa ſunt magna cælitus conceſſa dona latere in obſcuro Magnificum DN. CONSULEM. Ut igitur nihil dicamus de oblatis alibi vocationibus, neque de novennio illo, quo patronum egit cauſarum in diverſis judiciis, & alia nonnulla omittamus ſcientes, hoc addimus, illum à Rep. noſtra Syndicatus honori & oneri A. C. XXXIX. d. XII. Martii admotum eſſe, quo in officio graviſſimo

graviſſimo honoratiſſimoque per annos XXX. fidelem Reipublicæ operam præſtitit. Loquantur, me tacente, ſcripta publica, labores, itinera, pericula. Omnia pro Salute Reipublicæ. Vir magni ingenii, raræq; diligentiæ, nunquam fere otioſum trahebat ſpiritum, per dius & quandoque pernox in meditationibus, colloquiis, lectione, ſcriptione. Loquantur ſuſceptæ legationes ad Magni Cæſaris Aulam, Comitia & Conventus Imperii, Reges, Electores & Principes, & fideliſſimæ quidem diligentiſſimæque ſemper, ſæpius quoque feliciſſimæ, DEO gratiam largiente, expeditiones. Quid de ejus in Gymnaſium noſtrum & Bibliothecam Publicam Hamburgenſem meritis dicam? Dicam nihil, cum vel ſola hæc res juſtam exigat orationem. Auctoritate igitur conſpicuum, meritisque & rerum uſu, tum ætate gravem, (erat enim annorum duorum & ſeptuaginta) CONSULEM, Reip. electum vidimus, cui officio quàm arduo, quàm difficili, cujus tot moleſtiæ comites ſunt, & in quo verè: *fructus honos oneris, fructus honoris onus*, pro viribus Divinitus conceſſis per decennium ferè præfuit. Præfuiſſet ei diutiùs & ex voto, niſi gravi lapſu eſſet attritus octoganarius. Dum enim aliquid colligit & multa mente volvit, per lubricum pavimentum, fallente veſtigio, cecidit, non ſine præſentium conſternatione, qui tamen, dum proſternitur ſubito, fruſtra extendebant dextras.

Lecto igitur affixus jacuit per annum integrum, neque tamen ità affixus & afflictus omnem pro Reip- Salute curam deponere potuit. Rationes interim vitæ ſubducens humillimè divinam deprecatus eſt Majeſtatem. Ità enim ad beatum ex hac mortalitate exitum ſe præparabat, vitæque ſatur & robore exutus inter gemitus & ſuſpiria liberorum pio & placido obitu SERVATORI animam reddidit. Factum id A. Chriſtiano LXXX, d. XIX Januarii, circa dimidiatam tertiam pomeridianam, poſtquam in terris annos LXXXI, menſes V & dies XVI vixerat. Defuncto corpori, quod terræ in templo Cathariniano credetur, juſta ſolventur hodie, inque funere ornando memoriaque Meritiſſimi Dn. Conſulis conſervanda deſiderabitur nihil. Fuit ille, ſed nobis. Eſt adhuc, eritque in gloriam DEI & gaudium ſuum æternum. Translatus eſt nobisque ſui immortalem reliquit memoriam. Fidem memoriæ Senatûs Populique & tot magnorum virorum extra urbem, quibus innotuit, & cum quibus verſatus eſt, appellamus. Non cum corpore extinguuntur animæ. Placet ita DEO noſtro, placet Chriſtianis, placet Sapientibus. Illud (*ſi*) Taciti (*in vita Agricolæ c. 46.*) non moramur, ſed dubitationem potius dolemus gentilis Romani Equitis. Fundamus pias ad DEUM preces, ut jacturam reſarciat; ut Eccleſiæ, Gymnaſio & Scholis, utque univerſæ bene ſit Reipublicæ, & omnibus in illa viventibus. Conſoletur ille, quarum cor-

corda propiore dolore concuſſa ſunt, Nobiliſſimas in luctu conſtitutas familias, ſervetque illas in poſterum ab iſtiusmodi cladibus diu liberas. Tu vero Meritiſſime DN. CONSUL, tot pro Patria curis & moleſtiis contrite, tot exhauſte laboribus, iisque moleſtis & operoſis, in quibus tamen Te patientem præbuiſti & impigrum, quia ad quietem Te compoſuiſti, quieti traditus dormi, usquedum finito hujus ultimæ tempeſtatis decurſu â Divinæ Majeſtatis Legato, tubicine mortuos excitante & compellente, ultima nobis dicatur dies, ubi, quotquot in CHRISTO obdormiverunt, in cœlo ſummo honore erunt & nomine, cujus magnitudinem & Majeſtatem ſoli Omnipotentiſſimo notam, piisque expectandam in hac tenebricoſa valle aut capere aut deſcribere mortalium poterit nemo. Hanc Tu, mi JESU ΘΕΑΝΘΡΩΠΕ, juſte Judex nobis largire!

FAMAM

FAMAM MERITORUM
Viri quondam
Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi
DOMINI
DIETERICI MOLLERI,
J. U. L.
& Imperialis Liberæ Hamburgensium
Reipublicæ
CONSULIS
Meritissimi,
NOMINE
PROFESSORII COLLEGII
Scripto hoc Panegyrico
CINERIBUS SUPERSTITEM
quin
IMMORTALEM
esse laboravit
DANIEL BÜTTNERUS, J. U. L.
& Profess. Publ. Gymnas. Hamb. hoc tempore
RECTOR
Ipso exequiali die, qui erat II. Novemb. A. O. R.
M. DC. LXXXVII.

Typis Viduæ Rebenlinianæ.

Nefas

NEfas eſſe ſi duxerimus, ab honeſtis Majorum inſtitutis & piis monitis frivola facere divortia, patulas omnino & obſequioſas præbebimus aures paræneticæ voci Siracidis: αἰνέσωμεν ἄνδρας ἐνδόξους id eſt, laudemus Viros celebres, Viros, non ſibi ſoli, ſed DEO, ſed Patriæ, ſed amicis, ſed proximo natos; Viros ſplendore ſtemmatis inclutos, virtutum nitore conſpicuos, partâ ſuis laboribus gloriâ nobiles. Factitarunt id ipſum gentes ultimarum terrarum, factitarunt nationes barbaræ, factitarunt populi omnis propemodum humanitatis expertes. Virtutum, facinorum, meritorumque magnitudine illuſtrem Heroa Æneam, æternis celebratum monumentis, ad poſteritatem ſeram transmiſit lumen & Princeps Poetarum Virgilius. Amplisſima Ulyſſis nomina oblivioni ſubtraxit fons omnis liberalis doctrinæ Homerus. Ut Athenienſes Chabriæ laudes ab interitu vindicarent, publicè ei in foro conſtituta eſt ſtatua. Omnes Theſſaliæ Civitates Pelopidam ſtatuis æneis donarunt. Quis ignorat Romanorum ſtatuas triumphales, præconiales, ſepulchrales? Lucullus, Scipio, Pompejus, Antonius, victricibus armis memorabile ſibi nomen condentes, aureis decorati leguntur ſtatuis. Senatus, populusque Romanus Conſtantino Magno ſumptuoſiſſimam erexit columnam, hoc addito præconio, quod Romanorum cervicibus jugum ſervitutis feliciter excuſſiſſet. Macedones ultimo ſuo

Regi

Regi Perſeo in ipſo gratulationis actu ſtatuam auream ſub Fortunæ ſchemate exhibuerunt his verbis : *Dent Superi Vitam, nos Fortunam.* Hoc pacto mortalis immortalitatem conſequitur & maxima denati pars evitat Libitinam, cum jam vivus æternitatis tropæis gaudeat. Huc reſpiciebant laudum præſtantiorum buccinatrices Coronæ, civica, obſidialis, muralis, navalis, triumphalis, oleagina, aliæ, quarum impoſitione virtutes clarorum Virorum communi applauſu celebrabantur. Hæc Virtutum incitamenta generoſis animis calcar addebant, ut ardua molirentur, refractis variorum diſcriminum repagulis opera, humanis viribus nonnunquam majora aggrederentur non tantum ſtrenuè, ſed & feliciter proficerent. Trahimur nimirum omnes laudis ſtudio & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. Hunc fomitem ubi ceſſare videmus, erectioris mentis igniculi tantum abeſt, ut prorumpant, ut potius in primis extinguantur ſedibus. Quod Catones, Roſcios, Hectores, Achilles, Agamemnones proventu ſat ubere præſentia adhuc gignant ſecula, à cupiditate laudis eſt & gloriæ. Neminem igitur rapiat in admirationem, quod ſummus ille Dux & Anteſignanus eloquentiæ Cicero homines ſuæ ætatis ſic fuerit allocutus : Honoratorum Virorum laudes in concione memorantur. Hanc commemorationem qui fortioribus factis & ſublimiori virtuti, ſive adhuc incolumi, ſive ex oculis jam ſublata dene-

gat,

gat, furi par eſt cenſendus. Dilaudemus ergo Viros celebres, præconia debita adornemus, Virtutumque memoriam à ſitu & interitu eamus vindicatum. Quorſum hæc diſputem L. B. facile eſt conjectu. E vita diſceſſit Vir quavis laude major, Magnificus & Excellentiſſimus DOMINUS DIETERICUS MOLLERUS, de Hamburgenſium Republica CONSUL longe meritiſſimus, cujus ſtemmatis honeſtas, vitæ exactæ integritas, amor in patriam, raræ ingenii dotes, merita in amicos, officia in proximum tanti ſunt, ut latros, ut marmora ſibi depoſcant nunquam intermoritura. Originem ſuam Nobiliſſimo noſtro Hamburgo debet, ubi ex honeſtiſſimæ familiæ Parentibus honeſtiſſimis in lucem editus eſt die XVII. Auguſti, anni poſt ſeculum XVI. viceſimo ſecundo. Hac ſobole felices parentes felicem meditabantur educationem, cujus in Scholam miſſæ indolem cum perſpexiſſent, miſſis aliis vitæ generibus filiolum ſuum ſtudiis mancipabant, quæ tenerioribus adhuc annis tanto excolebat fervore, ut hunc MOLLERUM multum ἀλφίτου μνηφαίου, relicto furfure, daturum omnes, quibus notus erat, judicarent. Adultior factus cum literis humanioribus principiisque Philoſophicis ſat tinctus videretur, amore uberioris ſcientiæ in exilium, cum Imperatore Juſtiniano loquor, concesſit ſpontaneum, & aliquot Academiarum Subſellia presſit, operamque ſuam natura duce & virtute comite, ſtudiis politico

politico juridicis addixit. Hæc Muſarum adyta tam diu frequentavit, donec Licentiæ Gradum, ut juſtiſſimam exantlatorum laborum mercedem, reportaret. Nova hac nominis gloria fulgidus, diverſa regna ſalutavit, & populos exoticos adiit, cum Jaſone aureum & eruditionis & experientiæ vellus petiturus, ut aliquando ad ſuos redux non cœlum duntaxat, ſed & animum ſe mutaſſe oſtenderet, patriæque ſuæ civem rebus gerendis idoneum, redderet. Neque vero conamina hæc ſucceſſus habuerunt irritos, DEO virtutum cultarum clementer ſublevante. Reverſus ad lares patrios propriæ ſtudere familiæ cœpit, annoque M. DC. LI. matrimonium iniit adeo fœcundum, ut liberorum decade ſit gaviſus, & ex his decies novies Avus nuncupatus. Cum anno M. DC. LIII. ſedes Senatoria vacaret, Curia huic Noſtro ſuos deferebat honores, quippe quem navis Reipublicæ gerendæ credebat peritiſſimum. Tiphys hic ſolatiſſimus Spartam ſuam, quam nactus erat, tantis exornavit laudibus, ut legationibus in Gallias, Daniam, Aulam Brandenburgicam ſuſceptis & maſcule expeditis, dignus videretur, cui faſces Conſulares anno M. DC. LXXX. traderentur. In ſolis perſcriptum radiis arbitror, quanta ſollicitudine, quanta cura, quanto ardore fuerit molitus, ut patriæ commodis inſerviret. Fundamenta dignitatis ſuæ ratus eſt pietatem, civium ſalutem, animi candorem & integritatem, juſtitiæque ſtudium ſanctiſſi-

ſanctiſſimum. Res gerendas, ut Chriſtianum decet, ab implorato Divini Numinis adjumento auſpicabatur, omnino ſibi perſuaſum habens, citra DEI nutum nihil auſpicato poſſe perfici. Subſellia templorum, tam intra quam extra mœnia, teſtantur, quanta animi præſentia & religione ſacris interfuerit: pulpita loquuntur, quam pio zelo aliquot abhinc annis in reparanda tunc temporis neglectâ Gymnaſii noſtri dignitate deſudarit, quantoque patrocinio Scholam noſtram nunquam non fuerit dignatus. Hac virtutum Regina ductus omnia ſua conſilia in emolumentum Reipublicæ, civium incolumitatem, legum conſervationem, bonorumque omnium promotionem dirigebat. Cum ſuperiori anno jam fracta valetudine eſſet, & ſubinde graviſſime decumberet, potius valetudini, quam officii ſui partibus deeſſe volebat, inter periculoſiſſimas civitatis turbas & non obſcura Magiſtratuum pericula in curiam ductus, & repens venit, communi bono, quoad viveret, conſulturus. In adminiſtratis officiis, quibus ordinis ratione fuit ſucceſſive præfectus, ſummâ ſemper fide uſus eſt, juſtitiæque ſtudio cunctis ſe ita probavit, ut neminem præſumam adeo vecordem, qui ejus ex hoc argumento ſubnatas laudes ignoret. Paucis: Sine fuco & fallaciis agebat, quicquid agebat, Vir priſci moris & incorruptam fidem profeſſus. In audiendis decernendisque cauſis jura, non affectus ſequebatur ſummus hic juſtitiæ Sacer.

dos, ut de eo adſtipulante veritate pronunciari poſſit, quod honeſte vixerit, alterum non læſerit, ſuum cuique tribuerit, diutius has culturus virtutes, niſi ipſum Cœli decreta die XXV. Octobris, Anni M. DC. LXXXVII. hora ante decimam veſpertina rebus humanis exemiſſent, & tranquillioris Curiæ Patrem Conſcriptum conſtituiſſent. Afflixit hic diſceſſus Ampliſſimum Ordinem Senatorium, ægre ferentem, quod opera tanti Collegæ, tanti Viri prudentia, tam candidi Reipublicæ Atlantis labore deſtituatur. Luget Civitas, quod in MOLLERO Patrem amiſerit, Palinurum perdiderit, quo è navi ſublato metuit, ne ventis ea debeat ludibrium, aut illiſa ſcopulis frangatur, fractaque & merſa fluctibus fatales aquas hauriat. Quintus Metellus Macedonius, mortem Scipionis Africani accipiens alta voce, mœſtoque vultu per urbem lamentabatur: concurrite, concurrite Cives, mœnia civitatis veſtræ everſa ſunt. Eandem querelam repetere mihi videtur populi Hamburgenſis pars haut exigua, expendens, hunc Virum muri inſtar habuiſſe, qui acutis conſiliis hoſtiles inſidias elideret & eluderet, incolas conſiliorum præſidio tegeret & publicæ rei tranquillitatem & otium præſtaret. Muſæ cupreſſinas circumferunt frondes, alumnis ſuis querulos elegos imperant, & Præſidem ſibi mortis violentia ereptum dolent. Domus, videns, quantum intertrimenti ex hoc obitu ad ſe redundet, diem hunc deflet infauſtum

ſtum & luctuoſum, multisque lachrymarum fontibus deplorandum, multis, inquiens, hæc fatalis neceſſitas accidit flebilis, ſed nulli flebilior, quam mihi. Verum enimverò, quid planctus? Quid lamentationes? Quid lachrymæ? Alterum Patrem patriæ Marium è medio ſublatum ingemiſcis, Curia? Genæ tuæ madent, optima Civium Corona, quod columna urbis corruerit? Queſtum vobis indicunt funera MOLLERIANA, lugubres Muſarum cultores? ſingultus eructas, iiſque aera adimples ob amiſſam familiæ ancoram, domus pullata? Nolite flere! quicquid calamitatis, quicquid duræ ſortis, quicquid mœroris hæc attulerint fata, cœleſti providentia, divinæque voluntati non reluctatur, ac proinde non eſt, quod dubitemus in rem noſtram fore, quandoquidem fecit, fierique permiſit, ipſa qui Bonitas eſt, Vobiſque cupit optimè. Si dicendum, quod res eſt, immortales DEO debentur gratiæ, quod tanto bono tamdiu frui Vobis licuerit. Ad beatorum concilium piè defunctus ipſe tandem aliquando adſpiravit, anhelavitque, ut ſummus rerum ac vitæ Arbiter moleſtiarum vincula laxaret, animamque corporis ergaſtulo emitteret, quandoquidem inter catenatas miſerias hic perpetuo ſudandum, & Homero teſte, οὐδὲν ἀχνυότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο, id eſt, terra nihil nutrit imbecillius homine. Voto igitur ſuo potitus degit jam inter choros æternùm triumphantes, ubi nulla terrent malorum agmina, nulli cura-

rum ſtimuli ſpinæque urunt, nulla periculorum moles premit, quaſſat, lacerat. Inter brachia Salvatoris ſui placide quieſcit, & cum plauſu ingeminat:

Ad portum veni, ſpes & fortuna valete!

Hoc noſtrum eſt, ut beatiſſimis manibus ſuum decus rependamus, æternaque ſtruamus monumenta. Verum hic ex tumulo Noſter exclamare videtur illa Tiberiana: Statuas mihi neq; aureas, neq; argenteas fieri unquam ſinite; bene vivendo enim & bene faciendo alias mihi ſtatuas in ipſis hominum animis, nulli interitui obnoxias effeci. Hæc mihi in animis veſtris templa; hæ pulcherrimæ effigies & menſuræ. *Memoria* igitur *meritorum* ipſius perpetuò nobis ob oculos verſetur, & mentibus noſtris inſculpatur, ut eorum ſemper memores habeamus, quod imitemur, quod poſteris commendemus. Interim exuvias Tuas decenti ſepulturâ terræ, unde deſumtæ, reddimus, & rectius Sepulchro Tuo, quod Nævii tumulo inſcriptum fuiſſe memorat Gellius, inſcribimus:

Mortales immortales flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camenæ Conſulem beatum.

Eidem meritiſſimo Conſuli parentavit Summe Rev. D. Jo. FRIDERICUS MAYERUS, Theologus celeberrimus Oratione dicta publice in Gymnaſio Hamb. die XV. N. A. MDCLXXXVII. Ad quam audiendam programma invitatorium ab eodem in lucem editum eſt, ſed in quo erudito licet, nihil de vita Beati Viri extat, itaque illud in præſenti loco omiſi.

PRO

PROGRAMMA
In Funere,
Magnifici, Nobilisſimi, Amplisſimi
& Conſultisſimi
VIRI
D. HENR. MEURERI,
J. U. L.
& Reip. Hamburg. CONSULIS
Optime meriti,
Scriptum
Nomine Profeſſorii Collegii
ab
EBERHARDO ANCKELMANN.
Ling. Hebr. P. P. & p. t. Rectore.
Exequiali die XXI. Julii. cIↃ IↃC xc.

HAMBURGI.
Typis Viduæ Georgii Rebenlini.

יץ

Multis atque variis humana omnia casibus esse, & mutationibus obnoxia, haud facile quisquam dabitur qui ignoret, multo minus qui negare ausit. Verum ea tamen esse vel securitas mortalium potest vel stupiditas, minus ut in mente inveniat id, quo mens ipsa tangi non parum consvevit, afficique. תבל הטוב שבו מזוג על כן נקרא עיר ההרס: *Optimum quod est in mundo, est mixtum, idcirco vocatur urbs destructionis*, non inscite quidem sane dixisse videntur Hebræi. Quippe mixta dulcibus amara sunt, & sine incommodo commodum non existit ullum. In amore, atque amicitia ipsa, inesse possunt mala, possunt rixæ atque odium. *Etiam ex risu dolet animus, & tandem lætitia fit moeror* (a) Mixtas tamen incolæ terrarum cogitationes ægre aut suscipimus aut in iis cupimꝰ versari. Cum secundæ res sunt maxime, meditari res adversas negligimꝰ. Scilicet animū vix meditatione & ratione corroborare volumꝰ. Certe enim *præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longe ante videris.* (b) Et quid non in cogitationes has inducere intellectum potest? Quid, si obvenientem felicitatem vitrum aliquod elegans & pretiosum esse, dono nobis datum, arbitremur? יומא חד בכסא דמוקרא ולמהר ליתבר: *Poculi (vitrei) pretiosi*

a) Prov. XIV. 13.

b) Cic. Tusc. Quæst. lib. III. p. 114.

usus

uſus eſt unius diei, & cras confringitur, occlamant hic ſapientiores Judæorum (c) Interim diffiteri haudquaquam poſſumus, prius dictum multo nobis & amplius & gravius videri. Eandem enim illam cogitationem & nobiliſſimus quondam Aſiæ Præfectus ſeſe decere exiſtimabat, eandemque ſibi fatebatur non mediocrem conſolationem attuliſſe, ipſeque adeo iis, quæ Ciceroni viro Conſulari, ſcribebat (d) uberius hanc ſententiam expoſuit, & illuſtriorem reddidit. *Ex Aſia* inquit, *rediens cum ab Ægina Megaram verſus navigaſſem, cœpi regiones circumcirca proſpicere: Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræeus, ſiniſtra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, quum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Viſne tute, ServI, cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum.* Idem explicatius etiam agit, & pluribus proſequitur in Epiſtola quadam *Seneca* (e) *& Nulla res magna*, ait, *non aliquod habebit ruinæ ſuæ ſpatium - - Frequenter nobis nunciati ſunt totarum urbium interitus: & nos, inter quos frequenter iſta nunciantur, quota pars omnium ſumus?* Pergit: *Omnium iſtarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, veſtigia quoque tempus eradet.*

c) Berach fol. 28. col. 1.
d) Epiſt. lib IV. Ep. 5.
e) Epiſt. 91. pag. 758. 760.

det. Non vides, quemadmodum in Achaja clariſſimarum urbium jam fundamenta conſumta ſint: nec quicquam exſtet, ex quo appareat, illas ſaltem fuiſſe? Non tantum manufacta labuntur, non tantum humana arte atque induſtria poſita vertit dies. Juga montium diffluunt, tota deſedere regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul a conſpectu maris ſtabant. Enumerare omnes fatorum vias longum eſt. Non incommode ergo & mundus, & optimum quodque in terrarum orbe, *vocari poteſt urbs deſtructionis.* Nam ita vocem נקרא vertendum arbitror. Neque enim Ieſ. XIX. (f) pretioſum quodvis in orbe עיר ההרס nuncupatur, neque ita cœpit eas voces vel Chaldæus vel Abarbanel, vel alius quispiam, quod ſciam, judaicorum interpretum explicare. Quam vero ob cauſam res quasvis cum urbe diruenda comparare Ebræus voluerit, forte parum conſtitiſſet, vel ad ineptias judaicas, ut alias, pertinere foret creditum, niſi re inſigniori alterum explanari Seneca tradidiſſet. Quid enim conficere homo extantius poteſt, aut præclarius, quam naturam æmulantes fabricare colles montesve, quibus certas terarum partes pro arbitrio includat, atque muniat. Inter miracula mundi hujuscemodi opus aliquando numeratum fuit. Sed quo majori mœnia ornamento eſſe civitati ſolent, eo magis eadem ſplendorem illius imminuunt & obfuſcant, quando corruerunt, aut cum ſunt disjecta. Quæſitum eſt olim, num expe-

diat,

f) Verſ. 18.

diat, urbes muris circumdari, mœnibusque communiri. Et Ageſilaus quidem cives armatos Spartæ, mœnia dicebat eſſe, neque enim mœnibus eam carere tum putabat. Felices eos judicabat Hippocrates, qui cogitarent, viros eſſe regionum præſidia, non turres, aut lapidea mœnia; quod idem ſenſit etiam *Ludovicus* ille Thuringiæ Landgravius. g) Etenim fruſtra ſunt ſaxea civitatis mœnia, niſi viros capiant, qui conſiliis animisque ſuis impetus hoſtium retardare & repellere valeant. Rectius, quam muri jerichuntis, contra hoſtes jardenis pugnaverunt aquæ, h) quæ dicuntur fuiſſe חומה murus Iſraelitis. i) Et David cum armatis ſuis חומה murus fuiſſe fertur hominibus in campo. k) Hujusmodo etiam Murum divinitus urbi noſtræ datum CONSULEM MEURERUM, & utilem nobis inſigniter eſſe facile cognoſcebamus, impenſeque de hoc lætabamur. Nihil enim quicquam erat quod non ſperare nos juberet, MEURERUM ipſa RE MURUM extiturum talem huic urbi eſſe, qualis fuit. Fallor? an id ipſum Nomen VIRI jam portendit? At vero Ipſius auctoritas & merita majora erant, quam ut inde acceſſere ipſius laudes neceſſe eſſet. Jam idem nobis accidit, quod iis,

g) Uti legere eſt apud Mich. Piccart. decad. 3. Obſerv. hiſtor. c. 2. conf. Salmuth. ad Pancirollum part. 1. pag. 110. 111.

h.) Joſ. III. 16.

i) Exod. XIV. 22.

k) 1. Sam. XXV. 16.

qui in pretium ædis alicujus inquirunt, poſtquam incendio abſumta eſt, de qua antea minus ſolliciti fuerant. Perinde enim nos nunc æſtimare damnum noſtrum ſcrupuloſius occipimus. Diuturnum nobis hunc murum fore, anni ac ætas VIRI ſpondebant. Jam ipſum nomen *mœnium* nobis non ſatis tutum creditur fuiſſe, & חמות *muri* videntur denotaſſe חמות *mortem* MEURERI CONSULIS. Si præſertim Maſoretharum obſervationes & Cabbaliſtarum argutias ſectari aut æmulari fas eſt, exigua lineolæ ח divulſio, quæ in ה illud mutet, tridui etiam morbum, vitam MEURERI abrumpentem, nobis ante oculos poſuiſſe videtur. Jam ipſum denique nomen MEURERUS, MURE RUES clamare viſum eſt. Antea gaudio pleni ad hæc non attendebamus: nunc ſive has ſpecies ægritudo, ſive divinatio Nominis præſagientis accerſit. Neque tantum urbis mœnia, ſed & parietes ædium noſtrarum quotidie in memoriam revocare humanarum rerum fragilitatem, &, proh! cladem etiam noſtram pergunt. Mortuos deflere olim Chriſtianos vetuit Div. *Cyprianus*, affirmavitque DEUM pluribus revelationibus idipſum ſibi injunxiſſe. l) Non ipſum B. MEURERUM, ſed ſua damna civitas noſtra jam deplorat. In quo, quam antea, Beatior Ipſe ſane jam nunc eſt, qui prius tranquillitatem nobis laboribus & moleſtiis ſuis procuraverit, nunc luctus etiam noſtri plane ſit

l) lib de mortalitate p. 163. edit. Brem. 1689.

sit expers. Quod si, qui bonis literis honos MEURERO CONSULE steterit, enarrare, paucis celebrare aut ingrederemur, angustis nimis limitibus Ipsius Merita includeremus: aut simul, quam beata Respublica nostra, sed & quæ literatorum omnium fuerit, ac nostra quoque felicitas, exponendum foret. Unus autem qui hoc omne assequi, aut condignis possit modis exprimere? qui luctus & incommodorum causas omnes recensere? Aliquot interim lineas ducere conabimur Vitæ Ejus, ex quibus judicare cuivis integrum sit, qui quantusque Reipublicæ Hamburgensis Consul fuerit MEURERUS; (hei nobis, quod jam semper dicendum est, *fuerit*!

Generatus igitur MEURERUS in hac civitate nostra Anno Christi M DC XLII. d. XI. Octobr. eam habuit nascendi originem atque stirpem, quæ etiam ad dignitatem Ipsius tuendam faciat. Parentem quippe habuit HIERONYMUM MEURERUM, Spectatissimum Prudentissimumque Virum, ad D. Petri juratum, & civitatis nostræ Duodecim-Virum: matrem vero GERTRUDEM, fœminam & pietate & virtutibus ornatissimam, Domui ac Prosapiæ THO WESTEN accensendam. Hi, cum DEO Filium consecrassent, atque HENRICI nomen ei imposuissent, literis eundem commode innutriendum esse censuerunt. Neque tantum privatos habuit studiorum formatores, sed publicos etiam egregiæ indolis ac

spei

ipei Adoleſcens elegit Præceptores. Frequentare ergo Scholam Hamburgenſem, & Athenæi quoque, quod Stadæ eſt, Auditor eſſe cœpit. Neque tardum aliquid aut lentum in ingenio ipſius deprehenſum fuit. Namque jam tum Anno M DC LXI. d. 16. Octobr. discedens in Academiam Gieſſenſem, ibique per triennium commoratus Magnificum quondam ac Celeberrimum Cancellarium DN. TABOREM ſibi Doctorem, atque ad imitandum, non ſine ingenti fructu delegit. Deinde Argentoratum profectus Anno M DC LXV. ibidem menſe Martio dignitate Licentiati Jur. Utr. fuit adauctus. Non mirum igitur nobis videri debet, ſi is, qui omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocaverat, literas deinde coluit ac adamavit. Ubi quid eſſet, quod diſci poſſet, eo veniendum judicabit. Hinc Germaniam, Galliam, Italiam, Belgium, aliasque terras peragrare, Spiræ etiam per aliquot tempus vivere & ſubſiſtere voluit. Tandem patriæ ſe natum eſſe reputans, illam Anno M DC LXVII. repetiit. An. Chriſti M DC LXX. d. 18. Aqril. nuptias celebravit cum Virgine lectiſſima, omnique hunc ſexum ornante virtute inſtructiſſima, ANNA MARIA LANGENBECIA, Filia Dn. GARLEVI LANGENBECII, Nobiliſſimi quondam atque Prudentiſſimi hujus urbis Senatoris, ex qua unum genuit Filium, quem divinum Numen per complures annos ſuperſtitem jubeat eſſe! Et cum ita

ſem-

ſemper animatus fuiſſet, ut non ſibi, ſed Reipublicæ ſe credidiſſet eſſe natum, Anno M DC LXXII. poſt Matthiæ ſacrum diem Aſſeſſor judicii inferioris eſt deſignatus, & paulo poſt, die quippe 27. Maji ejusdem Anni Ampliſſimo Senatorum Ordini adſcriptus. Qualis ipſe Senator, quaque animi præſentia, & qua conſtantia fuerit, vel tum oculis noſtris oſtendit, cum è naviculariorum ſeditionem molientium turba, ante ipſam curiam, aliquem ſuis manibus animoſe arripuit, atque ita cæteros omnes a facinore deterruit ſceleſto. Conjuge Chariſſima orbatus, atque de novis nuptiis cogitans, Anno M DC LXXIV. d. 18. Maji in matrimonium accepit Virginem, & animi & corporis dotibus eximiam, ANNAM CÆCILIAM KENTZLERIAM, B. DN. PETRI KENTZLERI, Spectatiſſimi ac Prudentiſſimi ad D. Catharinæ jurati & XII-Viri Gnatam, viduam vero multo jam luctu ac mœrore oppletam. Ex hoc conjugio duos filios, duasque filias ſuſcepit, quarum una in cæleſtia commigrans habitacula B. Parentem jamdum præceſſit, At vero Ipſe variis æque laboribus ac Amplisſimis muneribus obeundis aptus Anno Chr. M DC LXXV. Mulhuſium ad Conventum Circuli inferioris Saxonici fuit ablegatus. Sed & Anno M DC LXXVI. Legati partibus Ipſi demandatis, in SERENISS. PRINCIPIS DN. GEORGII WILHELMI aulam ſe recepit, qui honos poſtea quoque ſæpius Ipſi delatus eſt. Eodemque illo anno Prætor

tor deſignatus, occaſionem nactus eſt demonſtrandi mirificam vim illam ingenii, ſcientiam, Prudentiam, & laborum tolerantiam pæne incredibilem. Quippe intra breve temporis ſpatium plurimas cauſas Ipſum & cognoſcere & dijudicare potuiſſe, magna laude ferebatur. Unde Anno M DC LXXVIII. vota omnium Noviomagenſibus tranſactionibus eum deſtinabant. Eo igitur a Civitate hac ablegatus tunc quidem fuit. Verum tantum reliquerat ſui deſiderium, ut abſens etiam ſolenniter An. M DC LXXVIII. d, Aug. 10. CONSUL renunciaretur. Interim tamen non multo poſt Noviomago ad Præpotentes Fœderati Belgii Ordines Legatione functus fuit. Huc reverſus Anno M DC XXIX. ita Conſulatum ſuſcepit, atque hunc Titulum ſuſtinuit, vere Patriæ CONSUL ut dicendus fuerit. Conſilia de incolumitate Reipubiicæ mentem ſuam perpetuo agitare debere ratus, maluit ſaluti eam ſuæ ſemper anteponere, & noviſſimæ etiam Civium Congregationi ad d. 10. Jul. intereſſe, eaque quæ proponerentur una ponderare. Scilicet decorum eſſe arbitrabatur, Conſulem Reipublicæ conſulentem mori. Inde cum dolores aggraveſcerent, domum rediens gravi ardenti febre ſeſe ſenſit corripi, viresque corporis ſubito proſterni. IPſe finem inſtare conjiciebat hujus vitæ & moleſtiarum ſplendidarum, ad exitum ſe accinxit, cæleſtibusque ac divinis totus meditationibus vacavit. Ad quietas tandem

&

& patrias ſedes Conſulem optime merentem transferre DEUS voluit, atque ex hac vita prærerita die Lunæ, quæ erat Julii 14. circa horam diei undecimam placidum, & Divinæ voluntati penitus acquieſcentem, inter ſuſpiria circumſtantium, evocâre, poſtquam annos exegerat XLVII. atque menſes 10. adjectis inſuper tribus diebus. Magnam quidem noſtræ Civitati perturbationem hic obitus attulit; ſed & ſpes nos magna tenet, MEURERI famam MEURERORUM Filios excitaturam eſſe ad propagandam Paternam Gloriam, ad intuendos inclytos Majores WOLFGANGUM MEURERUM Conſulem, JOHANNEM CHRISTOPHORUM MEURERUM Syndicum, JACOBUM MEURERUM Senatorem. Comitabuntur funus omnes, qui Ejus merita penſitant, quando ad futurum Lunæ, hoc eſt 21. Jul. diem, corpus ſolenni pompa in æde D. Nicolai humandum erit. Ea enim ejusmodi ſunt, ut noſtram invitationem minus exigant: ipſa hoc officium, hanc pietatem poſtulant, flagitant, impetrant.

VIRI

VIRI
ILLUSTRIS atque MAGNIFICI DOMINI
JOH. SCHULTENI,
Juris Consulti & Hamburgensis Reipublicæ
CONSULIS SENIORIS
ELOGIUM
Scriptum â
JO. FRID. MAYERO, Doctore & Professore Theologo.

HAMBURGI,
Literis NICOLAI SPIRINGII,
Anno M DC XCVII.

ILLUSTRES

Illustres Meritis & Dignitate Publicæ VIRI,

OMNIUM ORDINUM AUDITORES HONORATISSIMI.

SAtis quidem mihi de Orationis meæ exordio argumentoque constat, quod in summa mentis confusione, quæ in præsenti me premit, quam pertinacissime teneo.

Scilicet Vos, jacturam recensendo quam passi estis, omni mentis contentione annitar, vel vocare in luctum, vel lugentibus jam & mœrore dejectis collugere, in querelas præire publicas, pietatemque vestram obtestari, ut merita ab oblivione asserat, cultuque donet æterno. At, utrum, aut quo successu huic sermoni finem sim inventurus, ipse ingenue fateor, *Patres Conscripti*, hæreo ambiguus. Octavus supra vigesimum dies est, cum CONSULEM SENIOREM JOANNEM SCHULTENIUM, ingentibus Virum Meritis, Senatus Populusque Hamburgensis amisit ex caduca Consulis Dignitate ad regia diademata sceptraque cœlestia translatum. In quo tantum amisimus, quantum Reipublicæ Saluti sufficiebat, & boni omnes tantum dolent, in quantum humani animi dolor potest intelligi. Certe quocunque aciem oculorum dirigo, quo mitto mentem,

novum ſtatim ſe mœroris argumentum objicit, & me ita confundit, ut cui primas inter lugentes adſignem partes, cujus ſuſpiria prius excipiam, negligam alterius, quam cladem potiorem dicam, prorſus non aſſequar.

Solvitur in lachrymas, imo diffluit, Sanctiſſima Matrona, Conjux raro prorſus divinæ benedictionis exemplo dimidio prope, biennium ſi excludas, Seculo, Conjux fidiſſima, Marito Incomparabili, felicitatis omnis quæ uxorem ornare poterat compendio abſolutiſſimo, nunc vivis erepto,

Dejecti in terram Ampliſſimorum Liberorum oculi animique, & ex terræ faucibus indulgentiſſimum petunt, repetunt Patrem.

Atque Nepotum, Pronepotũ tenerrimæ voces Avum Proavũ inter maximos ploratus clamant, vocant, ſed fruſtra. Neceſſitudines etiam maximas, quæ ſplendorem ſuum â SCHULTENII fulgore acceperant mutuo, jam ſqualor occupat, & tenebras plus quam ferales quiritantur. Lugent Patres Reipublicæ Partem Sui ac Ornamentum ſingulare, Seniorem maxime Venerabilem. Venerandi & diſertiſſimi voluntatis divinæ internuncii atque interpretes ſui Ordinis & Sacrorum Præſidium. Deflent Jura Civitatis Patronum, Juſtitia Vindicem, Cives Patrem: & quid multa? Patria qua patet noſtra, Pignus ſuum cœleſte, quo Salus Reipublicæ aſſerebatur, ablatum communi & conſternato protinus ore loquitur.

Dabitis

Dabitis hoc mihi Hamburgenſi ſanguine natí, ut in Patriæ Vobiscum communionem veniam, alio quamvis incaluerim cœlo. Lipſiæ meæ, cui æternum bene ſit! primam debeo auram, tanta tamen indulgentia cum me alat meisque proſpicia commodis Hamburgum, atque omnes benigniſſimæ matris expleat partes, tantam cum de me conceperit ſpem, foverit fiduciam, foveatque in hunc usque diem, ut ſacratiſſimis ſuis me propius admoverit curis, æternasque ſuas felicitates meis quoque excubiis crediderit, non poſſum non, inter non deſinentia omnigenæ ſalutis vota Hamburgenſis filii affectare honorem, ambire dignitatem, prenſare gradum. Voti mei damnatus, ceu totus confido, intelligitis credo, qui me dicentem luctus jam opprimat, cum Orphanus, inter Vos Orphanos qui conticetis omnes, ſolus ego Optumi Patris noſtri diſceſſum, noſtramque calamitatem enarrare debeam.

Accedit, cui dolori ferme ſuccumbo, quod ex hoc loco de patre noſtro cogar dicere, ex quo quoties ſermonem olim ingreſſus ſum, in his ſubſelliis Venerandum maxime Senem, vultus humaniſſimâ exornatum gravitate, præſentem habebam, qui facundiam mihi adſpirabat. Quod ſi enim Oratores priſci, ad pulvinaria Deorum aut effigies verba facturi, rapi atque in cœlum ire videbantur: quidni animus meus Vivam Veri Numinis Imaginem & haud poſtremum DEI Vicariorum coram contemplatus,

igne quodam diviniore incaluiſſet ? Verum enim vero, quod abſente SCHULTIO, quod oculis erepto, quod neque nunc neque in poſterum unquam hæc ſua ſubſellia exornaturo, quod fatis functo, de SCHULTIO mortuo, mihi dicendum ſit, hoc vero eſt, quod ad ſilentium me damnat, vocesque omnes faucibus includit. Divine Senex, Conſul maxime Venerabilis, quæ porro dicendi majeſtas Tuis meritis digna, aut iſta exæquare poſſit, non video. Ecquis Tuam in conſiliis inveſtigandis ſagacitatem, ſolertiam in conſtituendis, in temperandis prudentiam, in expediendis animum propoſiti diu multumque deliberati tenaciſſimum, digne ſatis, ac meretur, deprædicet ? Ecquis invidendos auſpicatiſſimorum conſiliorum ſucceſſus, quibus fortuna obtemperabat, ipſumque arridebat Cœlum, meritis mactet elogiis? Quis animum uſibus dicatum publicis, qui nullos pertimeſcebat labores, nulla ſubterfugiebat onera moleſtias horrebat nullas, ex meritis celebret ? Divino hic ingenio, cœleſti opus eſt eloquentia, quorum me utroque deſtitui Vos noviſtis, & ego agnoſco. Arbitros jam Vos volo Auditores, dicite amabo, quid de Orationis meæ exitu ſperare habeam ? Dicam tamen quid in his conſtitutus anguſtiis ceperim Conſilii. Animus eſt beatiſſimi SCHULTII adire manes, & ab illis cum lachrymis rogare veniam, inque apologiæ uſum pietatis allegare nomen, ſi dicendi ego neſcius & ex luctu

etiam

etiam impeditus, qui non meditata oratione, quæ lachrymarum imbre & impetu dolorem ſuum teſtatur, infra ipſorum dicturus ſum merita: De Vobis autem, Auditores, illam citra omnem hæſitationem concipere ſpem, ſolum SCHULTII nomen, quod toties noſtra clamabit oratio, ſufficere, omnem ut Orationi conciliet elegantiam, benevolentiam, & audiendi ſtudium Oratori. Ne excidam ſpe mea, per gratitudinem adverſus immortalia SCHULTII Merita Veſtram domeſticos omnes, Vos exteros per bonitatem Veſtram, qua Reipublicæ Hamburgenſi recte cupitis illiusque curatis ſalutem, eo, quo poſſum ſtudio, rogo, quin imo obteſtor.

In laudes tuas, Hamburgum, ire, quæ ævi præſentis Ornamentum ſingulare JOHANNEM SCHULTENIUM felici partu enixa es, ſuperfluum prorſus & ſupervacaneum eſſe judico, tum quod laudibus Tuis nemo detrahat, ſed extollant palmamque præ reliquis Germaniæ urbibus lubenter largiantur, qui bona Tua intelligunt & æſtimant omnes, tum quod ambigam, quis majori cura, ſollicitudine, dignitatis acceſſione ornaverit alterum, utrum Tu SCHULTIUM jure nativitatis Tuum, an Te SCHULTIUS commune bonum factus, noſter? Tu Ipſi mater eras; multum eſt fateor: atque in hoc præſtat. Filius ille Tibi; magna contuliſti: Tu vero Ipſi Filia maxima ditata dote: id vero majus eſt, Vitam Ille Tibi debet:

at Tu vitam fortunamque Tuam, Hamburgum, per tot lustra SCHULTIO.

Non possum tamen mihi temperare, quin quæ Sanctissimus Senex tenerrimo semper patriam affectu complexus, quando familiarius lateri suo me admoveret, vice plus simplici ex Incomparabilis, & quem nulla silebunt Secula, HUSWEDELII Præceptoris ore in laudem Hamburgi Patriæ suæ modulabatur, referam. Obversatur enim adhuc animo, frons illa exporrecta, os ut suaviter ut distincte promeret, quo in assensum pronus rueret auditor ad ingenium omne compositum, intimioris lætitiæ & exæstuans quasi sensus, qui vocem comitabatur & animabat, mens ut DEUS propriam hanc Patriæ juberet esse felicitatem ignea. Sed quid Vos moror? Ita laudes Patriæ prædicabat Senex Sanctissimus:

Si Venetam spectes mediis in fluctibus urbem:
Hamburgum mediis æmula surgit aquis.
Mœnibus ambitur decorata Antvverpia celsis:
Gambriviis par laus mœnibus inde venit.
Amstelodamum, quam dives Pontus inundat,
Vidimus; Hamburgum Pontus Humusque beat.
Urbem ô felicem! Quod si Concordia regnat,
Dicam præferri jam Tibi nulla potest.

Addebat lætus quæ Germaniæ Philomela Greflingerus versibus cecinerat vernaculis:

Zeigt

Zeigt der Venedger Stadt ſich mitten in den Wellen/
Hamburg wird gleicher Weiſ' ſich dir vor Augen ſtellen.
Liegt Antorff wohl umbwällt/und trägt der Veſtung Lob/
So liegt es Hamburg gleich / doch Hamburg niemahls ob.
Vergüldt ſich Amſterdam mit des Neptunus Reich/
Hamburg hat des Neptuns und Ceres Reich zugleich.
O viel-beglückte Stadt! behältſt Du Einigkeit/
So nehnt man Dich mit Recht die Schönſte dieſer Zeit.

Neſcio ad hæc verba Enthuſiasmo utrum corripiar Poetico, quod cum vena mihi dudum exaruerit, tam repente Poeta prodeam, & Spiritus meus pietate verſus Hamburgum accenſus ad ſequentes mea verba liget numeros:

Digna cedro felix ſcripſiſti carmina Vates.
O ſi firmaret cœlitus illa DEUS!
Nam ſi Gambriviis Concordia regnat in agris,
Quemlibet in partes cernis abire tuas.

Du Dichter redeſt recht! ich rühme deine Triebe?
Und ſeufftze: daß doch GOtt {den Frieden / das Amen} unterſchriebe!
Denn wenn die Einigkeit in Hamburg herrſchen kan
So nimt die gantze Welt dein kluges Urtheil an.

Acceſſit autem ad felicitatis Hamburgenſis cumulum, quod Anno agonizantis jam Seculi vigeſimo primo JCtorum fœcundiſſimi matre: ſufficiat unum inſtar plurium nominaſſe, cum innumerorum eruditionem complexus fuerit, imo ſuperaverit, *Caſparem Zieglerum* Immortalem Virum, quem eodem anno Lipſia in lucem, ceu Hamburgum SCHULTIUM edidit. Honeſtiſſimæ familiæ, cui ortum debet, Vos omnes rectius meminiſtis, quam ut ego opus habeam ex eo fonte derivare laudes. Tam late enim SCHULTIORUM & illuſtris *Wolveriorum* & *Von der Fechte* Gentes patent, ut Brabantia harum adſurgat meritis, Orbis autem eruditus illas mori prohibeat, iſtas vero inter nos ignorare extranei, diſſimulare improbi ſit. Sufficiat paterna maternaque proſapia ad Eum confluxiſſe, quidquid Civibus amabile & ſalutare hac ætate viſum, quicquid Hamburgi fata aut rexit aut illuſtravit. Quis *Albertum* Patrem, Tribunum Reipublicæ exquiſitiſſimorum meritorum, Magni illius & ſemper victuri Joannis JCti & Senatoris primarii filium ignorat? Hujus ope, cura, ſollicitudine, in partem adſumtis *Johanne To Weſten*, *Henningo Groten*, *Joachimo Beckmanno* Eccleſiaſticæ Sanctioni oblivione fere ſepultæ, & vita & honos rediit.

Neque vero nititur hic noſter Majorum Meritis, qui in ipſis cunis præclara minitabatur, u virtutum Ejus ſplendor lucem afferre potuiſſe productoribus vel obſcuriſſimis: ut nunquan

puer,

puer, ſemper Conſul fuerit, fuerit inquam, & ſe eſſe neſciverit.

Adultior factus, Parentum & Majorum laudatiſſimum exemplum in conſuetudinem diſciplinamq; convertebar, ut quæcunque illi pulcherrima facerent, ea continuo tranſiret, & ad majora ſemper feſtinaret, expectationē pariter & judicia hominum tranſcenderet. Tanta autem contentione animi & ingenii divinitate, qua Hamburgum ejusmodi feraciſſimam Matrem eſſe valdè comprobabat, omnes quæ ad humanitatem artes ſpectant, in Scholâ Johanneâ benedicta illa pietatis & ſolidæ eruditionis officinâ conſectabatur, ut appareret ſtatim, Juſtitiam ſibi os præparare, per quod deinceps eſſet locutura: Patriæ Saluti Hunc conceſſum cœlitus, ut eam Magnus Senator aliquando & luculentiſſimè produceret, & conſtantiſſimè aſſereret. Nec deſiſtebat in Illuſtri Gymnaſio, æterno Urbis Ornamento, ſufficientiſſimum illud quod animo deſtinarat, doctrinarum inſtrumentum parare. Duces habebat ad eruditionem inſignes, Viros heu quantos! *Bernhardum Vagetium*, *Wehrenbergium*, *Tattium*, atque Seculi ſui Ariſtotelem *Jungium*, eo tantum ſe aptiorem fore cæteris confidens, quo magis clariſſimarum Artium & Virtutum comitatu ſtipatus eſſet, & firmo ſatis pede confirmatoque gradu iret ad Academias. Vitam Academicam ingreſſus non vana eruditionis augendæ fiducia Roſtochium elegit, ut

Magno illi Husvvedelio adhæreret, cujus præceptis eruditus omnique elegantiorum ſtudiorum apparatu inſtructus, Argentinam, dulciſſimam quoque ſtudiorum meorum olim matrem, conceſſit, & per quadriennii moram ab ore Magni *Taborii* pependit: Quo de Viro quidquid dixero, minus erit, quantum rerum, quantum exemplorum, quantum Legum, quantum Antiquitatis ille ſolus tenebat, Juris atque Juſtitiæ Conſultiſſimus, & quidquid ad agendum, & ad cavendum, & ad reſpondendum, & ad judicandum peritiſſimus: viva Juris Bibliotheca, Germaniæ totius Oraculum, & qui veteris ævi Papinianos, Ulpianos, Paulos in ruborem dabat. O felicem Argentinam, cui eodem tempore ab Incomparabili *Tabore* docendo, & à TE, perfectiſſime CULTI, audiendo gloria in Legum ſtudio, famaque ſingularis comparabatur, vindicabatur. Ita enim præibat Ille doctrina & exemplo, ut parem vix habere videretur: ita Tu præeuntem ſequebaris, ut paria cum ipſo facere commilitones Tui crederent. Hinc Baſileam anno quadrageſimo ſexto diſceſſit, & ab Academiæ Anteceſſoribus ad ſuſcipiendam Laureæ Juridicæ præmia invitatus, in certamen laudis plenum ingreſſus, ingenti cum adplauſu Licentiati axiomata conſecutus eſt. Quoniam autem probe noverat, cultiorum gentium inſtituta ac mores tantum ad parandam prudentiam & diſciplinam proficere, quantum rem aliam nullam, conſilium peregrinandi,

grinandi, ut pro ſcholâ peregrino uteretur orbe, capeſſebat, & curioſa indagatione & induſtria annotatione in uſus convertebat ſuos, quidquid ſpeciem admirationis vel fructus in exteris terris præbebat.

Galliam, Europæ, ſi elegantias ſpectes, communem magiſtram petebat. Non una erant, eâ quidem tempeſtate, Aulæ molimina, cum Purpurati Patres habenas regni totius moderarentur, ſuo indulgerent genio, atque nunc hujus ille, nunc illius Principis alter auram captaret ſtudioſiſſimè. Quid ibi noſter? In æmulationes diverſaque ſingulorum ſtudia, tanquam in ſpeculum, fixis intuebatur oculis, quomodo clandeſtina ſerperent odia & quotidianis creſcerent acceſſionibus, quanta poterat animi attentione ſcrutabatur, nec mediorum abjiciebat curam, quæ tantis tempeſtatibus ſedandis paria non niſi experientia magiſtrâ potuiſſet edoceri. Nihil infauſtis motibus componendis medelæ parabatur, quin Noſter illud cognitum haberet exploratiſſimè. Pari ſedulitate luſtrabat Belgium, ut quantum â libertate differret licentia, & quid libertatis ſuæ amantiſſimos tenaciſſimosque in officio contineret, præſens addiſceret.

Sed jam exoptatum illud tempus illuceſcit, quo Tibi, Patria dilectiſſima, integrum eſt, Tuum Decus atque Incrementum, exteris per ſeptem & quod excurrit annos concreditum, in ſinum recipere, amplexari, & tanta fovere benevolen-

nevolentia, ut deliciarum ab exteris promiſſarum immemor ſe totum perpetuo Tuis conſecret ac mancipet uſibus. Igniculos deſiderii, quo abſentem proſecuta es flagrantiſſime, non poteſt reducis præſentia non augere. Redit enim Civium Tuorum quoddam veluti Sidus ac Delicium: redit ſtrenuus laudum Tuarum amplificator: redit artibus Tuæ libertati profuturis inſtructiſſimus: redit commune omnium, quos unquam inviſit, inviſit autem quamplurimos, deſiderium: redit ne triſtiſſimis quidem temporibus ſuo Te Conſilio deſtituturus. Salve! Salve! SCHULTI multum deſiderate, & amplexibus Patriæ ad multos annos, ad multos annos feliciter fruere! Sed divinæ mentis impetum nullæ deliciæ, conſuetudines nullæ ſiſtere poterant. Cum enim omnes eo nervos intenderet, conſummatiſſimi Jureconſulti inſtar Patriæ ut daret, & modum quo in ſanctiſſimo & ſummarum Provocationum Collegio, Spiræ tunc florente, cauſæ perorarentur, deciderentur, ſcire penitus deſideraret, Patriâ ad Tribunalis Sacra ſtatim exiit.

Atque hoc ſubſidio auctus Patriam repetiit, hic vero neceſſariorum vota, preces, non cingebant modo, ſed conſtringebant Beatiſſimum, familiam ut conderet, regeretque, & Reipublicæ gubernandæ in ipſo matrimonio ederet ſpecimen. Annuebat votis Noſter, & fœderis perſancti, dabat fidem, cum in adultam æſtatem iret annus inſtauratæ Salutis milleſimus

simus sexcentesimus quadragesimus nonus, Nobilissimæ Virgini, ELISABETHÆ REINSTORPIÆ, Matronæ nunc Sanctissimæ, cujus summam admirabilemque sanctimoniam, integram adversus maritum fidem, rei familiaris peritiam, ad levandas mariti curas ingenium, nulla ætas reticebit aut laudare desinet: ex qua tredecim liberorum Pater factus, septem filiorum, filiarum sex. Ex his duo Hieronymi, & Elisabetha, a nativitate statim obierunt: maximum autem sequioris sexus Ornamentum *Sophia*, Juris Consultissimo *Viro Dn L. Reinstorpio* conjugio juncta, inexplicabili Parentis desiderio accensa, biduo a beatissimo Patris discessu memorabili prorsus exemplo Patris vestigia ad Cœlites legit, Illiusque indissolubili in æternum fruitur consortio. Supersunt *Gertruda Burmeisteria*, *Cæcilia Burmeisteria*, *Anna Dorothea Schmidia*, *Catharina Barthelia*, exempla omnium quæ muliebrem sexum ornare possunt absolutissima. Ex Filiis, Consultissimus Vir, ornandæ atque adjuvandæ Patriæ ut & immortalitati gaudioque Patris datus *Dn. L. Albertus*, cui Secretorum suorum curam principem Hamburgum commisit: *Johannes*, Vir omnium elegantiarum, omniumque Bonorum Delicium: *Guntherus Andreas* apud Liburnos etiam Paternum genus servat, Consulisque explet partes: *Joachimus Ernestus* ad vota Patris natus: & *Dn. Gothofredus* Patris Amor, Jurium Licentiatus, multa doctrina omnique virtute Nobi-

lissimus,

liſſimus, qui cum Patrem mira exſcripſerit ſimilitudine, Patrem quoque nobis promittit. Ad Nepotes, Proneptes etiam & Pronepotes, ex thalami ſociis, *Schultia* Gente plane dignis, *Gertrudæ, Eliſabethæ, & Cæciliæ Burmeiſteriæ, Dominis, Johanne Chriſtophoro Kellinghuſen, Henningio Buſchio, & Nicolao Claſen*, Viris, quos Hamburgum amat, colit & principe loco habet, jam ire integrum mihi non eſt. Sufficiat illos omnes divinæ commendaſſe benedictioni.

Sed ad Civem novum SCHULTIUM redeo. In omnium vero Is oculis verſabatur, & Reſpublica Patria anxie expectabat Ejus opem, prima quaqua occaſione ſe Cive ſuo ornatura, quod & felici omine indepta eſt, cum Anno Seculi quinquageſimo octavo ad arcana Reipublicæ excipienda, digerenda, fidem Ejus expoſceret. Gratulor Tibi, Deſideratiſſime SCHULTI, iſtum Patriæ Tuæ affectum, & ut Poſteris idem gratulationis argumentum ſuperſit ſemper, ſerio precor. Date enim, Auditores, me Vobis ut aperiam, liberiusque loquar. Neſcio quid Hamburgum faſcinaverit, ut in conferendis dignitatibus Cives ſuos maximam partem negligat, imo ignoret: maximo autem impetu, cœco planè affectu in extraneos ruat, ut ſat elogii ſit, ſat ad officia virtutum, modo quis non Hamburgenſis ſit: Aut ſi ægre curis ſuis admovit Cives, quam indigne illos habet, quam laborum, ſollicitudinum, curarum immemor, quam iniqua, injuria, in maximè meritos,

ritos, quam ſordent omnia, quod Hamburgenſium ſint, quam ſuſpicionibus plena: cum ex adverſo extraneorum nugas in cœlum usque laudibus extollant. Singulari DEI beneficio Hamburgenſi ſolo hæc contigit felicitas, quod divina utplurimum producat ingenia. (nulla adulatione in aures influo Veſtras, expertus loquor culturæ illorum toties adhibitus.) quæ ſi officiis deſtinarentur, felicitatem illam in omnium diſpenſarent uſus, radiosque latè diffunderent: ſed damnata ad tenebras, oppreſſa, vel pereunt, & capiuntur deſidia, ſubit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo, Taciti ore loquor, & inviſa primo deſidia, poſtremo amatur; vel in exterarum regionum uſus non ſine inſigni ingratitudinis turpitudinisque exprobratione, ſedulo convertunt. Æternum pudeat Hamburgum, prodigioſæ eruditionis Virum, SCHULTII noſtri neceſſarium; Illuſtrem *Johannem de Wowveren* in curia officium aliquod ambientem repuliſſe, quem Magnus Cimbrorum Dux deinde in deliciis habuit, & Cancellarii ornavit dignitate, atque Salutem Ducatuum Wovverio ſe debere ingenuè fuit profeſſus. Æternum doleat Hamburgum, Orbis eruditi Miraculo, quod Roma adorat, & Orbis literatus qua barbarus eſſe deſiit, veneratur, Magno illi *Lucæ Holſtenio* Scholaſticos negaſſe honores, & ex finibus Eccleſiæ Chriſti ejeciſſe. Ægre ferat Poſteritas omnis, Incomparabilem *Huswedelium* Civem ſuum honeſtis con-

conditionibus invitasse, & cum abunde officio satisfaceret, deseruisse, necessaria vitæ subtraxisse subsidia, & misisse nuncium. Sed quo feror! Redibo in viam, si Vobis de Republica & Ecclesia optumè Meritis obfirmatum adversus has adversitates animum fuero apprecatus: hortatus autem Vos fuero, Juvenes, qui Ecclesiæ aut Reipublicæ spondetis operam, tanta animi contentione incumbite studiis, & ita animos præparate, ut si votis Vestris eventus non respondeat, juste quis quærat, Vobis quare non sit posita statua? Est DEUS, cui & Vos curæ eritis.

In divinas autem SCHULTII dotes fascino Hamburgensi nullæ vires erant. Anno etenim sexagesimo octavo præsentis & jam agonizantis Seculi se penitus in sinum Ejus dabat Patria, & Consulares Ipsi tradebat fasces. Atque hoc est illud stadium, quo in, rarissimo exemplo septem amplius lustris SCHULTII Merita, magnis occasionibus instincta, magnis accessionibus cumultata, perpetuis successibus promota, in conspectu Germaniæ, nescio dicam, Europæ? inter bonorum applausus & prudentum admirationem, decurrere. SCHULTIO imprimis acceptum est ferendum, quod Respublica in tristibus spem æque ac animum non abjecerit, sub procellis minus trepidaverit, pressa caput erexerit, magnanimitatis gloriam haud amiserit, ad asserendam dignitatem, à Majoribus partam, eluctata sit & prudentissime & felicissime.

Nihil

Nihil unquam ex publica utilitate convelli patiebatur. Vigilantia Ejus omnium somnos, Ejus labor omnium otium, Illius Industria omnium delicias, Occupatio Illius omnium vacationem defendebat. Fecit demum, expertusque omnia, quæ pro Republica potuit, ac nihil vitandi laboris causa declinavit. Legationes etiam in Angliam ad Protectorem *Cromwellium*, & vice plus simplici ad Potentissimum Danorum Monarcham, & semel quidem Te comite, Consul Præses Eminentissime, Magnifice *Dn. Schaffshausen*, Pater Reipublicæ, literarum Stator & Assertor cum omnigenæ felicitatis voto mihi semper nominande, summa cum dignitate obiit, & necessitudinum inter Reges, Principes ac Rempublicam hanc sanctissimarum conciliator fuit. Ut vero virtute seipsum superavit, ita jam cum felicitate sua compositus ad certamen, quotidianis absolvit incrementis, Consulis exemplum, cui fortuna serviat, ars obsecundet, Cœlum adplaudat, faveat Æternitas.

Dignitatis & publicæ Salutis nervos & artus Pietatem, Prudentiam atque Justitiam arbitrabatur. Ac principio quidem primam & antiquissimam curam in casto sanctoque DEI veri cultu sitam habebat. In illum animum summa omnia cadere sciebat, qui & pietatis solida cognitione, ejusque circumspecto assiduoque exercitio ad res Christianas tuendas feliciter esset excultus, Hinc quid non pro Religionis pu-

ritate audebat, propriæ ſalutis incurius, modo illam ſervaret ? Vos, Vos, teſtes eritis divinæ Veritatis Præcones, Viri admodum Reverendi: teſtabitur univerſus noſter Ordo, quamdiu Religionis non abjiciet curam. A DEO ſemper, ut par eſt, rerum agendarum capiebat primordia, fortunæque ducem DEUM ponebat, a quo Sapientiam conſiliorum gubernatricem, & Patriæ communis ſuæque domus Salutem, puris & ex Chriſti merito innocentibus precibus quotidie rogabat, ſimul ac ſe lux alma Ejus oculis ingerebat, quod idem factitabat membra functione atque curis Reipublicæ delaſſata, quieti compoſiturus. Nec quidquam omittebat eorum, quæ Chriſtiano Homini ad tuendam ejus nominis dignitatem, & ad imbuendum diviniori commercio animum convenire poterant. Liceat hic mihi Sanctum aliquod allegare Nomen, Tuum ſcilicet, Cœleſte Miniſterii Pignus, Summe Venerande DNE. SENIOR. A Tuo enim divino ore totus pendebat CONSUL Noſter: Te & attenti maxime & aſſidui Auditoris feciſſe jacturam, ingenue, quod moris Tui eſt, & non ſine doloris ſenſu fateberis.

Et hic erga DEUM resque divinas amor in SCHULTIO Noſtro ex æquo certabat cum ſingulari in quosvis Charitate. Namque in eo piæ magnificentiæ palmarium ſtatuebat, ut intercederet caſibus, & aliorum occurſeret fortunæ. Neque tam velox Ejus Severitas, quam in

in omnes Bonitas : parvis peccatis veniam, magnis commodabat ſeveritatem ; neque pœna ſemper , ſed ſæpius pœnitentia contentus erat. Domi ſingulos charitate complectebatur ; foris univerſos obſtringebat , ſidera imitando , quæ beneficam ſuam lucem non ita ſecum habent, ut ambitu ſuo plane concludant, ſed in Orbis uſum illam diſpenſent.

A Pietate ergo Ipſius conſiliis ſalubritas, conatibus ſucceſſus, propoſitis concordia, operibus gloria proveniebat : ut adeo per totam Ejus vitam DEI Providentia, momentis omnibus declaraverit , quam arcta ſui familiaritate Conſulis Noſtri fata devinxerit , cujus actiones omnes & propitiis oculis adſpexit, & amica manu gubernavit. Prudentiam autem cum Juſtitia conjunxerat , non minus eximie quam pie, & Praxi hic opus eſſe putabat. Neque enim in verbis conſiſtit virtus, adeoque doctrinæ fructum recte poſſidebat , quod non ſaperet modo recte, ſed & faceret. Unde & autoritate validus & amore adoptatiſſimus exiſtebat : Cives ſolo verbo felices , quia concordes facere poterat : atque teſtatum in omni actione relinquebat , ſummam Politicæ prudentiæ atque induſtriæ hanc eſſe , ut qui præeſſent , filiis ſe præeſſe credant, & qui parerent , Patribus ſe præſtare obſequium.

Sed tempori & fiduciæ Veſtri favoris dabo, ut aliquanto plura de SCHULTIO Vobis cogitanda relinquam , quam proponam intuenda.

da. Sentio namque contrahi animum, ſermonem pavore præruptum deficere, poſtquam ex tam beata copia rerum geſtarum, earundemque contemplatione in funeſtum, qui tanta nobis, tanta Hamburgo gaudia abrupit, exitum incidimus, quem Ei idem Menſis Martius, qui primum Saluti publicæ dederat, attulit.

Sed non tam morbo, quam ætate fractus Ipſe tot votis meliorem vitam expetens, cum Conſulatum finiiſſet, miſeram mortalemque finiit conditionem, poſtquam diviniori epulo refectus, & formula ſacra expiatus cum DEO in gratiam rediit, atque in æterni gaudii, quietisque venit poſſeſſionem. Defecit dignitate incolumi, florente manſuraque fama, ſatur bonorum, ſatur dierum, ſatur honorum fugientem ſecutorum, ſatur rerum omnium: & quod partem felicitatis ſuæ maximam Chriſtiani merito interpretantur, plenus DEI amore, plenus fiducia, plenus ſpe, quam e Servatoris vulneribus firmiſſimam hauriebat, mortalitatis jugum depoſuit, exitum ex hujus vitæ diverſorio ſortitus piis animi optatis reſpondentem.

Adeſto Reſpublica, adeſto fida huc usque tanti pignoris cuſtos, adeſto, nimiam auxilii atque præſidii é SCHULTIO ſperati, viduitatem deploratura. Adeſte Leges judice ſincero viduatæ! Adeſte Cives, quos Capite intermortuo Orphanos ac animam agentes conſpicor!

Ade-

Adeſte, quotquot vel meritis juſtum ſtatuere precium, vel bona & damna Veſtra æſtimare didiciſtis, Adeſte, ut in lachrymas effuſi jacturam, quam tota fecit Civitas, lamentemini.

Magis deploranda hæc eſſet calamitas, nec modus adhibendus luctui, niſi DEI immortalis indulgentia, Patrumque ſollicitudine Succeſſor SCHULTIO contigiſſet, qui inter prolixas & acerbiſſimas obSCHULTII jacturam lachrymas ab univerſa Civitate votis conceptis expetebatur. Maximum etenim ſolatium eſt, quod Tu, MOLLERE Celeberrime, in hunc locum divino munere ſurrogatus es, qui per tot annos, tot illuſtribus argumentis, eruditionem, prudentiam, dexteritatem & ſingularem plane in judicando vim ita teſtatam feciſti, ut omnes in univerſum Te ament, & Optimi Patris nomen cunctis ſuffragiis decernant. Divinis nunc auſpiciis, Patriæ, quæ una omnes omnium charitates complectitur, procura commoditates, advenientes frange impetus, gliſcentia minue pericula, ut domi pariter atque foris Juſtitia & Pax oſcula ſibi figere intermittant nunquam. Ex alto DEus TE avita induat virtute, ne ulla debiliteris moleſtia, neque oneribus Reipublicæ, quam humeris ſuſtines, ſuccumbas, verum ex arbitrio, quid? quod ſupra illud fluant omnia. Supplicibus præterea votis precibusque calidiſſimis præpotens Numen veneramur, ut reliquos Patriæ Patres, in quorum Salute Salus vertitur Civitatis, LEM-

MERMANNUM, LUTKENIUM & SCHAFSHAUSIUM, Viros meas laudes immortalibus Meritis ſupergreſſos, perennare ac omni felicitate perfrui jubeat, quam cumulatiſſime, quam diutiſſime!

Salve autem DIVINE SENEX, ſalve PERPETUUM CIVITATIS DESIDERIUM, ſalve COLLEGA COELITUM, ad quorum exemplar omnes formaveras mores, quorum patientiam fueras imitatus & aſſecutus virtutes! Salve PORTIO ANGELORUM NOBILISSIMA, quibuscum olim de palma certaſti, utrum Illi, an Tu vero pro Salute noſtra excubares diligentius? Salve MELIORI DIGNUS CIVITATE, qui hanc ut optimam redderes, cum ſalutis & virium jactura ætatem allaboraſti! Salve, æternum ſalve AFFLICTORUM ASYLUM & VINDEX LIBERTATIS, nunc EX OMNIBUS EREPTE AFFLICTIONIBUS, atque COELESTIS LIBERTATIS HÆRES MULTO ACCEPTISSIME! Salve! Salve CIVIUM TUORUM DESIDERIUM, CIVIS COELORUM ADOPTATISSIME, perpetuoque Vale: & ſi mortalium TIBI rerum aliquis ſupereſt ſenſus, hanc pietatem noſtram & gratam & jucundam habeto.

DIXI.

CUR-

CURRICULUM VITÆ
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI CONSULTISSIMIQUE
Dn. JOH. DIETERICI
Schaffshausen /
J. U. D. ET INCL. REIPUBL.
HAMBURG.
CONSULIS PRÆSIDIS
MULTIS NOMINIBUS OPT.
MERITI, MEMORIÆ CONSERVANDÆ ERGO EXHIBET,
ATQUE AD FUNUS EJUS D. XVII. NOVEMBRIS DECENTI COMITATU DEDUCENDUM
NOMINE COLLEGII PROFESSORII
INVITAT
GEORGIUS ELIEZER EDZARDUS,
Gr. L. Atque Hist. Prof. P. & hoc
Anno Rector.

HAMBURGI,
Typis Conradi Neumanni, Senatus Atque
Gymnasii Typogr. Anno clɔ Iɔ XCVII.

SAnctos gentis Iſraeliticæ Majores, Abrahamum Iſaacum & Jacobum, viros non prophetico tantum dono claros, ſed ad familiarius etiam cum DEO colloquium ſæpe admiſſos, fixam tamen nullibi habuiſſe ſedem, ſed vitam omnem peregrinando traduxiſſe, tentoriis pro ædibus fuiſſe uſos, imo nonnunquam ſub dio, lapide etiam pro cervicali poſito, pernoctaſſe, Moſes auctor eſt, Sacræ hiſtoriæ pater, ex eoque gentium Apoſtolos repetit, & divino Spiritu actus multis verborum ponderibus commendat. Septuageſimus quidem & quintus Abrahamo agebatur annus, cum ſupremi Numinis excitatus mandato, patria neglecta, (cui aliquotannis ante, Teracho Lotoque & Sara ſociis valedixerat) Harane Syriæ interamnis urbe diſcederet, illamque peregrinationem ingrederetur, in qua ætatem reliquam exigere fixum mente ſtabat, eaque animi conſtantia decretum, a qua vel tantillum dimoveri viro ſummo per omnem vitam religio non modo erat, ſed & piaculum prorſus videbatur. Ut primum autem hanc vitæ ſortem probaſſet communis credentium Pater, omnemque redeundi in Patrium ſolum (in quod ne filium quidem ſuum reduci patiebatur) affectum exuiſſet, adeo ſtabile ſibi domicilium nusquam delegit, ut alias ſemper ſibi ex aliis ſedes quæreret, terram Canaan non ſemel univerſam emetiretur, quid? in Ægyptum usque famis evandæ ergo concederet, redux autem curſum

ſum, quem ſemel ſuſceperat, alacriter continuaret, nec ante eum quam cum ipſa vita terminandum judicaret. Teſtis ſacer Codex eſt, omni prorſus exceptione major, Venerabilis memoriæ virum, ex quo pedem in promiſſam poſteris ſuis regionem intulit, primam ad quercetum More in Sichemitico agro obtinuiſſe ſtationem, hinc inter Ai & Bethel peregrinatum abiiſſe, mox in auſtralem terræ partem ſe contuliſſe, in Ægyptum commigraſſe, reverſum ex illa priſtinas in meridie interque Ai & Bethel ſedes reviſiſſe, peragrataque Cananæa univerſa tandem prope Hebronem in quercubas Mamre ſubſtitiſſe: totum vero hoc moleſtum ſatis & multiplex iter, temporis ſpatio admodum exiguo, nec elapſo adhuc decennio confeciſſe memoratur. Quamvis autem inter quercus illuſtris herois ſuique confœderati Mamre aliquot annorum moram traxerit Patriarcha, tantum tamen abeſt ut peregrinationis fuerit pertæſus, ut iterum ſe in viam dederit, in tractum Meridiem verſus ſpectantem tertium remeaverit, cumque in ditione Abimelechi prope Gerarem, inque vicina Beerſeba aliquamdiu fuiſſet commoratus, ad extremum in Hebroniticum agrum denuo conceſſerit, ultimum vitæ ſuæ ibidem conſumturus, ubi confectum ſenio corpus condi tandem atque ad meliorem vitam aſſervari volebat. Veſtigiis optimi Parentis gnaviter inſtitit filius & pietate & moribus vere patriſſans Iſaacus, quem

non modo vivo Arahamo per annos pluſculos comitem ſociumque peregrinationis fuiſſe conſtat, ſed & ab eo avulſum prorſus ad exemplum genitoris ſui nunc ad puteum Chai Roi, nunc in Gerar vicinaque valle, nunc in Beerſeba, cumque ſe a vitæ ſuæ termino propius abeſſe perſentiſceret, ad Hebronem ætatis ſuæ tempus reliquum triviſſe, hiſtoria, cui reclamare nefas eſt, facit teſtatiſſimum. Nec Jacobus a Patrio inſtituto vel pedem diſceſſit: quin potius ſuperſtite adhuc Iſaaco, hortatu eorum quorum auctoritatem ſancte venerabatur, ad vicennium in Meſopotamiam abiit, redeuntem Syccoth & haud multo poſt Sichemiticus ager excepit, inde Bethel & vicina turri Eder regio hoſpitium tantisper ei præbuerunt, donec Patri ſuo ad Hebronem jam agenti cum ſuis affectibus & cariſſimis pignoribus iterum jungeretur. Quominus autem hic, Iſaaco haud ita pridem ad cæleſtia translato, conſtans ipſi domicilium daretur, durum utique telum, fames univerſam non modo Cananæam ſed & Ægyptum premens effecit; virumque accedente imprimis exoptatiſſimo de Joſepho nuntio, divinoque in meditatum iter conſenſu, facile permovit, ut ſeque ſuamque familiam omnemque ſupellectilem in Ægyptum transferret, atque extremum ſpiritum ibi ducere conſtitueret, ubi per integra duo ſecula poſteros quoque ſuos hoſpites detentum iri divino oraculo acceperat. Quod ſi jam in cauſſam in qui-

quiramus, quæ trigam hanc Patrum sanctimonia clarissimorum induxerit, ut molestum hoc vitæ genus Patriis laribus relictis non modo quam promtissime in se ad nutum divinum susciperent, sed & nunquam nonsancte & studiosissime sequerentur, suggerit eam Apostolus, verbis quam ponderosissimis monens, ea omnino mente fuisse Patriarchas, ut indubia prorsus fide statuerent, posteris quidem suis terram illam in qua fuerant peregrinati, concessum aliquando in peculium iri ex divina promissione, omnem vero hominum vitam meram peregrinationem esse, nullamque in universo orbe dari sedem, quæ patriæ nomen stabilisque civitatis titulum digne satis tueri queat. Quare nec grave illis videbatur, in tuguriis ætatem degere, nec juxta illa æstimare dubitabant cum vastissimis splendidissimisque Regum atque Principum palatiis, quod (docente iterum Apostolo) solam cælestem Patriam illam esse, quæ perennantis firmæque urbis nomen mereatur, quæ inconcussis nitatur fundamentis, quæ æternum suos alat cives, haberent persuasissimum. Et merito quidem. Sive enim præsentis ævi molestias ad animum rite revoces, habere utique illud cuncta illa deprehendes incommoda, quæ secum ferre peregrinatio solet, sive vitæ humanæ instabilitatem æqua lance trutines, fatendum non minus erit, non minoribus illam vicissitudinibus esse expositam, quam comitari illos solent, qui longum ingressi

ſi iter ſunt, æque autem utriusque vel tandem dari terminum, nec magis hic perpetuam ſperandam manſionem eſſe, quam in diverticulis exſpectare fas eſt, quæ feſſa diurnis ſuccuſſibus membra qualitercunque de nocte refocillant. Sunt qui ante decedant quam naſcantur; & licet aliis in mundi hocce diverſorio brevius aliis longius verſari contingat, æque tamen omnes ſingulis momentis ad abitum accedunt propius, ipſosque etiam longævos priſci temporis Patres vel tandem hoſpitium hocce deſeruiſſe atque aliorſum emigraſſe experientia abunde comprobavit. Neque vero eo ſaltem nomine peregrinationi hæc vita quam eſt ſimillima, quod moleſtiarum ſit pleniſſima, quod turbulentiſſimis tempeſtatibus nos exponat, quod latronum non corpori ſaltem ſed & animæ irreparabile damnum machinantium inſidiis creberrimis nos objiciat, quod fluxa gaudia hoſpitibus ſuis citoque tranſeuntia præbeat; eſt quod ſecluſis omnibus hisce patriæ titulum illi ſummo jure deroget detrahatque. Privat enim nos clementiſſimi Parentis aſpectu, privat triumphantis cœtus conſortio, privat majorum noſtrorum præſentia, privat denique omni illo eoque affluentiſſimo bono, cujus cives ſuos incolasque ſola cæleſtis Patria compotes facit participesque. O felices ergo terque quaterque beatos illos; qui ſuperatis hujus ævi ærumnis, victis ſpiritualium hoſtium incurſibus, confecta quæ nos a divinorum animorum concilio

cilio ſeparabat peregrinatione, in illam quietis & tranquillitatis refertiſſimam patriam, in ſtabilem illam nullisque unquam tempeſtatibus concutiendam civitatem penetrarunt! Superavit, vicit, confecit, penetravit is cui lugubria hæc paramus, Vir Magnificus, Nobiliſſimus, Ampliſſimus Conſultiſſimusque DN. JOHANNES DIETERICUS Schaffshauſen / J. U. D. celeberrimus, & Incl. Reip. Hemb. CONSUL PRÆSES graviſſimus, multisque nominibus optime meritus. Luget merito quidem Ampliſſimus Senatus Præſidem fulgidiſſimum, Respublica Rectorem prudentiſſimum: Familia ſplendidiſſima maritum conjunctiſſimum, Patrem benigniſſimum, germanum & cognatum deſideratiſſimum non luget modo, ſed jure merito effuſius quoque ſubtractum ſibi deflet & dolentius deplorat. Ecquis enim non mœreret caſum Viri tam Illuſtri loco apud nos poſiti, Magiſtratuque per quinque luſtra, & quod excurrit, ſummo autem in Republica noſtra munere per annos ſeptem integros perfuncti? Viri, in quem animi illæ dotes cumulatiſſime confluxerant, quæ non ornant modo, ſed & ad ardua quæque perficienda reddunt inſtructiſſimum? Hujus inquam & ætate quidem media oculis noſtris ſubducti caſum quis non mœreret? At enim modus ſtatuendus luctui eſt, animusque meditatione ineffabilis felicitatis erigendus, qua perfrui datur illis, qui ex hac turba & colluvione inter ferventiſſima ſuſpiria

&

& calidas preces ad beatorum animorum cœtum placida morte transierunt. Abest enim ab illis, quos cœlestis Hierusalem excepit, omnis tristitiæ caussa, abest omnis mœror, grata hic datur omnium quæ vitam hanc turbaverant Catastrophe, lugendique adeo non sua caussa sunt, qui oculis nostris subducti ad beatas transferuntur sedes, sed Ecclesiæ, sed Reipublicæ, sed suorum caussa, omniumque quibus per officiorum partes beneficia ulterius præstare potuissent. Quare lugemus quidem ereptum nobis CONSULEM, sed pie lugemus: quam maxime autem quod nostrarum partium est, discedentem e mundi hujus hospitio prosequi quantum in nobis est annitimur, & vitæ ejus curriculum quasi brevem peractæ peregrinationis narrationem consignando, memoriæ ipsius ut inter posteros quoque qualecunque monumentum exstet allaboramus. Ingressus igitur in hanc vitam, simulque peregrinationem exorsus est anno hujus seculi post quadragesimum tertio, die Martii sexta & vigesima, quæ, Palmarum erat, glorioſissimi Salvatoris nostri in terrenam Hierusalem ad subeundum suarum pro genere humano pasſionum complementum solenni ingressui sacra; quartam inter & quintam matutini temporis horam hac ipsa in civitate, in qua & peregrinationem absolvit, in lucem editus. Natus autem est summo genere, & iis quidem parentibus, quibus ad rectam educationem nec voluntas deerat nec con-

consilium. Pater enim ipsi fuit Vir. Magnif. atque Excellentissimus Dn. NICOLAUS Schaffshausen/ J. U. D. & Serenissimo Duci Saxo-Lauenburgico Dn. JULIO HENRICO a consiliis intimis, a quo & Cancellarii honores obtinuit, urbique Lauenburgo Præses datus fuit longe gravissimus. Matrem habuit ELISABETAM antiqua Wetkeniorum stirpe oriundam, quæ jam olim Consulem urbi nostræ dederat Magnificum Dn. HERMANNUM WETKEN, Virum uti omnibus illis quæ Consulem decent virtutibus illustrem, ita vel maxime eo nomine seræ posteritatis laudibus evehendum, quod eo quo in conservanda puriori fide flagrabat ardore stimulatus, τῶν παρεισάκτων ψευδαδέλφων, quorum partes tum clanculum Joachimus Wermerus Pastor Petrinus agebat, machinas masculè sufflaminando, maximum ab Ecclesia nostra periculum averterit. Noverant optime Amplisimi hi Parentes, non æque omnes sub vitæ terminum in cœlestem patriam admitti, qui in vitæ hujus diversorio hospites exstiterant, sed eos demum, quorum ante in cœlis exstitisset πολίτευμα: noverant probe, solius cæli terræque Imperatoris esse, civitate in regia hac metropoli donare: noverant Sacrum regenerationis fontem unicum illud esse medium, per quod cœli hæredes scribantur, civesque renuncientur. Itaque primum hoc sibi dari negotium quam rectissime etiam statuerunt, ut natus recens filiolus ipso statim qui nativitatem

tem excipiebat die in æde S. Petri a peccatorum ablueretur ſordibus, curaruntque ut JOHANNIS DIETERICI nomen teſſera accepti in ſuperna Hieruſalem Juris eidem adderetur. Cœpta nunc rite hujus vitæ peregrinatio erat: quæ ut caute etiam prudenterque & cum fructu continuaretur, in ipſa adhuc ætate tenera præceptoribus commiſſus puer fuit, qui literarum rudimenta mature inſtillarent; ne hoſpes interrena hacce vita in literis quoque hoſpes permaneret. Datus poſthæc in Scholam Publicam fuit, in qua paucorum annorum ſpatio ita profecit, ut jam tum appareret, ire illum iturumque porro per majorum ſuorum veſtigia, & adultiorem decori illorum haudquaquam eſſe defuturum. Cum vero non in limine Philoſophiæ ſubſiſtere, ſed ad ejus penetralia graſſari conſtituiſſet, ad Gymnaſium quoque Anno 1660. tranſiit, celeberrimisque ejus temporis Profeſſoribus, Gutbirio, Kirſtenio, Mullero, Capello per biennium auditorem ſe ſtitit aſſiduum ſolertiſſimumque. Tandem finito quod in Gymnaſio Patrio ad ſcientiam rerum Philoſophicarum laudabiliter traduxerat biennio, exteros Anno 1663. adiit, utque ante omnia telam quam bene cœperat ſtudiorum porro feliciter pertexeret, in Academiam Juliam ſe contulit. hæſitque ibi per triennium ſolidum, uſus ad penitiorem Jurisprudentiæ (cui ſe mancipare conſtituerat) cognitionem virorum in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimorum fida manudu-

nuductione. Ut tamen ex aliis quoque hortulis, colligeret, quod in rem suam converteret, Germania peragrata Basileam se A. 1666. transtulit, Jurisque cui per quadriennium incubuerat studium ad umbilicum perduxit, decretoria disputatione lauream se in studiorum palæstra promeruisse probans. Ornatus illa est A. 1667. ab Academiæ hujus proceribus, Juris Utriusque Doctor publice solennique ritu renunciatus, omnibusque illis privilegiis auctus, quæ honores hosce titulumque comitari solent. Cæterum hucusque visus sibi NOSTER fuerat domi vixisse, Germaniæ licet insigniores urbes quasdam jam adiisset, restabatque adeo, ut ingens etiam quo æstuabat peregrinandi desiderium, antequam ad suos remearet, aliquantulum restingueret. Ingressus prolixiorem peregrinationem (quam vitæ hujus imaginem supra diximus) eodem adhuc anno est, Galliamque, Italiam, Germaniam reliquam & Belgium invisit; non tabellariorum more eas percurrens, sed justo biennio studiose perlustrans, linguarum etiam exoticarum notitia, (quam partim jam antea sibi comparaverat) in habitum conversa, ut fructus aliquando ex ipso patria caperet uberiores. Quin & Spiræ Nemetum (quæ nunc quidem proh dolor in ruinis jacet, ac illatam bello calamitatem sola melioris conditionis spe solatur, illa vero ætate tum rebus omnibus tum inprimis S. ROMANI IM-

PERII SENATU, cui domicilium præbuit, florebat) aliquamdiu ſubſtitit, utque uſu & experientia comparatum ſibi ſcientiæ præſidium uberius confirmaret, in Illuſtrium Excellentiſſimorumque virorum, quibus juris dicendi tractandique cura commiſſa erat, exempla veluti in ſpeculum attente fuit intuitus. Sic varia eruditione inſignique rerum peritia armatus tandem in Patrium ſolum rediit, ſed ita rediit, ut in ipſa tamen Patria peregrinationem, quam cum ipſis vitæ ſuæ primordiis cœperat, continuare non deſiſteret, & e variis licet prolixioris itineris emerſus periculis, illas tamen quæ vitam hanc crebro comitantur moleſtias ſuperatas a ſe nondum eſſe intelligeret. Eas cum averti omnino & prorſus evitari non poſſe agnoſceret, probe autem ſciret, itineris incommoda fidi comitis præſentia non parum edulcari, vitæ torique indivulſam ſociam ſibi adſcivit & juſtis ſolennibus d. 16. Februar. Anno 1674. junxit Nobiliſſimam Virginem AGATHAM, ex antiqua gente Beckmanniorum progenitam, mariti ſui obitum acerbiſſime nunc ferentem. Convixit enim cum illa ſuaviſſime, & ſedecim ex ea liberos ſuſcepit, quorum tamen e numero gemina nunc ſaltem maſculina quaterna autem fœminina proles cæteris omnibus præmatura morte abreptis ſuperat. Sed & ter avus factus eſt, nepotemque unum neptes autem duas e filia natu maxima ANNA CATHARINA Viro

ro Nobiliſſ. & Conſult. Dn. HENNINGIO LOCHAU J. U. Lic. ante aliquot annos nuptum collocata vidit; licet & hic ternarius liberorum numerus belliſſimi nepotuli obitu ad binarium fuerit contractus. Dignum vero vel maxime etiam ſe Inclyto Patre præſtat filius natu major Dn. NICOLAUS LUCAS Schaffshauſen/ qui non minus animi quam corporis decore valet, & hucusque tam in Patrio Athenæo quam in Academia Julia literis indefeſſo ſtudio incubuit, gloriamque gentis ſuæ a majoribus partam non conſervare modo ſed & augere omni opera annititur. Sed ad CONSULEM noſtrum revertamur. Ut primum is a Germaniæ Amphictyonibus domum redierat, omnium minime (privatam licet adhuc vitam ageret) ingenio ſuo ut lateret convenire judicavit, quin potius jam tum ſtatim prodeſſe aliis cupiens, cauſis agendis tuendisque operam dedit, inque foro verſans nulli ſuum patrocinium, quod frequentes expetebant, unquam denegavit. Apparebat autem ex illis quæ pro clientum ſuorum commodis publice privatimque agebat, eſſe in SCHAFSHAUSIO noſtro non doctrinam modo & ſcientiam multiplicem, ſed & ingenium eminens, raram judicii acrimoniam, vividam generoſæ indolis ſagacitatem, memoriam excellentem, innatam facundiam, animi præſentiam & promtitudinem ſingularem admodum, quicquid denique Virum ad res ſtrenue

agendas præstare solet expeditissimum. Quare cum talem omnino se exhiberet, qui in vitæ hujus peregrinatione aliis cum fructu hodegus præficeretur, dignus utique visus fuit civitatis nostræ Proceribus, qui in partem publicorum laborum a se vocaretur, inque Senatorium ordinem allectus publicæ saluti una secum provideret. Factum id Anno 1677, quo ipso non tantum Senatoris munus ei magno cum Civium applausu fuit collatum, sed & paulo post Præfecti Rutzebuttelensis vices fuerunt demandatæ. Inde vero officia eum exceperunt ex aliis alia. Præturam enim A. 1682. suscepit, gessitque ferme per triennium, & ita gessit, ut in caussis etiam difficillimis decidendis litibusque quibuscunque dirimendis nunquam non expeditissimum sese & exercitatissimum probaverit. Scholarcha factus Anno 1688. est, quo officio licet per biennium tantum fuerit functus, consularibus fascibus eum ad graviora avocantibus, est tamen quod studia nostra de ejus favore sibi gratulentur, curasque quas sua caussa subiit frequentissimas grato semper animo agnoscant atque venerentur. Haud tacendum quoque, non semel tantum sed iterum iterumque eundem Ampliſſimi Senatus decreto legationes salutis publicæ caussa in se suscepisse & obivisse feliciter. Nam & ad pacis, quæ Neomagi post acre bellum ante hosce undeviginti annos sanciri cœpit, tractatus Anno 1678. fuit ablegatus, ibidem-

demque per ſesquiannum quæ e re Patriæ erant ſumma cum fide curavit, & Anno 1685. in aulam Auguſtiſſimi IMP. LEOPOLDI miſſus, cauſſam Reip. per biennium egit: domum autem redux ſubinde legati partes nunc ad Potentiſſimum Daniæ Regem, nunc ad Sereniſſimos Duces Luneburgicos ſuſtinuit. Ac quamvis graviſſima ſemper ipſi committerentur negotia, nunquam tamen rediit, quin ea quæ concredita erant ex voto eſſet exſequutus, & rerum bene geſtarum laudem reportaret. Tandem etiam ſummum in Patria Conſulatus faſtigium d. 22. Julii Anno 1690. adeptus eſt, quaternisque vicibus intra ſeptem hoſce annos Præſidis apicem alternatim tenuit, tanto pluribus negotiis curisque per ſingula momenta circumvallatus, quanto ſublimiori erat ſede conſtitutus locoque. Norunt vel me tacente omnes, CONSULEM noſtrum ita prorſus fuiſſe ἀκοπίαστον & ἀκαταπόνητον, ut parum judicaverit labores non recuſaſſe, ultro eos popoſcerit, imo horas omnes ipſi graviſſimis negociis fuiſſe diſtinctas, ac ſolam ferme laborum mutationem pro quiete fuiſſe. Fugit neminem, omnium facillimos fuiſſe ad ipſum aditus, aures ejus omnibus citra faſtidium patuiſſe, neque tamen, (quod quidem ſummis quoque viris ſæpe uſu venire ſolet) inter tot concatenatos labores difficiliorem redditum fuiſſe unquam aut moroſiorem, nec quicquam de priſtina humanitate

nitate remiſiſſe. Quanta autem prudentia ſuo functus officio fuerit vel inde datur dijudicare, quod inconſiderate quidem nihil egerit, ſi qua autem tempeſtas imminere videretur, animum nec contraxerit nec demiſerit, ſed ea in promtu habuerit remedia, quibus obviam malo iret, matureque illud præverteret. Talem ſe noſter præbuit CONSULEM, cujus laudes ſingulas meritaque hoc loco ut prolixius commemoremus nec opus eſſe arbitramur, cum toti civitati ſint cognita, nec chartæ anguſtia noſtrumve inſtitutum permittunt, Sarcinas ante hoſce duodecim dies colligere, atque e vitæ hujus hoſpitio in cœleſtem Patriam tranſitum parare cœpit, cum binis ante hebdomadibus, quaſi jam tum ut extremis ſuis conſuleret monitus Sanctiſſimo epulo Corporis & Sanguinis Dominici, quod ἐφόδιον τῆς ζωῆς patres dixere, in publica Sanctorum ſynaxi ſeſe inſtruxiſſet. Morbus enim eum d. 5. Novemb. adortus graviſſimus eſt & lethifer, animi omniumque virium ſubita proſtratio, quam & aſthmaticus affectus haud multo poſt excepit, & ſymptomata alia, quæ noviſſimum morbum perſæpe comitari & mortis ſatellites eſſe ſolent. Neque tamen repente avulſus vitæ fuit, ſed minutatim in mortem proceſſit, dulciſſimis gratuitæ per fidem juſtificationis, quæ cor Chriſtianismi & una omnibus ad ſalutem via eſt, ſe ſubinde ſuffulciens. Sic translatus tandem

ad

ad gratam requiem fuit, inque æternum duraturam patriam penetravit d. 10. Novemb. post octavam horam vespertinam placido inter preces suorum & quam maxime Ejus cui animæ suæ curam commiserat obitu solutus, cum sub ipsum ferme extremum halitum suam in Salvatore suo fiduciam integra mente claraque voce iterum esset professus, vitæque cursum per annos quinquaginta quatuor, menses septem & dies quindecim e summi Imperatoris arbitrio confeciſſet. Quod supereſt, dum exanimum corpus, quod discedens reliquit, solennibus exsequiis in conditorium quod in ædibus D. Catharinæ est d. XVII. Novemb. inferetur, Omnes Omnium Ordinum Viros plurimum honorandos, ut frequenti in funeris deductione præsentia suum in B. CONSULEM affectum testari velint, officiosissime rogamus. Quamvis quid rogemus? Enimvero Viro supremo in Republica nostra officio per tot annos perfuncto, supremisque honoribus quondam conspicuo, nemo non supremum officium supremosque honores nec rogatus quam promtissime exsolvet. P. P. Hamb. d. 17. Novemb. Anno Christi M. DC. XCVII.

JUSTA
MEMORIÆ LAUDATISSIMÆ
VIRI
Magnifici, Nobilisſimi, Amplisſimi atque Conſultisſimi,
DOMINI
HIERON. HARTW. MOLLERI,
J. U. L.
ET INCLYTÆ REIP. HAMBURGENSIS CONSULIS MERITISSIMI, NUNC DESIDERATISSIMI,
DIE EXEQUIARUM, IDIBUS DEC. ANNI M DCC II.
PERSOLUTA,
INTERPRETE LUCTUS PUBLICI
JOHANNE ALBERTO FABRICIO,
SS. Theol. D. Moralium & Eloquentiæ Prof. Publ. & Gymnaſii hoc Anno Rectore.

HAMBURGI,
Typis Conradi Neumanni, Ampl. Senatus & Gymnaſii Typographi.

Fuit

FUit itaque huic Reipublicæ, fuit Ampliſſimo Patrum Ordini, fuit civibus omnibusque nobis CONSUL longe exoptatiſſimus MOLLERUS! Quem ante paucos dies præmatura morte extinctum, & rebus humanis ereptum, tanto jam conſenſu velut in domeſtica calamitate luget univerſa Civitas, quam communi gaudio datum ſibi Senatorem Conſulemque pridem lætabatur. Hoc nempe unum reſtabat, ut poſt Conſultiſſimum & omnium elegantiarum Virum GERHARDUM SCHOTTUM Senatorem, poſt Nobiliſſimum genere nobiliorem meritis Archigrammateum ALBERTUM SCHULTZIUM, quos ambos invidentior ſub finem præſens annus nobis abſtulit, Conſulem quoque hunc ſuum atque decus MOLLERUM, afflicta Curia deſideraret. Ut civitas miſera Hamburgenſis, in turbulentiſſimo hoc Europæ per diverſa tractæ ſtatu, inter varios adeo motus propiores ac procellas, tam ſpectatæ probitatis, tam inſignis prudentiæ, tantæ virtutis dextetitatisque Antiſtite ac Neſtore ſuo privaretur. Ut incideremus in *tempus afflictionis* a) *quo commoventur cuſtodes domus, & nutant viri fortiſſimi, & otioſi ſunt MOLENTES in minuto numero, & tenebraſcunt videntes per foramina, & claudunt oſtia in platea, in humilitate vocis MOLENTIS.*

Equidem, ſi proficrent vel hilum querimoniæ, aut ſi lamenta non inutilia eſſent ad intervertendum ordinem fatorum, & ad DEI

a) Eccleſiaſtæ XII. 1. 3. 4.

consilium inhibendum, darem hoc non indigno ac multum profuturo dolori, & cum universa Rep. in lacrymas me dissolverem, MOLLERUM heu nuper nostrum, si fas esset, in Vitam ita revocaturus, redditurusque Suis, Curiæ, Urbi. Sed cum omne hoc nihil sit, est tamen aliquid, etiam post fata recolere Virtutem sublatam ex oculis, grataque memoria prosequi merita Viri, qui flebilis occidit omnibus bonis, quem laudare justitia est, oblivioni tradere iniquitas, vituperare vel mendaci invidiæ difficillimum, maledicere summum nefas ac scelus.

Tanta longe lateque est MOLLERIANI nominis gloria, ut inter eruditos integris centuriis celebratum immortalitati consecretur. Solos Johannes Molleros scriptis claros doctrinaque celebres quinquaginta annumeravit vir cognominis (b) & Flensburgi sui decus hodie non vulgare. Ab eodem memorabili industriâ alii Molleri collecti sunt plures quam quingenti, qui universi literis claruere, editisve in lucem monumentis memoriam suam à tenebris & oblivione, non manu quod vulgo dicitur sed ingenio liberali asseruerunt. De his singularis ipsi liber natus est, quem erudito orbi non vanus promissor exhibiturum se recepit sub inscriptione (c) *Molæ Castaliæ Musarum*. Quod si ullum mihi datur omen inesse nominib⁹, ullamve tot impugnatam calamis tot prædicatam fatali

b) Joh. Mollerus in Homonymoscopia p. 933. seq.
c) Ibid. pag. 82. & 931.

talitatem, nullum ſane felicius fuit Reip. noſtræ per majus binorum ſeculorum ſpatium, quam MOLLERORUM. Nullum frequentius occurrit Annales revolventibus vel inter Conſules, vel gravi Syndicorum munere conſpicuos, vel in Senatoria dignitate conſtitutos, vel Camerarios, ne de aliis ampliſſimis honoribus in præſenti dicam. Neque tantum frequentes, ſed & optimi & laudatiſſimi ſemper fuere MOLLERI, ita ut civitas noſtra felicitatis ſuæ partem non exiguam ſæpius nomini debuerit MOLLERIANO, ſive DEO potius novos ſubinde MOLLEROS ad clavum hujus Reip. ſuccenturianti. MOLLERUS d) quoque & è Noſtri majoribus fuit, qui annis abhinc centum & ſeptuaginta quinque arbiter conſtitutus eſt honorarius colloquii ſolennis ac decretorii inter Pontificios & Lutheranos publice inſtituti, cujus hic erat exitus, ut divino beneficio rejecta falſarum traditionum abuſuumque & errorum ſaburra, ſinceriorverbi ſalutaris prædicatio ac purior cultus in hac urbe reſtitueretur.

Ad recentiora tempora ut deſcendam, cui quæſo civium noſtrorum ignota eſſe poteſt DIETERICI MOLLERI Conſulis prudens dexteritas, aut quem fugit JOHANNIS MULLERI illuſtri laude Theologi & Rev. Miniſterii quondam Senioris Zelus atque eruditio? Et ne alie-

d) D. Johannes MOLLERUS, Ædis D. Mariæ Magdalenæ Guardianus, frater D. Bartholdi MOLLERI Cathedralis baſilicæ Lectoris.

alienas familias tanquam in ſubſidium advocare videar, ecquis rerum noſtrarum paulo peritior Patruum Noſtri, Conſulem meritis præcipuum BARTHOLDUM MOLLERUM ignorat, avumque VINCENTIUM, qui ſuis cervicibus ingens Syndici officium cum tanta laude ſuſtinuit ante annos circiter octoginta, cujus alter filius VINCENTIUS maximos itidem honores aſſecutus Regis Sveciæ Reſidentem egit, tertius, JOHANNES MOLLERUS, Patris ſui exemplo Syndicatum geſſit optime & felicisſime. Hoc JOHANNE Parente natus, tantis majoribus ortus fuit Patriæ bono, cui nunc ſubtractus eſt, HIERONYMUS HARTWIGUS MOLLERUS, Matre CÆCILIA, Nobilisſimi Viri HARTWIGI DE SPREKELSEN Filia, præſtantisſimæ gentis ſuæ Sprekelſenianæ virtutes & integritatem nato ſuo inſtillante. Lucem primum adſpexit pridie Iduum Julii, Anno Chriſtiano MDCXXXXI.

Sedulam & exquiſitam Parentum curam mirifice adjuvit egregia Filii indoles, provexit ingenium felix, animus probus auxit & confirmavit, cumulum addidit pertinax induſtria, quæ DEO benedicente effecerunt, ut præter ſolida fundamenta Pietatis, literarum quoque tirocinia ab eo in patria Schola quam rectisſime poſita fuerint. Exemplo imitando noſtris adoleſcentibus, quorum multi non dubitant illa, quæ temere vocant minuta, contemnere, & cruda ſtudia in Gymnaſium, vel in Academias

mias propellere. Viginti propemodum annos natus *Bremam* missus est, celebris Gymnasii quod etiamnum in illa urbe floret, non inficiandus alumnus futurus. Post biennii spatium Anno MDCLXII. adiit domicilium illud Musarum quondam florentissimum, nunc ex horrenda belli clade vix leviter respirans *Heidelbergam*, in qua totum se tradidit Philosophiæ, non umbraticæ illi, Scholasticæ dixerim an Sophisticæ, vocum umbras captanti, verum civili & activæ, quæ docet regere imperio populos, & jura ponere, salutemque publicam promovere civitatum. Eundem in finem non modo *Argentorati* per aliquod temporis commoratus est, Juris addiscendi causa, sed præter Germaniam peregrinas longeque disitas regiones accessit, Galliam, Italiam, Belgium, Britanniam, per annos complures in illis versatus, ut & linguas & illarum gentium aularumque ingenia ac mores cognosceret, perspiceret administrationes Rerumpublicarum, eum denique thesaurum prudentiæ sibi colligeret, ex quo utilia olim Patriæ suæ consilia non infeliciter posset expromere.

Redditum Anno M DC LXIX. penatibus suis, & in hanc civitatem reversum omnium favor excepit, dum ipse nihil impensius cogitabat, quam ut civis ipse optimus se Reip. capessendæ atque ejus commodis provehendis magis magisque efficeret habilem ac quantum posset per-

perfectiſſime inſtructum. Quod quam inſigni cum ſucceſſu feciſſet, reipſa demonſtravit, cum civilibus primum officiis admotus, per quinquennium ſic illa geſſit, ut conſtanti juſtitia, fide, indefeſſo labore, dexterrima perſpicacia, modeſta facilitate omnibus ſe probaverit. Unde factum eſt, ut merito ſuo à Patribus M DC LXXXII. in Ampliſſimum Ordinem Senatorium cooptaretur. Triennio interjecto, in cauſa maximi momenti ad potentiſſimum Electorem Brandenburgicum Reip. nomine ablegatus, atque inde Orator deputatus ad Auguſtiſſimum Imperatorem, utrinque officio ſuo ita perfunctus fuit, omnesque ejus partes tam egregie explevit, ut non mediocrem inde ab univerſis gratiam inierit. Hinc ab Anno milleſimo ſexcenteſimo duodenonageſimo usque ad annum nonageſimum quartum præfecturam Ritzbuttelenſem cepit geſſitque per conſuetum hujus Magiſtratus ſexennium, fide & dexteritate uſus prorſus ſingulari. Tandem Anno M DC LXXXXVII. creatus Conſul. incredibili gaudio perfudit univerſam Civitatem, quæ illas jam læto animo præcipiebat MOLLERI ſui virtutes, quas in conſulatu ipſo reapſe poſtea præſtitit, & expectationi ejusdem ita exaſſe ſatisfecit, ut majorem ſemper ſe amandi & in oculis ferendi, nullam autem ab illo tempore dederit conquerendi de ſe occaſionem, niſi hanc unam adeo, quod mortuum nunc omnes quiritantur ac dolent.

Nuptias

Nuptias contraxit Anno M DC LXXIII. cum nobiliſſima Virgine ANNA MARGARETA, JOHANNIS SCHMIDII mercatoris quondam celebratiſſimi & Curatoris ſacræ ædis Petrinæ Jurati honeſtiſſimi filia, Ex qua ſuſcepit filios quinque, tres beate jam tum defunctos, & binos adhuc divino beneficio ſuperſtites DN. D. HARTWIGUM JOHANNEM, PETRUMQUE ALBERTUM, qui Studiorum negotiorumq; cauſa peregre verſantes, deſideratiſſimum Parentem ſibi domi ſublatum & ereptum tanto lugent vehementius, quo longius abſunt: Filias itidem duas Virgines præſtantiſſimas, cariſſimi Parentis ſui obitu prorſus afflictas ac proſtratas, MARGARETHAM ELISABETHAM & CATHARINAM SUSANNAM. Neque præſto eſt Mater, quæ vel lacrymas jungat, vel ſolatium afferendo orbis ſuccurrat, pridem enim annus M DC LXXXXI. etiam illam abſtulit, & beatiſſimum Parentem dilectiſſima Conjuge, liberos optimos amantiſſima Matre, cum Ritzbuttelii agerent, ſpoliavit. Qui itaque à Patre & Matre derelictos ſe tam acerbe & merito dolent, iidem nonne viciſſim lætentur iterum, erigique ſe patiantur, cum cogitaverint à DEO ſe certo certius ſuſceptum iri? Quod ipſum ex animo boni omnes vovent, & futurum eſſe haud ambigunt. Idem DEUS, Solatii omnis fons & ſcaturigo, levamenta dolorum quæ ipſe judicabit aptiſſima afferet

feret aliis eodem nomine vehementer commotis atque affectis, beatissimi Consulis Sorori Uterinæ Illustri Baroni EDELKAMPIÆ, Fratri Nobilissimo LUCÆ MOLLERO, Affinibus Honoratissimis & splendidissimis, cæterisque cognatis, qui non ab re domesticam lugent jacturam, quam publico mœrore dignam esse universi uno ore confitentur.

Cum morte luctatus est Vir longiore vita dignissimus per menses complures, à quibus Phthisis Hectica quæ eum corripuerat, incrementum & robur cepisse videtur jam ab initio usque proximæ æstatis: nisi quod post nonum Septembris diem lecto semper affixum esse oportuit, donec animam DEO redderet media quinta matutina VIII. Iduum Decembris, anni hujus M DCC II. Quam diligenter autem ad hunc è vita excessum se præparaverat, quam sollicite cum DEO in gratiam ante redierat CONSUL noster ὁ μακαρίτης! Quam toto pectore ad Servatorem suum conversus, humanis omnibus libenter renunciavit. Quam avide ad sacram Eucharistiam velut ad efficacissimum afflictæ animæ pharmacum & conscientiæ fluctuantis ancoram firmissimam confugit! Quanta fide se suosque quibus morti vicinus conceptis verbis benedicebat, Divinæ gratiæ commendavit. Quam intenso affectu erectisque brachiis probavit vocem Pauli, cupientis dissolvi & cum Christo esse, ita ut jam nimis

nimis-

nimisque diu videretur ſibi ab illa, qua in præſenti fruitur, beatitate differri ac detineri.

Non minus igitur bonus Chriſtianus cœlo receptus eſt, quam egregii Civis, Senatoris, CONSULIS munere functus fuit in terris. Quid jam aliud relinquitur deſiderio noſtro, niſi ut merita ejus perenni memoria conſecrantes, beatitudinem gratulemur, corpus prolixis ac dignis tanto Viro exequiis deducamus, DEUM ter Opt. Max. precati, ut reliquos Patriæ patres quam diutiſſime conſervet, & afflictæ Reip. alterum reſtituat MOLERI ſimilem, de quo propemodum audemus affirmare, quod de magno quondam Principe ſcripſit Bonifacius Vanotius: *In religione plus quam Sacerdos, in ſententia dicenda plus quam Senator, in judicio plus quam Jurisconſultus, in adverſis perferendis injuriisque condonandis plus quam Vir, in publica libertate tuenda plus quam Civis, in amicitia colenda plus quam amicus, in convictu plus quam familiaris, in tota reliqua Vita plus quàm Philoſophus.*

AD
EXSEQUIAS FUNERIS
VIRI
Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi Consultissimique,
D. JULII SURLANDI,
J. U. L. ET INCLYTÆ REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS CONSULIS MERITISSIMI,
DECENTISSIMA POMPA D. III. AUG. PROSEQUENDAS
Invitat peramanter,
EBERHARDUS ANCKELMANN.
LINGV. HEBR. PROF. PUBL. ET H. A. RECTOR.

HAMBURGI,
Typis Conradi Neumanni, Ampl. Senatus & Gymnasii Typographi.

JULIUS menſis abſtulit nobis JULIUM SURLANDUM, Virum Magnificum, Nobiliſſimum, Conſultiſſimum, Excellentiſſimumque. Triſtis hæc vox eſt, quæ in auribus noſtris perſonat, non Curia modo ſed civibus etiam in luctum reſolutis. Abſtulit enim nobis Virum omnibus illis naturæ dotibus abunde inſtructum, quæ conſummatum Conſulem exornant; abſtulit in ipſo ætatis flore; abſtulit primo Conſulatus anno, atque eo quidem paulo ultra medium exacto, O ergo triſtem vocem! o caſum flebilem! Erat certe in Conſule hoc animi præſentia ſingularis, ſcientia juris ſolida, facundia non mediocris, ſolertia rara, ingenium excellens, judicium acre atque exquiſitum. Cauſas non minus promte decidebat, quam easdem ſagaciter aſſequebatur. Aderat etiam Corpus firmum & ſucciplenum; vigorque & vires, quæ tanto Muneri in ſeros annos pares futuræ videbantur. Unde patria noſtra non poterat non à tanto Viro uberrimam ſibi multiplicis boni ſegetem promittere. Sed eheu! occubuit nunc ætate vegeta, inque ipſis Conſulatus primordiis, ſucceſſor ante hos ſeptem menſes, & quod excurrit, datus optimo CONSULI MULLERO, cujus obitum, à quo recentes ſumus, boni omnes adhuc deplorant, porroque deplorabunt. Quid eſt quod in tanto luctu mœſtam familiam ſolari queat, niſi

memoria beatæ immortalitatis, ad quam translatus NOSTER est? Quid est, quod animos illorum erigere fortiter possit, quam recordatio salutis per Christum reparatæ, cujus NOSTER per vulnera communis totius humani generis REDEMPTORIS factus particeps est? Non est, quod de utraque dubitemus. Adsunt enim testes omni exceptione majores, sacræ paginæ Veteris & Novi Fœderis, quarum auctoritas divina si nullo alio constaret argumento, sufficerent innumera illa, quæ in istis habentur de Messia vaticinia, typi creberrimi, aliæque tam de exteris regnis quam de ipsa Ecclesia prædictiones, quæ singula, licet quædam mille & amplius annis complemento anteriora, exactissime tamen, cum omnibus etiam minutissimis circumstantiis, tempore locoque definito, fuere adimpleta. Testantur autem quam luculentissime a) corpus è pulvere quondam formatum reverti in terram, quemadmodum antea fuit, Spiritum autem reverti ad DEUM, qui illum primo homini inspiravit. b) Piorum animas, post beatam analysin, tanquam pretiosum aliquod κειμήλιον, à Christo suscipi, c) versari cum eodem in Paradiso cœlesti, d) adesse ei quam præsentissime, e) atque dissoluto ter-

a) Eccl. XII. 7.
b) Actor. VII. 59.
c) Luc. XXIII. 43.
d) 2. Cor. V. 8. Phil. I. 23.
e) 2. Cor. V. 1.

terreno hocce Corporis tentorio ſtatim ab ipſo obitu nanciſci ædificium quod ex DEO eſt, domum non manu factam, æternamque in cœlis.

Hæc vero illa ſunt, quæ in adverſis conſtantiam, in morte animum impavidum, denique in luctu ſolamen abundantiſſimum valent producere. Ecquis enim è mortali Vita ad immortalem tranſire dubitet? Quis anguſtum tugurium cum auguſtiſſimo palatio, cum Paradiſo omnium bonorum affluentiſſimo, commutare recuſet? Quis lætam iſtiusmodi cataſtrophen non congratulatione poti⁹ quam lachrymis proſequendam judicet? Quare luctui ſtatuendus eſt modus, atque mens ad divinæ Providentiæ piam Contemplationem convertenda, quæ uti minimarum quarumcunque rerum gerit curam, ita nihil patitur in ſinceros ſui Cultores proficiſci, quod æterna illorum gaudia queat interturbare, aut minima ex parte imminuere. Id vero nobis agendum potius nunc eſt, ut memoriam beati CONSULIS, quantum in nobis eſt, conſervemus, atque acta vitæ illius, cujus non exiguam partem pro ſalute patriæ inſumſit, grata mente recolamus.

Natus autem eſt Hamburgi d. 21 Decembris Anni Chriſti M DC LVII. parentibus non inclytis modo, ſed multa etiam laude digniſſimis. Pater enim ipſi fuit Vir Plur. Reverendus atque Clariſſimus Dominus JOHANNES SURLAND, Verbi divini in Æde Michaelitana

Minister primarius, & Vicarius Pastor, vacante per aliquot annos loco isto post obitum Venerabilis Viri Domini M. Jodoci Edzardi Glanæi, primi in templo isto Pastoris optime meriti. Quanta vigilantia quantaque fide versatus hic B. CONSULIS nostri Parens in officio suo fuerit, dicere nunc non attinet, quandoquidem insignia ipsius merita adhuc in grata posteritatis memoria versantur. Matrem habuit ANNAM MARGARETAM Viri Experientissimi Dn. JULII JOHANNIS BOKELII Med. Doct. filiam, neptem vero Viri Excellentissimi Dn. JOHANNIS BOKELII Med. Doct. Ducis Brunsvvicensis Archiatri, & subipsa Academiæ Juliæ inauguratione Professoris Med. postremum Hamburgensis Physici Celeberrimi. Procurarunt ante omnia Optimi Parentes hi, ut natus ex se filiolus secundum Veteris Ecclesiæ praxin quam ocyssime à peccatis sacro fonte ablueretur, JULII nomine indito; rectissime statuentes, sacram actionem, à qua gratia DEI penderet, cujusque temerarius neglectus cum salutis periculo esset conjunctus, nullatenus esse differendam. Cumque in primis statim annis egregios ingenii capacissimi radios spargeret, simulque insignis ad literas propensio in eodem appareret, facile adduci se passi sunt, ut studiis ipsum penitus consecrarent. Quare Privatorum Præceptorum curæ absque mora fuit commissus, qui prima elementa instillarent, dehinc publicæ Scholæ ad aliquot annos

tra-

traditus, cumque adultior esset factus, nactus in humanioribus atque Philosophicis Doctorem fuit Virum Plurimum Rever. atque Doctissimum Dnum JUSTUM CORTHUM, Verbi divini in templo Nicolaitano Ministrum hoc tempore vigilantissimum, cujus nomen tanto minus silentii sipario fuit involvendum, quia omni qua par erat dexteritate in informando NOSTRO fuerat usus. Neque tamen his studiis acquievit, sed Textui etiam Hebræo Originali, ductu communis nostri Præceptoris & hujus temporis ESDRÆ Dn. Lic. EDZARDI, navavit operam, quandoquidem nondum plene tum ipsi erat definitum, Theologiæne an Jurisprudentiæ olim esset vacaturus.

His vero præsidiis instructus iter in Academias A M DC LXXIV. est ingressus, Wittebergam ante reliquas adiens, ubi Philosophiam ulterius excoluit, tandemque Juris studiose totum dedit, quod & Giessæ continuavit, Leidæque, in quas relicta Witteberga se contulerat. Quadriennio autem in Academiis exacto in Galliam A. M DC LXXVIII. abiit, ut Lingvæ istius pleniorem notitiam acquireret, quam etiam est consecutus, insuperque Flexiæ J. U Licentiati titulo cum applausu Auditorum fuit auctus. Tum Germaniam peragravit Belgiumque, non tam jucunditatis & novitatis (quarum tamen neutra simpliciter improbanda) quam utilitatis studio tractus, utque cum scientia prudentiam sibi quoque ac-

quireret, aliaque quæ usui & emolumento tum sibi tum Patriæ aliquando essent futura.

Natali solo cum sese DEO propitio reddidisset, in medium ipsum protulerunt ingenii vigor, animique dotes reliquæ non minus excellentes quam copiosæ, quibus talem sese PatribusPatriæ per id temporis spatium quo privatam coluit vitam, comprobavit, ut dignus omnino videretur, qui Reipublicæ regendæ maturius admoveretur. Itaque A. M DC XC. d. 24. Jan. cum annum ætatis trigesimum tertium essetingressus, in Amplissimum Senatorium ordinem est cooptatus eoque munere per annos tredecim multa cum laude est functus, accedente etiam A. M DC XCIV. & M DC XCV. gravi onere Præturæ, qua ita se gessit, ut neque doctrina ipsius neque promtitudo in judicando unquam fuerit desiderata. Adsunt publica documenta, quæ palam faciunt, maximam τῦ μακαρίτυ existimationem apud ipsos fuisse Proceres, adeo ut arduis quoque rebus expediendis idoneum ipsum judicaverint. Geminæ enim legationi ipsum adhibuerunt, quarum primam ad Potentissimum Svecorum Monarcham A M DC XCIX. d. 11. Nov. Holmiam suscepit, socio Viro Consultissimo Dn. JOHANNE VON SOMM, J. U. D. & Senatore Amplissimo, eamque ita obiit, ut eorum quorum intererat votis abunde satisfecerit, atq; inter frequentes Congratulantium plausus d. 28. Augusti Anni M DCC. in urbem fuerit redux.

redux. Altera ad Potentiſſimum Daniæ Regem ipſi fuit demandata Tychopolin, qua ipſa etiam nihil eorum intermiſit, quæ ad Patriæ ſalutem facere ipſi quomodocunque videbantur. Acceſſerunt tandem etiam ſummi in Patria honores, faſces Conſulares, qui delati ipſi ſunt d. 14, Dec. Anni M DCC II. maximo Civium numero applaudente, huncque ſibi CONSULEM in ſeros annos ſummamque ſenectutem expetente.

Sed redeundum ad res ipſius domeſticas eſt. Contraxit enim ter matrimonium. Et primis quidem ſolennibus nuptiis copulavit ſibi Fœminam Nobiliſſimam SARAM BERENBERGIAM, viduam JOACHIMI ANCKELMANNI duodecim Viri & Ædis Petrinæ Curatoris jurati primarii, quæ quater ipſum fecit Patrem, filiorum trium uniusque filiæ. Illorum primogenitus fuit JOHANNES, qui ante annos plusculos adoleſcens optimæ ſpei in vivis eſſe deſiit. Cœteri ſuperſtites ſunt, JOHANNES JULIUS & FRIDERICUS JACOBUS, una cum Sorore dulciſſima ANNA MARGARETA, quos omnes ſingulosque divina clementia ſervet & omnigena felicitate beet. Mortua A M DC XCII. d. 3. Januarii prima Conjuge ad ſecunda vota tranſiit, atque exeunte anno iſto junxit ſibi ELISABETAM WICHMANNIAM, viduam B. HENRICI PAULI LEMMII, nati Parente Ampliſſimo atque Prudentiſſimo Dno JOHANNE LEMMIO Sena-

tore optime merito, e qua tamen licet per octo annos sibi conjuncta prolem nullam suscepit, A. M DCC d. 29. Nov. tertias nuptias celebravit cum Nobilissima & omni Virtutum genere decoratissima Virgine SUSANNA SOMMIA, filia HENRICI VON SOMM, Civis atque Mercatoris in hac Civitate Primarii, è qua bellissimum procreavit filiolum, sed in ipso partu mortuum. Luget illa nunc acerbe obitum mariti sui desideratissimi, quem amore tenerrimo fuit complexa, & eo luget acerbius, quo familiarius & conjunctius cum eo vixit, conjugioque perbrevi, quod ob svavissimam cum illo conversationem merito optavit esse diutissimum.

In morbum incidit B. CONSUL d. 30. Maji, correptus febri ardente, cujus tamen vis solerti cura Experientissimi quo usus est Medici iterum fuit restincta, ipseque sanitati restitutus, adeo ut etiam officio suo iterum vacaverit, Deoque pro recuperata valetudine prospera grates publicas persolvi curaverit. Verum haud multo post idem morbus recurrit, graviorque quam antea ipsi incubuit, tanto impetu, ut intra paucos dies vires penitus consumerentur, ipseque de vita inciperet desperare. Totum itaq; se precibus dedit, rerum mundanarum curis prorsus ex animo proscriptis, sacroque epulo refici desideravit, quo accepto inter suorum preces & suspiria propria d. 28. Julii post horam tertiam matutinam animam DEO placide reddidit, cum

cum liberos ſuos monitis ſalutaribus inſtruxiſſet, Conjugi Cariſſimæ ſupremum Vale dixiſſet, atque annos quadraginta quinque menſes quinque & dies ſeptem vivendo abſolviſſet.

Geſſit faſces Conſulares dum viveret; nunc ipſe in faſciculum viventium eſt relatus, qui honos multo amplior eſt quam omnium Regum ſceptra atque diademata. Julium Menſem Auguſtus excipit; turbulentiſſimaque ſub JULIO CÆSARE tempora tandem tranquillus rerum ſtatus ſub AUGUSTO eſt conſequutus, adeo ut Svetonio dicente, Jani quoque templum ſub eodem ter fuerit clauſum, quod altæ pacis apud Romanos ſignum erat. Quid? Princeps pacis ſub AUGUSTO fuit natus, & pax in terris ab ingenti Angelorum choro ſolenniter fuit promulgata. NOSTER quoque ex JULIO nunc factus AUGUSTUS eſt. Vivit enim vita vere auguſta, fulgetque honoribus auguſtiſſimis, qui cedunt in præmium omnibus, quorum beatus fuit ex hac vita exitus. Translatus è militante Eccleſia eſt in triumphantem, in habitaculum pacis, in tentoria ſecuriſſima, in quietem tranquilliſſimam, fruiturque conſummate ille pace, quam Princeps pacis attulit, meruitque. Oſſa quoque ipſius quiescunt molliter, beatique ejus manes beatam manent reſurrectionem. in cujus communem ſpem terræ matri hodie commendabuntur, inferendi conditorio, quod in baſilica S. Michaëlis eſt, ad quam pompa ex ædibus ipſius

pro-

procedet. Magnificus Reipublicæ noſter Senatus, Maxime Venerandus Symmiſtarum ordo, cæterique cujusvis loci atque dignitatis Viri plurimum honorandi, non tam obteſtatione noſtra, quam pietatis officiique religione adducti frequentes convenient, ac comitatu condecorabunt exſequias, & pro incolumitate Patriæ vota facient, Summum Numen ardentiſſimis precibus venerantes, ut urbem noſtram reſpicere, & Pium, juſtum, ſapientem, atque eum denique CONSULEM, cui nihil à commodis publicis ſit ſejunctum, clementiſſime largiri non dedignetur. P. P. d. 3. Auguſti A. M DCC III.

Elogium Breve
MAGNIFICI CONSULIS
PETRI LÜTKENII,
J. U. L.

PEtrum Lutkenium genuit Hamburgum An. MDCIII. patre Lutke Lutkenio, Cive honeſto & ingenuo: felix ingenium ejus patriæ expoliverunt Muſæ, animum formavit Themis. Specimen inſigne ſtudiorum atque eruditionis ſuæ publice in Cathedra Roſtochienſi A. MDC XXVII. præſide *Thoma Lindemanno* JCto & Prof. P. propoſuit Exercitationem ad l. 2. D. de Orig. Jur. qua non modo de Juris Originibus, progreſſu & varia fortuna erudite diſputat, ſed &

quæ-

quæſtiones inde fluentes omnis generis ex Juris publici ac privati fontibus acute diſſolvit. Dignitatem Licentiati contulit Baſilea, celebris illa Rauracorum Academia. Ampliores illi patria parabat, in quam reverſus inter Senatores ad ſcitus eſt A. MDCXLI. Mox Reip. cauſa anno MDCXLII. ablegatus in Angliam, inde Hafniam ad Potentiſſimum & glorioſæ Memoriæ Regem Danorum Chriſtianum IV. nec non interjecto tempore ad Glukſtadienſem compoſitionem controverſiarum quæ Regi cum Rep. intercedebant. Prætorem quoque geſſit An. MDCXLVI. & MDCXLVII. & multis magnisque meritis conſecutus eſt ut poſt extinctum Patriæ patrem *Albertum von Eitzen* Anno MDC LIV. die XXIV. Febr. conſulares ipſi faſces traderentur, quos per decennii majus ſpatium tenuit. Connubio ſibi junxerat virginem Nobiliſſimam *Cæciliam*, *Petri von Sprekelſen* Ampliſſimo Ordini adſcripti filiam ex qua *Petrum* ſuſcepit, in quo etiamnum bene meretur de Patria, & gerit Remp. Conſul, ac de fortunæ adverſitate triumphat: tum *Annam Mariam* nuptam Nobiliſſimo ac Senatorii Ordinis Viro *Vincentio Rump*, jam inter cœlites degenti & feliciter refloreſcenti in Ampliſſimo filio Johanne. Exoptatiſſimam Conjugem noſtro eripuit dies XXII. Januarii Anno MDCLI. At Calendæ Martiæ Anni MDCLII. altera eum uxore beaverunt *Anna Eliſabetha*, *Gerhardi Langermanni* J. U. L. & Sereniſſ. Ducis Brunsvvico Luneburgenſis

sis Consiliarii intimi filia, ex qua natus ipsi est *Gerhardus Lutke*, Parenti superstes, J. U. L. sed Anno 1697. variolis in rationes Libitinæ abreptus, relictis filiis, quos vestigia Magnifici Avi, Patruique pressuros auguror ominorque. Viennam Austriæ concessit noster Anno MD CLXVI. ibique pie obiit Anno MDCLXX. die XXVIII. Maji. Exuviæ perlatæ sunt Posonium, ibique tumulo mandatæ beatam resurectionem præstolantur.

HONORI FUNERIS
MEMORIÆQ.
Nobilis. Magnifici, Consultiss. Q.
VIRI
DOM. BARTHOLDI TVESTRENG,
J. U. L. ET CONSULIS REIP.
HAMB. B. M.

MEMO-

MEMORIA hominum, rerum perceptarum cuſtos, ut ambitioſa eſt ob ſui præſtantiam, atque confidens, & quæ ſibi promittat plurima: ita vana magnam partem, & perfrequenter, infidaque fallit alios, ſeque ipſam deſtituit: ſive aliorum recordandum nobis ſit, ſive noſtri eos velimus meminiſſe. Et vero quis ſuæ ipſius, & communis omnium naturæ, id eſt, humanæ, adeo eſt ignarus negligensque, ut non ſentiat? quis tanta impudentia, ut diſſimulet negetve? Excellens ſane eſt animus noſter, divini ſpiritus pars, ac velut ſcintilla quædam, ut ait Seneca: qui eam habet memoriam, & quidem infinitam, & rerum innumerabilium, quemadmodum loquitur Cicero: ut longe minus laudarit Plinius, qui neceſſarium vitæ bonum eſſe pronunciavit, licet & hoc ſit quam maxime. Divinitatis in eo animo particeps eſt reminiſcendi facultas, non tantum hoc ſuo ortu: ſed potius, quod eſt ἀντίστροφος τῇ μαντικῇ verbis Plutarchi; id eſt, divinandi ſcientiæ reſpondeat, pariaque faciat cum ea. Nam (ut pluribus explicat vir doctiſſimus, & apprime prudens) quantum illa præſtare ſe demonſtrat eo, quod ſervat præterita, ac retinet, maxime quæ non ſunt! Eorum enim, quæ fuerunt, nihil ſupereſt, neque conſiſtit: ſed omnia, & ſunt aliquando, & intereunt, ſive actiones ſint in vita, ſive ſermones, ſive animi affectus: tempore, tanquam fluvio, quæcunque abripiente ſecum. Hæc autem vis animi, neſcio quomodo

modo amplectens, eis, quæ non adsunt, speciem, & rationem, per quam sint, circumponit. Ita fere ille verissime: verum, nonimnus vere idem naturalium rerum interpres, non aliud æque fragile in homine, affirmat, quam memoria est. Ut enim nihil dicam de morbis, casibusq; atq; injuriis, quibus fracta debilitatur, autaboletur: ex sese ipsa, & propter naturam, in nobis sitam ejusmodi, imbecillis est, vacillans, fluxa, caduca; &, si loqui ita licet, immemor sui ipsius, seque carens. Adversariam quippe habet constitutam sibi gravissimam oblivionem, quæ est longe potentior, nisi fallimur, simulque cum nocte & somno, ut ajunt, ex orco prodiit: habetque comitem reticentiam, qua mirifice juvatur & recreatur. Et homines, ut ingenium est ipsorum, ultro passim, & non raro favent oblivioni, seque ea oblectant: ut vitam, sicut putant, jucundiorem eo pacto sibi efficiant. Nempe cum nullo labore, nulla molestia conjuncta est: altera non item. Quanquam est autem, ubi illa recte, & cum laude maxima uti licet, imo utendum est, si boni esse velimus (inprimis in deponendis inimicitiis, injuriisque, quarum felix oblivio esse dicitur, & omnino in malis inhonestisque dediscendis omittendisque,) tamen cum dedeore, vitio, & peccato sæpissime conjungitur, & memoriam ex animo nostro expellit iniquissime eorum, quorum assidue recordari oportet. Imo ut quidam, licet sensibus excita-

citatis, dormire ſe fingunt, ut aliis videantur: ita non pauci de induſtria vim memoriæ adhibent, averſanturque quæ ſibi nolunt ſuccurrere. Virtutum præcipue officiorumque facile memoria, & monimenta intercidunt: acceptorumque beneficiorum gratia eodem exoleſcit modo. Vetus hæc eſt, antiquam dormire gratiam, & homines eſſe immemores. Lotusque quaſi aliqua, Homericæ par, in humanis pectoribus, irriguæ inſtar herbæ ſuccreſcit uberrime, veternumque inducit indelebilem. Ac cum in aliis ita eveniat: ſupra tamen omnia in mortuorum mortisque ipſius memoria recolenda ſenſum de induſtria perdimus. Unde & in ſacris legitur litteris memoriam, tanquam mortui ceſſare: & vulgi dictum eſt, oculis ſubductos ex animo quoque elabi. Sed verò hæc non ſint, & noſtræ vires memoriæ intendantur omnes: nimium tamen poteſt vetuſtas, quæ cuncta obruit deletque: & cum annis ſenſus nos deſerunt, & poſteritatem fruſtrantur. Nec huic damno avertendo longævi homines pares ſunt, licet vel Tithoni ſint, vel Neſtores, ſimilesve: nec prodigioſum vel Cyri, vel Cyneæ, vel Mithridatis ingenium ſuffecerit: nec Simonides arte ſua recordandi inventa, nec Æſculapii medicamentis opem tulerint, ut ab oblivione vindicemur. Si quæ tamen ſunt, quæ nos aſſerunt, quæ, ut mortui apud nos vivere videantur, efficiunt, literæ ſunt. Eas præclaras virtutes, & viros eximios commendant.

dant memoriæ hominum ſempiternæ: ut cuncta alia, fulciendæ memoriæ adminicula, facile ab iis vincantur. Ejusmodi litteraria monumenta urbis noſtræ clariſſimis, & bene meritis rectoribus, poſtquam rebus humanis exemti ſunt, ut optamus, ita nos præſtare poſſe nequaquam confidimus, tantum abeſt, ut polliceamur. Neque tamen propterea de eorum memoria prorſus nobis eſt tacendum. Ut fidem obſequiumque declaremus, luctus publici, & vitæ paucis indicium faciendum eſt, licet invitis, & communi dolore maceratis. Et hoc ipſo tempore litterarum memoriam non tam flagitat, quam ultro delatam non abnuit, vir magnific. nobiliſſi. conſultiſſimusque Domin. BARTHOLDUS TVESTRENG CONSUL bene meritus: qui nuper admodum, ex inſperato, nobis nil tale metuentibus, exiit ex vita. O præcipitem caſum, & novum iterum vulnus MOLLERIANÆ familiæ cladibus adjunctum! o continentia funera, lacrumasque, ex eodem veluti fonte emanantes! Verum queramur ne pluribus cum morte, cum noſtra fortuna, cum DEO? Propemodum voces perdidimus nimium lamentando: &, niſi meliora edocti eſſemus, verendum eſſet, ne fata in nos per impatientiam provocaremus, nimiasque querimonias. Ergo ad vitam potius nos CONSULIS convertamus. In qua parentes nobiliſſimi ſeſe primo offerunt: D. EBERHARDUS TVESTRENG J. U. L. ac Senator præcipuæ auctori-

ctoritatis; & MAGDALENA BECMANNIA. His naſcebatur An. cIↃ IↃc XII. die III. Julii Juliani: iisdem ſingulari amore dilectus eſt, & non minore cura educatus, operaque data, ut literis erudiretur. Domo profectus, Argentoratum præ aliis ut adiret, ſuorum arbitratu juſſuque eſt factum. Nec equidem male, nam & omnis doctrinæ ibi habetur abundans copia, & ſtudiorum, ut circumſcriptum erat, curriculum, ita confecit. Unde digreſſus peregrinatus eſt prolixioribus itineribus per Germaniæ, Belgii, Britanniæ, Galliæ regiones. Anno deinceps XXXIX. Baſileæ honores Licentiæ, uti nominamus, conſequebatur. Revertebatur porro in patriam: & anno XLII. d. 11. m. Octobr. domum ducebat nobiliſſ. præſtantiſſimamque virginem * *MARGARITAM VON EITZEN*, conſulis filiam. Honores acceſſerunt: nam an. XLIX. Senator: anno LXIII. Conſul creatus eſt: in qua ſplendida dignitate vitam amiſit. Habetis ſummam, quam promiſimus quæ ſi explicari oratione deberet, quibus adhuc eſſet opus? Quæ non ſibi depoſceret parens? quæ non & longe plura avus, EBERHARDUS TVESTRENG J. U. L. Secretarius urbis, Senator, Conſul: cujus elogium illuſtre in æde Nicolaitana legi poteſt: quæ non ſocero ALBERTO VON EITZEN CONSULI rurſus deberentur? Quæ denique conjugi, ex

* Obiit 1709. d. 26. Martii et 2. April. in æde S. Nic. ſepulta.

qua ſuſcepit liberos XII. videlicet V. filios, filiasque VII. de quo numero filius unicus, ** & ſorores V. ſuperſtites acerbiſſime cum matre patris amiſſionem deplorant. Sed ſpatiis, ut ait ille, iniquis excludimur. Magnum, ut hæc ſaltim annectantur, erga patriam amorem ſemper de ſe oſtendit : quod potuit, ut præſtaret, anniſus eſt vehementer: facilemque ſe præbuit civibus & gratum. Et plura perfeciſſet, niſi valetudo prohibuiſſet: quam à multis annis nimium gravem experiebatur, artuum præcipue doloribus infeſtatus. Ante dies pauculos, ut ad exitum perveniamus, in ſuburbano rure ventris cruciatu correptus eſt, accedente languore, & difficili ſpiritu, non ſine interno æſtu : nec opportunis remediis, aut locus fuit, aut vita iis fugiens retenta

** Hic fuit Vir Ampliſſ. *Albertus Tveſtreng* J. U. L. natus Anno 1649. 3. Jan. & poſt frequentatas Academias Altdorfinam & Baſileenſem (ubi Anno 1674. Licentiæ quam vocant dignitatem eſt conſecutus) ſuſceptumque per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam & Hollandiam iter in patriam rediit An. 1676. & Anno 1678. nubſit Eliſabethæ B. Marci Buck, Senatorii Ordinis, filiæ quam Anno 1693. ſuperſtitibus tribus filiis amiſit. In eundem Ampliſſimum Ordinem allectus eſt Anno 1687. 9 Nov. Prætura functus Anno 1693. & biennio ante una cum Viro Nobiliſſimo, Syndico Reip. D. Woldero Schele ablegatus ad glorioſiſſimum Regem Daniæ Chriſtianum V. Scholarchæ quoque dignitatem per aliquot annos geſſit defunctus Anno 1707. 4. Aug.

tenta eſt. In qua morte feſtinata multum tamen ineſt divini beneficii: nam & integris ſenſibus, ſine trepidatione, & quod caput eſt, inter preces, & Chriſtum Dominum invocans, exſpiravit. Hodie in avito monumento, quod eſt in D. Nicolai, condetur ejus mortale corpus: exequias eo igitur ducendas religioſe proſequemur. Inter eundem cum alia cogitabimus, tum virtutem nec eorum oblivione qui ſunt, nec reticentia poſterorum ſepeliendam: inprimis a. beate mortuos vivis longe eſſe feliciores. Quod quidem plurima pars viventium non credit: at credat oportet, ſi infelicitatem extremam vult evitare. Denique etiam verſibus memoriam noſtram excitemus, quibus finiamus.

Ne vos, o homines, capiant oblivia rerum:
Humanæ ſortis nos meminiſſe decet.
Impia Lethæi vitient præcordia ſucci:
Quisquis amat ſeſe perdere, loton edat.
Vos vigiles ſenſus, memoresque oſtendite veſtri:
Atque brevi longam ſpe reſecate moram.
Qui memor eſt ſapit ille: ſui qui conſcius ævi,
Omnia ſollicita tempora mente notat.
Janus erit prudens, qui vultu fretus utroque,
Et quod præteriit, quod venietque videt.
Nulla dies abeat, quæ vitam neſciat actam,
Quæ ſibi non reddat funera, nulla dies.
Occurrant animo ſpecies revocante parentum:

Et ſerie longa reſpiciantur avi.
Præmia ſint meritis, & ſint documenta parata:
Sic quod, ſi volumus, quisque ſequatur, habet.
Talis erat quondam, fas eſt dixiſſe, Senator:
Nec minus, hoc noſtro tempore, talis erit:
Talis erat nuper præſtanti pectore Conſul:
Rurſus & hic tali pectore Conſul erit.
Laus eſt prima bonos patriæ vixiſſe merendo:
Altera poſt mortem laus habuiſſe decus.
Profuerant olim paucis, ut vivitur, annis:
Exemplis proſunt ſemper, honore juvant.
Non adeo ceræ vitali lumine caſſos,
Non marmor nitidum, non levis umbra refert:
Muſa refert, quocunque modo, mortique repugnans:
Dignos laude vetat Muſa benigna mori.
Si non hæc noſtra eſt, aliam labor iſte manebit:
Noſtræ nunc nullo carmine fonte fluunt.
Hæc data Mnemoſynes eſt ſancta potentia natis:
Hæc veterum nunquam non meminiſſe jubent.
His cum Conſulibus, TVESTRENGIUS, atque Senatu,
Qui fuit, æterno nomine vivus adeſt.
Sic hæc vita quidem, præſtantior altera cœlo eſt:

Hac

Hacque beat memorem nos habuisse DEUM.
Ille velit pietate sua, non legibus, uti:
Ille, memor nostri qui fuit, est, & erit.

P. P. XIX. Julii Juliani
A. C. clɔ Iɔ LXVIII.

PROFESSORES GYMNASII HAMBURG.

ELOGIUM BREVE
Magnifici Consulis
JOANNIS SLUTERI, J. U. D.

JOannes Sluterus Patrem habuit Venerandum Virum *M. Severinum Sluterum*, Pastorem ad S. Jacobi templum ac Rev. Ministerii Hamburgensis Seniorem Anno MDCXLVIII. defunctum, cujus ipse vitam filius ex decem liberis solus superstes tradidit, & pererudito opusculo de Ministrorum verbi Divini Augustanæ Confess: addictorum vocatione prærogativis & abdicatione subjunxit. Natus est Winsenæad Alleram, ubi tum Pastorem Parens gerebat Anno MDCXVI. Litteris à juventute non leviter tinctus sed penitus imbutus fuit, & Themidos sacris initiatus Mystagogo potissimum D. Davide Mevio JCto celeberrimo in Academia Gryphisvvaldensi, quo præside Anno MDCXXXVI. diatribam *de*

fidejusſoribus atque Anno MDCXXXVII. *διάσκεψιν theatri concurſus creditorum de ceſſione bonorum* publicæ luci expoſuit. Ex aliis ipſius ſcriptis ſunt:

Informatio præcurſoria conficiendi tractatum de univerſo Jure quo hodie utimur ejusque auctoritate. Hamburgi typis Jac. Rebenlini 1638. 4.

Diſſertatio de Verbi Divini Orthodoxorum & ordinariorum Nov. Teſt. Miniſtrorum, quos hodie Auguſtanæ Confeſſioni addictos dicimus, ordine, Vocatione, poteſtate, *in regno mundi ac Chriſtiana Republica*, prærogativis & privilegiis *itemque* ſalario & honorario *atque eorundem* abdicatione, *ita apparata, ut quæcunque hujus materiæ principia Juris Conſultum è jure Divino ſive Theologia, & Theologum è jure humano ſive jurisprudentia non neglecto bonæ rationis ductu callere oporteat, cum* Hamburgenſium Eccleſiaſtico jure atque uſu, *ubi commode fieri potuit, collata methodice proferat, & ſimul poteſtatis Eccleſiaſticæ ſeu ut vulgo appellari ſolet Juris Epiſcopalis ac judiciorum Eccleſiaſticorum ſive in Conſiſtoriis ſive in Synodis agitandorum naturam detegere conetur: Ad dextre formandas & intelligendas orthodoxarum Eccleſiarum leges.* Hamb. typis Michaëlis Piperi. 1650. 12.

De vita atque obitu M. Severini Sluteri, *Verbi Divini Miniſtri. Inſerta ſunt quadam quæ ad ipſam diſſertationem attinent, ut de quæſtione*: Num

Num in Vocationibus Miniſtrorum Verbi Divini major ratio debeat haberi civium, eorundemve filiorum quam extraneorum. *Ibid. 12. & in memoriis Theologorum Henningi Wittenii p. 1042. ſeq.*

Vindiciæ ſententiæ quod in Electionibus Miniſtrorum Verbi Divini, popularium præ externis (ſi cætera ſint paria) non præcipua habenda ſit ratio, Hamb. typis Mich. Pfeiferi 1650. 12. Oppoſitæ ſunt hæ Vindiciæ libello quem de hoc argumento adverſus Conſultiſſ. Sluterum ediderat Rev. Jo. Stemannus, Diaconus ad S. Petri ædem.

Animadverſio in Hippolyti à Lapide) Philippi Bogislai Chemnitii, qui Martini Chemnitii, magni Theologi nepos & Hiſtoriographus regni Sveciæ fuit) *diſſertationem de ratione ſtatus in Imperio noſtro Romano Germanico. Hamb. impenſis Zachariæ Hertelii. 653. 12.*

Per annos ſedecim functus eſt munere Aſſeſſoris in ſupremo potentiſſimi Regis Svecorum quod Wismariæ eſt Tribunali, nec non dignitate & officio Præſidis Conſiſtorii Eccleſiaſtici, deinde Sereniſſimo Megapolitano Duci Guſtavo Adolpho à Conſiliis ſanctioribus fuit per annos decem, Cancellariæ etiam Meklenburgicæ director, donec cum Reſp. Hamburgenſis eum A. MDCLXXV. 21. Sept. Syndicum ſibi incaſſum expetiiſſet, manus tandem dedit A. MDCLXXVIII. atque die IV. Februarii vocatus ita acceſſit ut titulo Conſiliarii Reip. utere-

retur, & apud jam memoratum Principem Conſiliarii intimi dignitatem ſervaret. Ad Conſulare faſtigium evectus eſt A. MDCLXXXIV. die XI. Junii, & acerba ſub extremum expertus fata animam DEO reddidit A. MDCLXXXVI. die XXI. Octobris, tumulatus in æde D. Jacobo Majori ſacra prope Parentis ſui τῦ μακαρίτυ cineres. Matrimonium inierat cum Virgine Nobiliſſima *Eliſabetha*, *Matthæi Traineri* Mercatoris integerrimi celeberrimique filia unica, quæ An. MDCXXVI. Calendis Maji nata, ſexto decimo poſt maritum anno placide exſpiravit MCCII. die XXV. Julii. Filias ſuſcepit tres (quarum una Maria Anna nupta Viro Nobiliſſimo D. *Andreæ Curtio*, * in illuſtri munere apud Aulam Megapolitanam Magnifici Soceri ſucceſſori:) Filios totidem reliquit *L. Severinum Waltherum Sluterum*, Paſtorem ac Superintendentem Generalem Saxo Lauenburgicum meritiſſimum, & ſcriptis in lucem editis celebrem, ipſis Natalitiis Salvatoris noſtri A. MDCXCVII. denatum, de cujus vita & ingenii monumentis conſulere juvabit ſumme Rev. Theologi & ſacrorum Saxonicorum Antiſtitis D. Henrici Pippingii Memorias Theologorum noſtræ ætatis p. 1380. *Matthæum Sluterum* J.U.D. ſcriptis itidem ** præclaris & dignitate Ampliſſima Senatoria quam in Patria gerit inſignem, & *Davidem Sluterum*, J.U.D.

* Confer Cl. Frid. Thomæ Analecta Guſtrovienſia parte 2. p. 122. & 85.

** Horum Catalogum vide ſis in Novis Literariis Hamb. Anni MDCLIII. p. 76. ſeq.

SUPRE-

SUPREMUM OFFICIUM
MEMORIÆ MERITISQUE
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMIQUE,
DOMINI
JOACH. LEMMERMANNI
INCLYTÆ REIPUBLICÆ
HAMBURGENSIS PER ANNOS
VIGINTI CONSULIS OPT.
MERITI,
CUM OCTOGESIMUM ET PRIMUM ÆTATIS ANNUM SUPERGRESSUS IN COELESTEM CURIAM D. XXVIII. MART. A. C. M DCC IV. PLACIDA MORTE AVOCARETUR,
PERSOLUTUM
A
GEORGIO ELIEZER EDZARDO,
GR. L. ATQUE HISTOR. PROF.
P. ET H. T. RECTORE.

HAMBURGI,
Typis Conradi Neumanni, Amplissimi Senatus & Gymnasii Typogr.

Mem-

MEmbrorum in corpore humano tam arctum eſt vinculum & concatenatus nexus, ut nec ullum alterius miniſterio queat carere, nec lætari poſſit ullum, altero aut male affecto aut prorſus emortuo. Sunt quæ communi conſenſu abjectiſſima eſſe videntur, quorum tamen uſus eſt longe maximus, & neceſſitas tanta, ut absque illis toti ſyſtemati brevi temporis ſpatio ſit pereundum. Quæ autem ſublimiori loco natura locavit, horum non eadem modo eſt neceſſitas, verum uti uſus honoratior, ita etiam dignitas major a cunctis cenſetur. Aſt omnibus iſtis facile caput antecellit, quod in ſummo poſitum curam totius corporis gerit, ſubjectisque partibus de neceſſariis proſpicit, & ita eas moderatur, ut conſulant in commune, conferantque quod ad totius conſervationem proficiſci a qualibet earum poteſt. Hic inſtrumenta ſenſus præcipua ſunt, quæ ſingula, quid ſalutare homini ſit, quid minus, quid admittendum, quidve vitandum, ſolicite explorant. Hic oculi quaſi in ſpecula ſunt conſtituti, ut ſi vel de longinquo aliquid videant, a quo metuenda noxa ſit, monitores ad avertendum malum exiſtant. Hic lingua ſortita locum eſt, quæ corporis neceſſitates exponit, conſilia rogat, cavetque guſtu, ut ad viſcera non deſcendat, quod damnoſum ulli eorum eſſe videatur. Hic auribus ſedes eſt, quæ ſingulis patent momentis, obſervaturæ ſi quid alicubi proferatur, quod vel converti ad ſalutem queat, vel anteverti matu-

ro

ro consilio debeat. Hic narium quoque situs, per quas non modo aer spiritibus animalibus necessarius in cerebrum intrat, sed & in pulmones demittitur, ad cordis refrigerium & vitalium spirituum generationem, insuperque olfactu investigatur, quid naturæ humanæ conducibile, aut adversum ei molestumque sit futurum. Accessit ad hæc universale illud sentiendi organon cerebrum, quo res ab externis sensibus, atque ipso etiam tactu exploratæ, percipiuntur, perceptæ ad examen revocantur, examinatæ dijudicantur, & quo loco habendæ sint intima agendi vi declaratur. Quæ licet tanti sint momenti, ut capitis super reliquas partes eminentiam abunde doceant, majora tamen supersunt, quæ ut porro breviter commemoremus, a scopo nostro non erit alienum. In eodem enim animales spiritus generantur, qui in reti mirabili & magis adhuc in plexu choroïde præparati, inque medullæ oblongatæ cavitate (quam ventriculum nobilem appellare anatomici solent) elaborati, continentur in cerebro tanquam in suo promtuario, ibidemque in usus totius corporis conservantur. Nervorum quoque συζυγίαι e medulla cerebri oblongata (quæ intima ejus pars est) oriuntur, & ita oriuntur, ut decem solummodo paria intra ipsum cranium existant, triginta autem in corpore reliquo pro motu omnium ejus partium numerentur. Nam & ipsa illa medulla, quam nervorum omnium principium esse & intra cerebrum

brum naſci diximus, non tamen intra illius limites ſe continet, ſed extra calvariam progreſſa in ſpinam quoque dorſi illabitur, omnesque ejus vertebras a prima cervicis usque ad ultimam oſſis ſacri replet. Eadem mediante animales ſpiritus deſcendunt e cerebro, & per nervos tanquam canales derivantur ad membra universa, iisque & ſentiendi & movendi facultatem dant, adeo ut ſi vel in principio vel ex toto nervi obſtruantur, confeſtim oriatur apoplexia, ſin ex parte, tamen in aliqua parte ſenſus motusque privatio ſubſequatur. Ita omnia a directione capitis pendent, qua ſublata ceſſant ſtatim ab officio partes, ſenſuque & motu privantur; prorſus ad eundem modum, quo iſta quæ manu agitamus cujuscunque generis inſtrumenta motu deſtitui cernimus, ut primum manuum directio deſinit. Quid quod nobiliſſima illa noſtri pars anima, cujus etſi intra nos exiſtentis naturam atque excellentiam ipſi non valemus aſſequi, rationales ſuos actus in cerebro edat, cogitando, intelligendo, judicando, ratiocinando & volendo, adeo ut vel ex ea cauſſa cerebro potiſſimum & immediate jungi dicatur, licet alias illam toti corpori jungi dubio omni vacet? Unde fieri aliter nequit, quin langveſcente capite totum corpus langveſcat, capite autem ad lapſum inclinante, totum quoque corpus, ni mature ſubveniatur, triſtem ruinam protinus minetur. Sed veniendum ad illud eſt, cujus gratia hæc ſumus exorſi. Homo mi-

crocosmus est, vel ut propius ad institutum nostrum dicamus, Reipublicæ imaginem gerit. Quod enim in corpore humano sunt membra, id hic cives sunt atque civium societates, aliæ quidem aliis digniores, singulæ tamen tales, ut carere illis Respublica absque insigni detrimento nequeat. Sed necessitas nulla major est quam capitis, sive unum illud sit, sive ejus locum plures expleant. Hos DEUS ipse in sublimi posuit, ut vicibus ejus in terris fungantur. Ab his cuncta illa ad Rempublicam redundant bona, quæ non ab externis modo internisque sensibus sed & a rationalibus animæ operationibus ad hominem redeunt. Agunt enim pro salute illius excubias, prospiciunt, audiunt, cogitant, deliberant, judicant, omnem denique curam solicite adhibent, ut quæ ad florem ejus faciunt promoveantur, avertantur autem quæ obstare eidem ulla ratione queunt. Ab his nervi rerum sunt & civium concordia, quam non immerito compares medullæ, quæ ex intima cerebri parte procedens ad universum corpus derivatur. Uti enim illa non caput tantum jungit dorsi spinæ, huiusque vertebras quasi vinculo quodam communi sociat, sed & nervos omnes ex se generat quotquot in corpore humano dantur, perque hos animales spiritus e cerebro acceptos ad membra transmittitt, ut consonus in illis motus ad arbitrium animæ rationalis excitetur, ita concordia indefesso Procerum studio promota vinculum illud est, quo

Cives

Cives & inter se & cum capite uniuntur, eosque ita animat, ut conformi motu ad commune bonum amice conspirent. E quibus satis manifeste apparet, singulis quibus salus publica cordi est, nihil prius esse debere, quam ut iis qui capita sunt Reipublicæ suus constet honos, debitaque reverentia a cunctis qui subsunt persolvatur. Quo majora autem ab illis ad cives universos resultant commoda, eo majori etiam luctu prosequendi sunt, si contingat, præsidio illorum & cura orbari patriam, quando post vitam laudabiliter actam & superatos plurimorum annorum labores ad arbitrium Supremi Capitis (a quo omnia quæ in cœlis & terra sunt dependent) ad alias sedes avocantur. Atque tale quidem caput, quod e summis erat, nunc amisimus, Virum Magnificum, Nobilissimum, Amplissimum, Prudentissimumque, DN. JOACHIMUM LEMMERMANN, SENATOREM per annos septem, CONSULEM vero per annos viginti optime meritum Æquum proinde est, ut lugeat patria ejus obitum, quandoquidem non uno aut duobus, sed quinque & amplius lustris, multa cum laude ei præfuit, laboribus nullis pepercit, molestias vero plurimas, quæ nunquam non summos istos honores comitantur, in summam usque senectutem animo infracto devoravit. Nostrarum quoque partium est, ad luctum communem accedere, & quam carus nobis B. CONSUL fuerit, testari lineolis, quæ vitæ ipsius imaginem ex-

exprimant, gratæque memoriæ qualitercunque conſervandæ inſerviant. Exiit autem in hanc lucem A. ſuperioris ſeculi ſupra vigeſimum ſecundo, d. 18. Septembris, ſocietatem hominum in hac ipſa urbe ingreſſus, cui non Civem ſolum dedit, ſed & Senatorem atque Conſulem. Pater ipſi fuit Vir ſpectatiſſimus & honeſtiſſimus JOHANNES LEMMERMANN, clarus negociationibus ad Hiſpanos Luſitanosque, atque e Præſidibus conventus Mercatorum, qui Hamburgi eſt, unus. Matrem habuit CATHARINAM, e notiſſima ſtirpe ELBSTORBIORUM prognatam, fœminam pietatis modeſtiæ & caſtitatis laude neminſ matronarum poſtponendam. Ex his civilis ſocietatis primordia accepit. Sed Major ſtatim ipſum excepit felicitas. Curantibus enim piis Parentibus, ut ſacro fonte a peccatis abluereturs membrum factus eſt myſtici corporis, cujus caput Chriſtus eſt, vinculum commune fides, quæ membra omnia inter ſe & cum capite unit, anima autem Spiritus Sanctus, qui Spirituale hoc corpus vivificat regitque. Teſſera felicitatis hujus Spiritualis JOACHIMI nomen manſit, quo nullum aptius imponi NOSTRO potuit ad ſignandam perpetuam cum CHRISTO communionem, quandoquidem ex parte DEI indubiam fidem facit, certocertius iri ad impletum, quicquid ab ipſo fuit promiſſum, atque per Spiritum Sanctum in regenitis cœptum. Nec deinceps intermiſerunt quicquam Parentes, quod ad felicem educatio-

nem filioli ſui facere videretur. Cum adoleſcere incepiſſet, nec docile ingenium nec diſcendi ſtudium in ipſo deſiderarunt? adfuerunt etiam quæcunque ſpem multæ eruditionis excitare de ipſo poterant, ſi animo ſediſſet, ſtudiis ipſum conſecrare. Sed prævaluere rationum pondera, quæ ut ad mercaturam applicaretur, fortius perſvaſerunt. Quæ licet expromere hujus loci non ſit, non poſſumus tamen, quin conſilium optimorum Parentum probemus, quam rectiſſime judicantium, urbem mercatura florentem non modo ornatam eſſe debere Viris eruditionis laude conſpicuis, qui Eccleſiæ præſint atque jura dicant., ſed peritis quoque negociatoribus indigere, qui florem civitatis a Majoribus divina benedictione partum conſervari atque ad poſteros propagari allaborent. Talis autem ut evaderet NOSTER, non continuit ſe intra Patriæ mœnia, ſed adiit nobiliſſima Germaniæ emporia, & ante reliqua ocellum Imperii Noribergam, (quam divina benignitas protegere, atque ab hoſtium inſultibus illæſam conſervare dignetur,) ſubſtititque in aliis ultra decennium, talem ſe ubique præſtans, ut gratus fuerit omnibus, quibuscum ipſi commercium intercеſſit, & abiens etiam ſui deſiderium reliquerit. Redux dehinc inſtitit Parentis ſui veſtigiis, negociationesque per Germaniam atque ad remotiores Hiſpanos continuavit, non minori fide quam ſedulitate agens, ut & conſcientiam ſervaret illæſam, & bonam famam a majori-

joribus acquisitam tueretur. Cum vero res suas firmasset, sociam tori A. MDCLI. legitimo conjugii vinculo sibi copulavit, Virginem omni virtutum genere decoratissimam ANNAM BORCHSTEDIAM, cum qua per totos triginta & quatuor annos vixit arctissime, susceptis ex ea quinque filiis & totidem filiabus, e quibus tamen non nisi tres hodie restant, filius unus JOHANNES HENRICUS LEMMERMANN, omni nisu id agens, ut Magnifici parentis sui fulgori respondeat, duæque filiæ Nobilissimæ, quarum natu major Virgo lectissima CATHARINA juncta fuit HENRICO CRONENBURGIO Civi atque mercatori primario, qui ante paucos annos in vivis esse desiit, altera quæ natu minor est, excellens Virgo ELISABETA nupsit GEORGIO a LENGERKEN, Negotiatori præcipui nominis, eoque post biennium ad meliorem vitam translato, Viro summe Reverendo, Magnifico, Nobilissimo Consultissimoque DNO PETRO WESTERMANNO, JCto Consummatissimo & Reverendi Capituli Cathedralis DECANO maxime spectabili, cum quo ex animi sententia vivit suavissime conjunctissimeque. Vidit etiam NOSTER ex utraque florentissima filia nepotem unum in infantia mortuum, & neptes tres, quarum duæ CATHARINA ELISABETA CRONENBURGIA & ANNA CATHARINA WESTERMANNIA Virgines præstantissimæ superstant, atque in solatium Parentum suorum

feliciter ſuccreſcunt. Soletur benigniſſimum NUMEN cariſſima nomina hæc quotquot ſuperſtant omnia & ſingula, cum ſorore τῦ μακαρίτου mœſtiſſima, cæterisq; omnibus qui Ampliſſimæ huic familiæ ſunt innexi, ſervetque illos & ſoſpitet, ut B. CONSULIS ætatem attingant & ſuperent. Mortua A. MDC LXXXV. priore Conjuge deſideratiſſima, quæ toties illum Parentem fecerat, per triennium quidem viduum egit NOSTER, inde vero ſecunda vota tranſiit, ſolennibus nuptiis ſibi An. M DC LXXXVIII. adjungens Virginem & genere & virtutibus ornatiſſimam HELENAM SYLMIAM: Sed A. M DC XCII. flebile ejus diſſidium iterum coactus fuit pati, cum ultra quadriennium jucundiſſima ejus ſocietate non fuiſſet uſus, nec prolem ullam ex eadem ſuſtuliſſet. Atque ſic privata ejus vita ſe habuit. Veniendum ad publicam eſt. Cum enim varia civilia munia multa cum laude per annos complures obiiſſet, & recentiſſime adhuc A. M DC LXXVII. in duodecimvirorum Collegium fuiſſet allectus, præſesque ejus conſtitutus, dignus Reipublicæ Proceribus fuit viſus, cui ſors ex urna Senatoria eodem adhuc anno exiret, quod factum feliciter d. 19. Novembris, quo in Ampliſſimi Ordinis membrum inter multorum plauſus fuit cooptatus. Inde poſt ſexennium Prætura acceſſit, quam adiit A. M DC LXXXIII. geſſeratque per ſeſquiannum indefeſſus, quando inter ſumma Reipublicæ

noſtræ

noſtræ Capita numerari cœpit, CONSULIS axiomate auctus d. 22. Auguſti An. M DC LXXXIV altero Præturæ anno nondum plene exacto. Longum foret commemorare, quanta fide & dexteritate ſummis hiſce honoribus fuerit perfunctus, quam induſtrie, quam circumſpecte, quam prudenter eos adminiſtraverit, quanta fuerit ejus erga inferiores humanitas, quantus in patriam amor, & quod omnium maximum eſt, quanta ejus in DEUM omnis boni datorem pietas. Dandum utique candido illius in Rempublicam affectui eſt, quod non modo An. M DC LXXIX. cum SENATOR eſſet, ſed & iterum An. M DC LXXXVIII. CONSUL legationem ad POTENTISSIMUM DANIÆ REGEM CHRISTIANUM V. (cujus glorioſisſima memoria in benedictione ſit) ſuſceperit, graviſſimaque ſibi commiſſa negocia non minus dextre quam feliciter ex civitatis bono & Patrum ſententia confecerit. Eſt proinde quod DEO T. O. M. grates perſolvamus, qui hunc CONSULEM patriæ amantiſſimum in ſummam usque ſenectutem conſervaverit, nec conſervaverit tantum, ſed vegeta etiam ſenecta donaverit, iisque inſtruxerit viribus, quæ arduo iſti quod ſuſtinebat muneri ſufficerent. Non oculorum aciem ipſi hebeſcere, nec aurium ſenſum debilitari animadvertimus; non animus continuis laboribus fuit fractus, nec corpus ipſi cauſſarium per ætatem redditum: ea ſenex præſtitit, quæ a juvene vix exſpectari majora

poterant. Atque hoc DEI ſolius beneficium eſt ; cui & illud unice eſt acceptum ferendum, quod viribus tandem a morbi violentia abſumtis, ſenſus tamen ad extremum usque vitæ remanſerint integri. Incubuit ante tres circiter hebdomades febris , quæ temporis progreſſu tantum non in continuam abiit , tantoque impetu irruit , ut nec medicamentis vehementia ejus imminui , nedum averti prorſus potuerit. Hinc vires quidem paulatim ſunt proſtratæ , at ſenſuum uſus perſtitit illæſus , acciditque adeo & hæc morituro felicitas, ut ſacro epulo refectus inter continuas non ſuorum tantum ſed ſuas quoque preces animam SALVATORI ſuo reddere potuerit. Sic vitam clauſit NOSTER d. 28. Martii , cum rariori exemplo annum ætatis octogeſimum primum ſeptem menſibus ſuperaſſet,& Conſulares faſces per viginti annos laudabiliter geſſiſſet. Equidem ſatis diu (Seneca dicente) vixit , qui bene vixit. De NOSTRO autem utrumque dixeris,& diu vixit , & bene vixit. Sed nunquam melius atque nunc, poſtquam etiam bene eſt mortuus , vitamque illam cœpit conſummate bonam , quam labes nulla inquinat, nec ulla moleſtia turbat. Hæc perennis vita eſt, non annorum octoginta , nec ævi unius,quod rariſſime tamen explent , qui in iſta quæ in hoc mundo eſt hominum ſocietate verſantur. Exiit ex illa NOSTER,ut meliorem ingrederetur , receptus in ſocietatem Angelorum , in conſortium beatorum , imo ad ipſius

DEI

DEI conſpectum admiſſus, qui omnis felicitatis fons & origo eſt. Deſiit eſſe Reipublicæ noſtræ caput, ſed membrum myſtici corporis (quæ dignitas multo amplior eſt) eſſe non deſiit. Imo auguſtius ejus membrum eſt factus, dum ex militante in triumphantem Eccleſiam eſt translatus. Caput reclinavit, membraque ad mollem quietem placide compoſuit, ſed eriget illud ſubito, quando tuba Angelica perſonante, ipſa etiam membra animalibus iterum ſpiritibus donabuntur, nervisque inſtruentur, ut animæ redunita in perfectiſſimam illam Rempublicam quæ in cœleſti Hieroſolyma eſt tranſeant. Interea quieſcent in dormitorio ſuo, quod in æde D. NICOLAI eſt, ad quam hodie deducentur ſolennibus exſequiis, quas ut Magnifica Reipublicæ noſtræ Capita reliqua & Senatus Ampliſſimus, itemque Capita Eccleſiarum ſumme Reverenda cum Venerabili Ordine ſacro, & omnia denique Civitatis noſtræ membra honoratiora cujuscunque loci & gradus, ſua præſentia illuſtriores reddant, merita B. CONSULIS poſcunt, & nos ea qua par eſt obſervantia atque humanitate rogamus. P. P. Hamburgi A. C. MDCCIV. d. 3. Aprilis.

Carmen
PETRI RAVENNATIS,
Equitis Aurati
Et utrumque jus ordinarie legentis in Univerſitate Gryphisvvaldenſi,
AE SENATUM HAMBURGENSEM,
Scriptum circa A. MD.

*Retulit ut legimus toto Vir maximus * Orbe*
Quem noſtri ſumma relligione colunt.
Sunt tria, quæ vellem potuiſſent noſtra videre
Lumina, ſed non hoc fata dedere mihi.
Romanos rerum Dominos pulchrumque Senatum,
Roma triumphati dum caput Orbis erat.
Qui fuit è cœlo miſſus ſine ſemine natum
Atque ſalus pendens in cruce noſtra fuit.
Et Paulum linguæ reſonantem verba potenti,
Cœli dum populis diceret alta ſuis.
Tali me, fateor, gauderem tempore natum,
Quis neget? illa ætas aurea tota fuit.
*Secula ſed poſtquam Petrum ** nunc noſtra tulerunt,*
Atque Teutonico vixit in Orbe diu.
Non tria, ſed tantum Veſtras ego viſere terras,
Et non hoc, cupio, gratius eſſe poteſt.
In gravitate ſua vellem veſtrumque Senatum
Cernere, dum ſiſtit ſedibus ille ſuis.
Illic aſpicerem cum turribus ardua celſis
Mœnia,

* Notum S. Auguſtini votum videre deſiderantis Romam in flore, Paulum in ore, & CHRISTUM in carne.
** De ſeipſo auctor loquitur.

Mœnia, & immenſum templa decere DEUM.
Illic aſpicerem turbam numerumque virorum,
Vix populum tellus continet illa ſuum.
Illic matronæ ſpectantur, & agmine denſo
Sive velis Juvenes, ſive videre ſenes.
Aſpiceremque illic æquata palatia cœlo,
Quilibet immenſas cernere poſſet opes.
Hic Cives referunt concordi pace ligatos,
Non lites aliquis ſcavaque bella movet.
Magna quoq́ꝫ, ut referunt, geſtarum eſt gloria rerum,
Codicibus multis poſteritasque leget.
Hæc mihi fama dedit, ſed non, pulcherrima, vidi,
Hæc tamen ut videam det DEUS ipſe precor
Inclyta jam valeas Urbs, & celebrate Senatus,
Sint inculta licet, carmina noſtra legas.

CARMEN
HENNINGI CUNRADINI,
POETÆ HAMBURGICI AD CLARISSIMUM VIRUM DN BURCARDUM MITHOBIUM, Artis medicæ Doctorem, cognatum ſuum.

De ſitu urbis Hamburgæ, & ſtudiis ſuis.

TE, dum cura vocat patriæ, creberque frequentat
Limina celſa Ducum, vel mandas acta, Mithobi,

Claraque victuris Heroum nomina chartis:
Aut ſuccis tentas hominum producere fata,
Intendisque moras Erebo, Parcisque ſeveris:
Diſpicis aut cœlique vices, cauſasque latenteis:
Ecquid adhuc dulces pertentant pectora Muſæ?
An vetus eſt ſatiatus amor, languetve ſenecta?
An curæ impediunt? adeo tamen ille gravantis
Exhauſtus nondum ſenii vigor, ardua nec tam
Vis eſt fracta animi: quamvis nunc alba coloret
Tempora canicies, nigris aſperſa capillis,
Et niveas cani plumas imitetur oloris.
At feſſum memini curis te ſæpè moleſtis
Furari mentem, & doctis impendere Muſis,
Qui quondam puero gratus labor, una ſenilis
Nunc animi requies, & mulcens corda voluptas.
Nam tibi quæ tereti ducuntur carmina filo,
His blandæ aſpirant Charites, tinguntque lepore.
Et redolent flores; quos fert aut dulcis Hymettus,
Vel thyma quæ ſurgunt Hyblæ fragrantibus arvis.
At noſtri num reſtat adhuc tibi cura Mithobi?
Omnia dum trepido ſervent, hinc inde, tumultu,
Sæva nec obſcuras portendunt fata ruinas:
Inter & hæc verſer qua nunc ego ſorte requiris?
Quave morer terra? dum te Burcarde morantur,
Vel gelidæ valles ad amœni flumina Fuldæ,
Aut te cauſa Ducum (nec ſeris parcitur annis)
Nimbiferos celerem cogit tranſcendere montes.
Me vicina meri tibi ſepant ora ſub Arcto,
Vertice ſublimi quâ pulchras deſpicit urbeis,
Quæ pelagi ſalſas horret fera Mænalis, undas:
Merſa vadis tellus, generoſis proxima Cimbris,

Gam-

Gambriviis olim ſedes habitata colonis.
Eruta nam priſcis Peucerus nomina chartis
Tradidit hæc, doctis Peucerus nomina chartis
Ipſe ſibi pariens, famam quibus æquat Olympo.
Manſit adhuc Urbi nomen, qua proruit æquor
Albis in occiduum ſpumans, & ripa fluentis
Tunditur ambiguis, variant quia lege perenni
Unda, ſolumque vices: modo quæ ſub flumine tellus
Nusquam erat, ad ſolem emerſas mox ſiccat arenas.
Jam veluti nunquam reditura, rapacibus æquor
Curſibus unda petit, ſeſeque immiſcet aperti
Fluctibus Oceani, fundique relinquitur imum.
Vortice mox refluo terras operire retectas
Æſtuat, immiſſos vix accipit alveus amnes,
Et dubites ſalſo fluctus reſtare profundo:
Sexque vias, pontum cum lapſibus inſtuit, horæ.
Sexque vias, ponto cum lapſibus effluit, horæ.
Vis ea Lunæ tua eſt hoc jus tibi ceſſit aquarum,
Tu pelagi moderaris aquas, & liquida regna.
Fluctibus hinc variam refluentibus æſtuat æquor.
Et vada ſorpta ſemel revomit mox pectore Tethys.
Nam ſimul ad dominæ variantia lumina Phœbes
Compoſuit ſeſe facies maris, aut vada ponto
Spumea ſe tollunt, aut ſubſidentia ſenſim
Occultas petiere vias, pars exit in auras:
Sic videas minui, Lunæ cum lumine, flumen,
Augeriquè novam, ponti cum flumine, lumen.
Sed mihi non penitus mens eſt exquirere cauſas,
Quas aciem intendens ratio, liquidosque peragrans
Et maris, & cœli tractus, argutæ recluſit.
Hic tantum ſtudii curas expenere noſtri

Inſti-

Inſtituo: fors hæc exactius ordine pandet,
Naturæ rerum gnarus, cauſæque repoſtæ,
Singula diſpiciens Eſromus acumine mentis,
Argolicæ haud unquam indignus, terræque Latinæ.
Ipſe vel herboſo ducens in littore greſſus,
In mare veliferas Albim deferre carinas
Spectо, recurrenti vel ut hoſpita carbaſa ponto
Advehat, & tacto lætetur navita portu.
Aut vada nota peto, canos quibus Alſtria cygnos
Lenis alit, teneraque præcinctus arundine ripas,
Frigidulæ ſpirant riguis ubi vallibus auræ,
Solaque reſpondet riguis è vallibus echo.
Hic gelidum ad flumen ſuffultus ceſpite vivo,
Populus incumbens qua frondibus integit undam,
Incido ſteriles in lævi cortice verſus.
A Borea tamen aura favet, ripaque ſonanteis
Lenius ad numeros decurrunt Alſtrides undæ.
His mea jamdudum ſumens exordia ripis
Ranzovias, calamo deduci ſpernit agreſti,
Clangentesque tubas amat, & cupit ære cieri.
Cum vero rigidis, mens laſſa, quievit ab armis,
Integro vel molles elegos, vel læta jugalis
Gaudia decanto tedæ, vel funere merſis
Inferias ego ſolvo viris, mihi funere merſo
Quas alius ſolvet quondam, ſi ſolvet, & haud me
Sub primo ignotum rapiet mors flore juventæ.
At potius nunc læta canam, nec triſtia curem,
Floribus & dulces texant mihi ſerta Napææ.
Tuque adeo duplices, refer optima Najas, amnes,
Ingentes liquido qui cingunt agmine muros,
Dum ripis moror ipſe tuis, ſolorque labores:

Sic

Sic curæ fugient, & fallet tempora cantus.
Alter ab aurora per Cimbrica rura volutus,
Aëriis priſcum tenet Alſtria nomen ab alnis,
Secretasque ſecans valles, latus alluit Urbis
Porrectum ad gelidum Borean: hic obice valvarum
Obſtructæ cohibentur aquæ, non ſegnius unda
Gurgite præcipitat tacito, collectaque in horas
Vis creſcit fluviorum ingens, inſtarque patentis
Expaciata freti, lato diffunditur alveo.
Hinc foſſis præbentur aquæ, ſtrepitansque ſonoras
Impetit unda rotas, & agens terit bordea ſaxum.
At ſub aquis poſuére fores, quibus unda remitti,
Arcerive queat, ſuperans hinc Alſtria in Albim
Cum ſonitu ruit, & ſalſum comitatur in æquor.
Major at albis aqua, propiorque madentib. Auſtris,
Per pingues Senonum campos, Misneidaque oram,
Ulteriusque vagans per opacos ilice lucos
Antiquæ Herciniæ, quæ defert nomen & ortum
Fontibus undenis: hic totis effluit arvis,
Albis Parrhaſidum fluvius regnator aquarum.
Aut dirimit terras, aut merſas obruit undis,
Hinc merſis quoque nomen agris, quos ſæpè quotannis,
In morem Nili, ſed non ſine murmure vaſto,
Excita nimboſis fœcundant flumina ventis.
Ad notas reſidens hic Albidos accola ripas.
Solis gaudet aquis, nec præferat altera rura:
Aut capit ex imo piſces, aut dejicit alto
Figere doctus aves, magnam quas portet ad urbem.
Ardua ſed medio quâ ſol ex æthere ſpectat
Mœnia, totus obit, latéque ruentis aquæ vi,
Albis inacceſſa munimina circuit urbis.

Nec

Nec ſatis ingenti muros ambire meatu,
Quin urbis penetrat thalamos, ubi liquida tendit
Brachia multifido tractu, per tecta, viasque:
Hinc liquidæ ambages, & fluminei labyrinthi,
Aut vada roborei præſtant non invia pontes.
Huc curvas duxêre rates, mediamq; per urbem
Unda vehit puppes, & tangunt nubila mali,
Tectorum æquantes ſummis faſtigia pinnis.
At pulchræ licet humectans Hammonidos imum
Abluat unda pedem, fluvio tamen altior extat,
Nec cannis latet illa ſuis, juncove paluſtri,
Aurea turrito ſed vertice ſidera tangit,
Tectaq; magnifico cultu, ſedesq; ſuperbas
Incolit, Albiacas inter pulcerrima Nymphas.
Sed retrahas hinc Muſa pedem, majora ſuperſunt,
Quæ fruſtra brevibus tentes includere metis.
Hæc alias mihi carmen erunt, ſi quando ſolutis
Ocia ſuccedunt, verſa vice, libera curis.

CHRISTOPHORI SYLVII, ELEGANTISSIMI POETÆ DE urbe Hamburga.

URbs jacet indigenæ Stormarſo Saxonis agro,
Hic ubi transverſo vertex Aquilonius axe
Quinq; ab humo decies & partes quatuor exſtat,
Hamburgum, ſylva cui notum nomen ab Hamâ,
Inter Billa tuos, & olorifer Alſtria ductus:
Urbs antiqua, potens, qua non eſt clarior ulla
Nomine per, quotquot Germanus navigat, undas.
Namq; ſuæ matrix terræ, & velut horrea circum

Regnan-

Regnantis Cereris, promiq; penaria condi,
Per varias gentes, per regna, per oppida, fruges
Navibus exportat procul, importatq; vicissim
Omnigenas merces, & magni ponderis aurum
Albidos auspiciis, qui secto interluit amni
Mœnia vicatim, senisq; reciprocus horis
Vicina occidui petit & fugit ostia Ponti,
Quid vero terrâ & muris commercia in ipsis
Mille? quid artifices? quid propugnacula? fossas?
Turres? templa? Scholas? quid tecta fovenția morbis
Aut senio affectos inopes? quid nobile veræ
Relligionis opus? quid leges? munia patrum?
Quid populi mores? quid zythi commoda dicam
Nectarei, & victus? dignissima singula multis
Laudibus, hæc multas caperet si chartula laudes.
Pro re pauca loquar, dotata hæc cœlitus urbs est,
Quicquid enim est horum, DEus ordinis autor in illam
Contulit, & conservat adhuc ducente sequaces
Juris in obsequium cives sapiente Senatu.
Gaude ergo Hamburgum nulla minor urbe per orbem,
Pax, pietas, leges, libertas, optima dona
Te non deficient Christo duce & auspice Christo.

ALIUD.

FELICIS FIDLERI DE ALBI FLUVIO, QUI EX CONFLUXU UNDECIM FONTIUM SIVE RIVULORUM, in montibus ortus Boëmiæ, unde & nomen illi est, Hamburgam alluit ac findit, & Veterem regionem, Stadam, Kedingiam & Hadeliam, inque ejus extremitate Hamburgensium arcem Ritzenbuttel præterlapsus, suo tandem ostio ad Novum Opus, quod & ipsum sub Hamb. Urbis potestate est, una cum Visurgi in mare se exonerat; quo; ob efficacem Lunæ motum, per sex ferme horas exæstuante, cursum

ille

illerefflectit, ſuumque alveum paſſim deſertum, nonnuſpiam quoque inanem, ripasque ſiccas reviſens, aquis replet. quæ poſtea totidem horis leniter in mare rurſus defluunt vicibus perpetuis, & jucundo oculis naturæ miraculo.

Exit arenoſus Moravorum finibus Albis,
Quaq; colis ſylva cincte Boheme ſolum,
Lapſus ubi medio per rura Bohemica curſu,
Perq; nemus gelidis amne volutus aquis;
Implet inexhauſto ſitientia prata liquore,
Multaq; vicinis commoda præſtat agris.
Arva rigat, latis ubi gaudet Miſnia campis,
Et qua Saxonica gleba ſecatur humo.
Carolus inſigni conducto milite Cæſar,
Obruit hic aciem Dux Friderice tuam.
At tu, conſiliis nimium confiſus & armis,
Triſtia commoto prælia Marte geris,
Diſperguntur equi, mixtaq; ſine ordine turmæ
Diverſas quærunt hoſte premente vias.
Tu potius quam ſit ſibi terga dediſſe pudori,
Hoſtilem mavis ſuſtinuiſſe manum,
Inq; tua facie pugnando vulnus honeſtum,
Longaq; ſub Domino Cæſare vincla pati.
Nec minus Albiacis ſua prata refrigerat undis
Marchia, Lombardis quæ fuit ante domus.
Inde ſalutatis Hamburgæ mœnibus urbis
In reſluum lato funditur ore ſalum.
Nobilis, & multis felix virtutibus amnis,
Quando, tuæ laudes ut moriantur, erit?
A te progeniti fortes memorantur Othones,
Per quos tam late Teutona regna patent.

Dulce

Dulce novenarum turba cantante ſororum,
Te prope feſtivos duxit Apollo choros;
Non ſemel ad carmen properatos ſiſtere curſus
Viſus es, & lento præteriiſſe gradu.
Salve Teutonicis ô flumen amabile terris,
Cui tribuit ſummum quælibet unda locum.
Major es Eridano, nec Idaſpi laudibus impar,
Cui vehit ex imis aurea dona vadis.
Sed debere tibi Germania tota fatetur,
Quicquid ab ingenua nominis arte geris.

HEN. CUNRADINI.

DE ALSTRIA FLUVIO, QUI NON PROCUL à KOLdenkerchen, Holſatiæ oppido, miliaribus 5. Hamburgo diſtante, ortus, & Eppendorp ac Hervſtehude præterfluens, olorifer, Hamburgæ urbis Aggerariam portam ſalutat; ubi molis frumentariis, cum ſuperioribus tum inferioribus circumactis, in Albim tandem delabitur. Eum Senatus Populusque Hamburgenſis, una cum rivulis Barnebeke & Elenbeke, omnique jurisperti nentia, à Wagriæ Comitibus Joanne, & Adolpho, ab Henr. Reventlo Segebergæ poſtea trucidato (cujus filius Adolphus ultimus Wagriæ Dominus, Anno Chriſti 1390. Hamburgi ſepultus eſt(ſibi A. Ch. 1307. comparavit.

ALSTRIA DE SEIPSO LOQUITUR.

NOn procul à templo, frigus cui nomina fecit,
Ilndarum primus fons & origo mihi eſt.
Inde ſed Hamburgi tandem commiſceor Albi,
Servioq; haud parva commoditate molis.
Illic de me etiam coquitur cereviſia, quæ mox
In loca devehitur multa, ſapore placens.

SYMBOLA, QUÆ URBIS HAMBURGENSIUM PORTÆ LITERIS AUREIS oſtentant.

MILITIANA PORTA.

Da Pacem Domine, in diebus noſtris.

Libertatem, quam peperere majores, digne ſtudeat conſervare poſteritas.

ANSGARII PORTA.

Juſtitia ſine Prudentia multum, Prudentia ſine Juſtitia nihil
Ad fidem faciendam valet.

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.

AGGERIS PORTA.

Roboris vinculum & Libertatis pignus Concordia.

Tantum perge DEO fidere, ſalvus eris.

Lob

Lob
und
Lebens-Entwurff
Des
Hoch-wollgebohrnen Herren/
HERREN
HENRICHS
Freyherrn von Welwig/
Erb-Herren zu Wiedendorff / Zahrensdorff / Blücher / und kleinen Timpken-Berg.
General-Lieutenants und gewesenen Ober-Commendanten der Käyserlichen freyen Reichs-Stadt
HAMBURG/
Als des wollseeligen Herrn verblichener Cörper am 12. Febr. dieses 1696sten Jahres in der St Michaelis Kirchen in Hamburg beerdiget ward/
Zu gebührendem Nachruhm des wollseelig Verstorbenen / und Trost der sämtlichen Hinterlassenen / und über diesen Todes-Fall hertzlich Betrübten / auff Begehren eingerichtet
Von
C. H. Postel. Lt.

HAMBURG/
Gedruckt bey Nicolaus Spieringk/ im Jahr 1696.

DAß Verstand und Tapfferkeit die beyden Angel-Sterne der gantzen Staats-Weißheit seyn / und daß an diesen der Himmel eines gemeinen Wesens / ja so viel / als an dem Nord- und Süd-Stern der Sitz der göttlichen Allmacht sich drähe / wird bey Staats-Klugen weniger bestritten / als bey denen Natur-Verständigen des Himmels Umwaltzung angefochten wird. Denn so wenig als ein Rad der Achsen; ein Gebäu der Seulen; ein Schiff des Ruders; ja der Mensch selbst eines ihn vernünfftig beherschenden Geistes entbehren kan; eben so wenig kan auch der Stand eines Geschlechts / einer Stadt eines Königreichs / ja der gantzen Welt / dieser / nachdem sie wohl oder übel gebrauchet werden / ihm Glück und Unglück spinnenden Parcen entbähren. Was ist Verstand ohne Tapfferkeit? Nichts als eine zwar liebliche Rose / deren Stock aber mit keinen Dornen / zu ihrer eigenen Beschirmung gewaffnet. Er gleichet dem zarten Melonen-Gewächse / welches an und vor sich selbst gantz unvermögen seine angenehme Frucht dem Gärtner mitzutheilen / wo nicht ein gläserner Helm ihm vor dem rauhen Wetter zum Schutz dienet. Ist also Verstand ohne Tapfferkeit die Gabe der Furchtsahmen / die aber einem Staat weder in Kriegs- noch Friedens-Zeiten Vortheil schaffen. Hergegen hat Tapfferkeit ohne Verstand / der Welt allemahl mehr zur Verwüst- als zur Erhaltung gedienet. Denn sie ist zwar ein schönes wohlgewetztes Schwerd / welches aber von einem ohnmächtigen oder unverständigem Arm geführet wird / und also den jenigen am erst en verletzet / der es gebrau-

gebrauchet. Und wird ein Fürſt / der ſich mehr auff die vor ihn tapffer ſtreitende Fäuſte / als auff die ihn klüglich rathenden Sinnen verläſt / vor ſeinem Throne eher Grabes- als Sieges-Zeichen auffgeführet ſehen. Wann aber dieſe beyde recht himmliſche Gaben / wie unzertrennliche Schweſtern verwand ſind / können ſie den Nachruhm deren ſchon mehr als vor tauſend Jahren verſtorbenen Helden / auch in dieſer Sterbligkeit faſt unſterblich machen. Der Africaniſche Scipio hätte niemahls durch die Tapfferkeit allein / den / nicht nur dem Nahmen / ſondern auch der Natur und Eigenſchafft nach / Africaniſchen Hanibal / überwunden / (weil dieſe Länder mehr verwüſtende als bezwingende Eigenſchafften bey ihnen um die Wette ſtritte) wann nicht der Verſtand ihm den Sieg erworben / indem er gar wohl mit den Augen der Staats-Klugheit ſahe / daß Africa nirgends als in Africa bezwungen / und Hannibal vielehr durch ſchöner Italiäniſcher Frauen / als tapfferer Römiſcher Männer Armen könte zergliedert werden. Durch dieſe beyde verſchwiſterte Tugenden / erbauete / befäſtigte und verſetzte auf ſeine Nachkommen / der groſſe Käyſer Auguſtus ſeinen Stuhl / welchen er mit ſo viel Ruhm und ſo viel Jahren beſaß / daß wenige ihm gleich gekommen / und keiner in beyden zugleich ihm vorgegangen. Was vor ihm der kluge Pompejus / und der tapffere Cäſar nicht vermochten / nemlich nur dem Römiſchen Reich / nach ihrem Belieben Krieg und Frieden zu geben / hat er allein ausgerichtet / indem er den Tempel des Janus / wann es ihm gefällig / ſchloß und öffnete: und alſo nicht nur dem Römiſchen /

sondern fast allen Reichen der Welt Frieden und Krieg mittheilete. Cäsar weinete vor Verdruß/ wie er zu Gades im Tempel des Hercules des grossen Alexanders Ehren-Seule sahe; weil dieser schon in solchen Jahren die Welt bezwungen/ da er noch nicht einmahl zu herrschen angefangen. Und Pompejus rühmte sich/ daß er mit einem Fuß-Stoß gantz Italien erschüttern könte. Aber ihrer beyder Ehrsucht war nur geschickt/ den grösten und besten Theil der Welt in Unruhe zu setzen; nicht aber den kleinsten und vornehmsten Theil ihres Leibes mit Ruhe ins Grab zu legen. König Ludwig der elffte/ welcher mit recht den Nahmen des Frantzösischen Trajanus führen kan/ konte durch Staats-Klugheit dem tapffern und streitbahren Hertzog Carl in Burgund die Stirne bieten; Hergegen konten die an Verstand sich allen Menschen vorsetzende/ die Kühnheit aber versäumende Sinesen/ denen Barbarischen Tartarn keinen Widerstand thun. Wie aber die Welt mit dreyen in diesen Tugenden vollenkommenen Helden/ nemlich mit einem unüberwindlichem Carl dem fünfften/ im Römischen Reich; mit einem tapffern Franciscus dem ersten/ in Franckreich; und mit einem unverzagten Soliman auf dem Türckischen Thron/ besetzet war/ da hatte jedweder das Vermögen seine Herrschafften in Wollstand/ und seinen Nahmen in ewigen Nachruhm zu setzen/ zugleich aber zu verhindern/ daß keiner von ihnen der andern beyden vollkommen Meister werden konte. Von solchen Bildern nun so grosser Fürsten/ nehmen mit grösterm Fug/ die vor sie und bey ihnen kämpffenden Helden/ das geschickteste Muster

ihrer

ihrer eigenen Aufführung. Dahero sie auch schon vor Alters würdig gewesen/daß derselbige Halß/welcher den August besungen/ auch den Mezönas gerühmet; Und die Feder welche den Honorius verewigt/ auch dem Stilico unsterbliches Lob zu geleget hat. Ein gegenwärtiges Beyspiel/ zeiget sich in unserm werthen Hamburg/ an dem Wohlgebohrnen Herrn General-Lieutenant/ Herrn Henrich Freyherrn von Delwich/bey dem der Lauff seines gantzen Lebens von der Wiegen an/ biß auf die Leichenbahre/ mit grösterm Ruhm/durch diese alleredelste Führerinnen/ich verstehe durch Verstand und Tapfferkeit/ unvergleichlich ist gemachet worden. Zu diesem preißwürdigen Leben/hat seine adeliche Geburt nicht den geringsten Anfang gemacht. Denn wie ein hochfliegender Adler/ von keiner erschrockenen Taube/und ein tapfferer Leu von keinem furchtsamen Haasen kan erzeuget werden; also muß auch ein grosses Gemüth nicht allein den Jupiter oder die Sonne bey seiner Geburths-Stunde in einem glücklichen Stande/ sondern vielmehr die Gaben seiner Vor-Eltern zur Saat/ seiner mit der Zeit aufwachsenden Aehren haben. Es ist der wohlseelige Herr entsprossen aus einem alten Adelichen Geschlechte des Hauses von Delwich/ dessen Sitz in der Marck am Ober-Rhein gewesen/ von dannen einer seiner Ahn-Herren/ der Hoch-edel gebohrne Herr Melchior von Delwich zu Delwich/mit dem Heer-Meister Teutschen-Ordens vor einigen hundert Jahren nach Liefland gekommen. Er hat aber mit Verwechselung des fruchtbahren Bodens seines Vaterlandes gegen den kalten Strand des Baltischen

Meers/die Tugend seines Stammes nicht verschlimmert; sondern wie ein tapfferer Aeneas der das wollüstige Phrygien verläsſet und ein rauhes Latium erwählet; hat er aus einer so safftreichen Wurtzel/seinen Zweigen die Art ihres Stammes nur mehr und mehr eingeflösſet. Ein Zweig dieses edlen Baumes nun war der wohlgebohrne Hr. Wolter von Delwig/ welcher im 16ten dieses Jahr-Hunderts / mit einer an Tugend und Weiblichen Vollkommenheiten reichen Tochter / des wohlgebohrnen Hrn. Georg von Berdin/Nahmens Dorothea sich verehlichte. Wie nun diese Dorothea ihrem Ehe-Herren / nicht allein dem Nahmen nach/sondern auch in der That eine Gabe GOttes war/also begabte sie auch denselben durch GOttes Güte / im Jahr 1620. am 15. des Herbst-Monaths / mit einem Vater- und Mutter-ähnlichen/ das ist / schönem und liebwehrten Sohne/welchem in der Heil. Tauffe / zum Siegel des mit GOtt geschlossenen Bundes/ der in Teutschland / Franckreich und Engelland an Käyser und Königen berühmte Nahme Henrich / beygeleget. Und dieser damahls gewünschte Sohn / ist der anitzo von uns betraurete wohlseel. Hr. General-Lieutenant. Wie aber das schöne Gold durch Feuer und Hammer zu seiner Vollenkommenheit muß gebracht werden; also wird auch das/ was das Glück gedencket zu erheben/ durch Unglück am besten gehärtet. Und dieses erfuhr auch dieses Bluth- und Hoffnung-volle Kind / der Todt scheidete seinen wehrten Herrn Vater gar frühe von ihm/ die gnädige Hand des Höchsten aber ließ ihm zum Pflaster dieser sonst unheilbahren Wunde seine Sorg-

und

und liebreiche Mutter / die ihn mit höchstem Fleiß / in allen seinem zarten Alter damahls am besten anstehenden Christlichen Tugenden erzoge. Daß also der wohlseel. Herr / mit recht die Antwort des Menesitheus des Iphicrates Sohnes geben könte. Der auf die Frage: wen er von Vater und Mutter am meisten liebete? diese jenem vorgezogen. Denn ob diese beyden Söhne an ihren Vätern gleich nichtes zu tadeln / so war doch des Menestheus Mutter Ursach / daß er ein Grieche gebohren; und des Herrn von Delwig seine / (da ihm das Unglück den Vater geraubet) daß er wol erzogen worden. Es hielte ihn dieselbe mit allem Fleiß zur Schulen und andern wohl-anständigen Ubungen / damit dieser geliebte Sohn nicht allein den Müssigang an sich selbst / sondern auch nur dessen Nahmen nicht kennen mögte; weil Müssigang nichts als der Spring-Brun aller Laster. Denn wäre Rom nach vielen Kriegen nicht müssig geworden / würden niemahls die Laster daselbst in solcher Menge seyn hervor gekommen. Und war des Metellus kluger Rath / Carthago nicht einzuäschern viel nützlicher dem gantzen Reiche / als der Ruhm / daß auf Carthagens Asche das Römische Sieges-Zeichen stund; weil dadurch die Schule der Tapfferkeit verstöhret / und der Garten der Wollust und der Müssigkeit gepflantzet ward. Es schlug aber diese mütterliche Vorsorge bey einem so wohlgeartetem Sohne / aus nach allem Wunsche. Daß man billig von ihm sagen mag / was von der Kindheit des Pomponius Atticus geschrieben wird: Es sey bey dem Knaben über die Färtigkeit seines Verstandes / eine sonderbahre annähmligkeit in

Gesicht und Sprache gewesen; daß er nicht allein/ was ihm gewiesen ward/ geschwinde zu begreiffen fähig / sondern öffters mit Neid seiner Mitt-Schüler/ wieder hervorzubringen geschicket war. Nach seeligem / jedoch noch gar zu frühem Hintritt seiner Frau Mutter/ist er durch diese abermahlige harte Prüfung des Glückes/ nur hertzhaffter und zu einem Krieges-Mann geschickter geworden / deswegen er auch die Kinder-Schue kaum von den Füssen abgeleget/ als er in Pohlen den Helm schon aufgesetzet. Dieses war unter dem berühmten Könige Uladislaus dem vierten. Von einem solchen grossen Könige/ (als der wegen seiner ungemeinen Tugenden / sonderbaren GOttes-Furcht; unvergleichlichen Erfahrenheit in vielen Sprachen; unsterblichen Tapfferkeit die er gegen die rauhen Moscowiten und unglaubigen Türcken erwiesen; und niemahls gnug gepriesenen Liebe zur Gerechtigkeit / der Welt mehr entzogen als abgestorben/) konte nichtes als was unvergleichlich / von seinen Unterthanen verehret; von Fremden bewundert; und von denen die um und bey ihm erlernet werden. Bey diesem grossen Helden stund unser wohlseel. Herr als ein Glied seiner Leib-Wache/und zwar nicht als einer der nur schauens / sondern der lernens halber kam / deswegen er sich auch bey drey gantzer Jahr am Polnischen Hofe aufgehalten. Wie aber die angebohrne Art eines muntern Geistes/ sehen und gesehen seyn will; also konte sich auch dieser nunmehro zu fliegen tüchtiger Adeler / nicht in den Gräntzen eines Reiches beschrencken lassen/sondern er vertauschte das tapffere Pohlen mit denen nicht nur an Schätzen/

son-

ſondern auch Künſten-reichen Niederlanden/ da er zu ſonderbahrer Nachfolge tapfferer Soldaten / nicht gleich mit dem Regiments Stab/ſondern mit der Picke und Muſkete auf die erſte Stuffe ſeiner Ehren getreten/ und in wärender fünf-jähriger Zeit/ unter der Anführung des berühmten Grafen Friederich zu Dona bey der Belägerung des Geneper Hauſſes / Beſtürm- und Erobrung der ſtarcken Feſtung des Saſſes von Gent / der Stadt Hulſt und anderer berühmten Schantzen und Schlöſſer / ſein Leben gewaget. Folglich iſt er ſeinem löblichem Triebe nach / mehr Ruhm und Ehre zu erleben in Dienſten der Crohne Franckreich getreten / da er zwar die Lilien im Wappen/nicht aber auf dem Bette gefunden. Denn er hat daſelbſt / anderer tapfferer Feld-Herren zu geſchweigen / unter der Anführung des weit berühmten Gaſſions / des ſo löblich als ſtreitbahren Turennes / und des groſſen Printzen von Conde/die Kräffte ſeiner Jugend geprüfet / und hat ſein gequetſchter Leib und die offtmahls verwundeten Glieder / die Ehren-Narben ſeiner/ in öffentlichen Feld-Schlachten / gefährlichen Belägerung und kühnen Stürmen / erwieſenen Tapferkeit/mit ins Grab genommen. Cortrick/Ypern/ Burdeaur und ander Oerter mehr / können was in Beſtürmung und Abwährung ſeine Wachſamkeit/ und ſein kühner Muth verrichtet/ der Welt bezeugen. Daß ihm auch die jenigen / deren Befehl er damahls gehorchet/den Ruhm beygeleget/ welchen der berühmte Feld-Herr der Athenienſer Miltiades nach mehr als zwey tauſend Jahren noch führet: daß er ſo wohl alten Geſchlechtes und berühmten Vorfahren / als

auch

auch eigener Sittsamkeit wegen am meisten blühete; und nunmehro in dem Alter wäre/daß nicht allein grosses von ihm zu hoffen/sondern auch die seinigen solches sicher trauen konnten. Nach dem nun in Franckreich die Schwerdter in Pflug-Schaaren / die Sturm-Hüte in Tauben-Nester verkehret/und der gewünschte Friede wiederum eingeführet worden/ da hat unser helden-müthiger Delwig / dessen nunmehro recht aufgeweckter Geist nach nichtes so sehr als höhern Ehren strebte / sich auch von dannen/ und zwar in Diensten seines Landes-Herren / des tapfferen Königs der Schweden Carl-Gustaffs begeben. Wie nun dieser das Königreich Pohlen bekriegte / hat er auff dessen Befehl und Anführung des Grafen Jacobs de la Gardie, unter dessen Regiment er damahls schon als Oberst-Leutenant gestanden / den Pohlen sehen lassen / was er in den ersten Jahren seiner Jugend bey ihnen gefasset. Nicht daß er undanckbar gegen seine Lehr-Meister gewesen / welches Laster ihm biß ans Grab unbekandt; sondern als ein getreuer Unterthan seinem Könige mit Gut und Blut biß in den Todt zu folgen. Welches er auch in der That erwiesen/und so bald sein König aus Pohlen nach Hollstein und Dennemarck seine Völcker geführet / hat er ihn mit gleichem Gehorsam begleitet. Wie tapfer er sich damahls bey Eroberung unterschiedlicher Schantzen/ insonderheit der Städte Itzehoe und Friederichs-Oede/ (deren letzten Besiegung ihm unstreitig allein die gröste Ehre gebühret) mit Hindansetzung seines Lebens und tödtlicher Verletzung seines Leibes erwiesen/können noch lebendige Zeugen / die es mit ihren Augen

gese-

gesehen / bekräftigen. Es hatte ihn numehro das Glück und seine Verdienste schon in den Standt gesetzet/daß er tausenden zu befehlen/ und wenigen zu gehorchen hatte/ weil er die ihm anvertraueten Völcker als ihr Haupt und Obrister führete / daher er auch in solcher Würde der gefährlichen und blutigen Belager- und Bestürmung der Königlichen Stadt Copenhagen mit beygewohnet / da das Glück zweener grossen Könige am Gipfel stund/durch die unergründliche Versehung aber der allerweisesten Allmacht / so vermittelt worden / daß keiner von so grossen Stützen der recht-gläubigen Christen hat fallen müssen/ indem nicht allein diese zwey grossen Häupter des tapfern Norden vor den Krieg den Frieden erwehlet haben/ sondern auch nach der Zeit ihre welt-berühmte Kinder in eheliche Verbündniß getreten sind / von deren Häuptern der Seegen und das Glück ihrer grossen uud löblichen Väter nimmer weichen müsse. Ob nun zwar unser wollseel. Hr. Delwig mit seiner Ehre und seinem Glück sattsahm vergnüget/ so war doch dieselbe der Gnade seines Königes nicht genug. Denn nachdem im Jahr 1665. die Völcker aus Schweden abermahl nach Teutschland gesand wurden / muste der seelige Herr auf Befehl seines Königs mitgehen/ wie sie nun 4. Jahr hernach wieder zurück beruffen worden / hat er gleichfals sie wiederum müssen nach Schonen überführen. Da dann abermahl eine neue Würde seinen hohen Verdiensten zugeleget / weil er von Ihr. Königl. Majest. zum General-Major erkläret/ und dabey die Aufsicht über die Völcker und Vestungen im Stifft-Brehmen/ nebenst der Ober-

Com-

Commendanten Stelle in Stade aufgetragen worden / welche ansehnliche Bedienung er mit höchsten Ruhm biß 1675. verwaltet. Wie nun die Völcker auf Befehl ihres Königes in die Marck-Brandenburg geführet wurden/ hat er abermahl seine Färtigkeit und tapferes Gemüht sehen lassen / und weil die daselbst vorgefallene Begebenheiten nicht allein vielen in frischem Gedächtniß/ sondern noch gar vor Augen schweben / ist es unnöhtig / deren weitläufftiger zu erwehnen/ nur dieses ist zum Ruhm unsers tapffern Delwigs zu erinnnern / daß seine Mannhaftigkeit ihm daselbst abermahl eine höhere Ehren-Stuffe/ nemlich eines General-Lieutenants erworben. In welcher Würdigkeit er auch / nachdem er aus bewegenden Ursachen / und mit vieler tausenden Bekümmerung / die ihn als ihren Vater nachsahen / die Dienste der Kron Schweden verlassen / in unsere werthe Stadt zum Ober-Commendanten aufgenommen worden. Wie aber ein kostbahres Kleinod nicht nur viel Bewunderer / sondern auch viel Begehrer hat; so ward auch dieser tapffere Mann unserm edlen Hamburg bald mißgegönnet / und durch Aufdringung mehr und mehrer Ehren gar wiederum entzogen. Denn was ehmahls die Tapfferkeit der Griechen in den Augen ihrer Nachbaren/ solches ist mit Zustimmung aller Völcker anitzund die Teutsche in gantz Europa. Und wie ehmahls Artaxerxes Mnemon den Aegyptischen König Acoris mit Krieg überziehen wolte / muste das berühmte Griechenland seinen tapfferen Iphicrates ihm zum Heerführer überlassen. Schätzte nicht Xerxes den Griechen Themi-

stocles

stocles so hoch / daß ihm drey gantze berühmte Städte zu seinem Unterhalt gegeben wurden ? Also hat Teutschland ohne Wiederrede zu dieser Zeit/ bey frembden Völckern dergleichen Ehre. Wann wir nicht die Zeiten unserer Väter/ sondern nur die nechst verstrichenen Jahre / ja die gegenwärtigen Stunden ansehen / gibt uns der Durchlauchtige Hertzog von Plön ein gantz unsterbliches Beyspiel. Das Gedächtniß des vor seinen GOtt- und König-sterbenden preißwürdigen Hertzogs von Schomberg/ der Teutsches Blut vor Franckreichs/ Portugals/ und letzlich Engellands Wolfahrt vergossen/ ja das ewig-währende Lob des tapffern Grafen Königsmarck der Teutschen Ruhm gar in Griechenland getragen hat / ist noch täglich vor Augen. Und unser seelig-verstorbene Herr Delwig bekräftiget durch seinen Lebens-Lauf dieses mit mehren. Der Holländische Staat zog ihn zu sich/ ehrete ihn mit so viel Zeichen der Hochachtung / daß auch der Ehrgeitz selbst / welcher doch allemahl von ihm entfernet / nichts weiter zu verlangen könnte fähig seyn. Wie man nun seine hohe Verdienste täglich mehr erkennete/ und in allen Stücken verspührete/ daß er recht wie ein anderer Themistocles nicht weniger färtig in Sachen auszuführen als auszusinnen/ und so geschicket vom Gegenwärtigen warhaftig zu urtheilen/ als vom zukünftigen verständig zu muhtmassen / haben die Hochmögenden Herren Staaten ihn in beyden Frantzösischen Kriegen/ als ihren Aug-Apffel geschätzet / als ihren rechten Arm aber zu ihrem Schutz und der Feinde Schaden gebrauchet. Mons kan in dem ersten Kriege mit

Franck-

Franckreich bezeugen / wie er dem Frantzösischen Hannibal / dem streitbahren wachsamen und verschmitztem Hertzog von Luxenburg / der alle seine Lands-Leute / wie Hannibal die Africaner in diesen Tugenden übertroffen / sich wiedersetzet / und wie diesen Fabius ; also unser tapfferer Delwig den schlauhen Luxenburg nicht allein wie jener aufgehalten / sondern gar abgetrieben. Im letzten Kriege aber/kan nebenst vielen andern Orten/ Käyserswerth und Bonn ihm zum unvergänglichen Ruhm seines Helden-Muhtes dienen. Der grosse Friedrich Wilhelm/ dessen Thaten der Feinde schrecken / und der Unterthanen Trotz war/ ja dessen ewiger Nahme annoch allen zur Bewunderung dienet / hat ihn nach Blut- und Feuer-reicher Eroberung der vesten Stadt Bonn mit seinem Brust-Bilde zu beschencken gewürdiget. Wie er bey Fleury dem scharffsichtigen Luxen/ ich sage dem Hertzogen von Luxenburg / abermahl müste unter Augen gehn/ war zwar die gerechte Sache auf der Vereinigten / das Glück aber auf seines Sohnes / nemlich des Luxenburges Seite / und können die jenigen / welche von seinen Völckern damahls nicht auf dem Bette der Ehren Leuen-mässig gestorben/ annoch unsers kühnen Helden Muht/ hurtige Entschliessung und glückliche Ausführung nicht gnugsam rühmen. Denn Herkules/ sagten die Alten / könte nicht gegen zweene/ hier aber hat dieser tapffere Mann mit den Seinigen zum minsten gegen drey streiten müssen/ daß also in solcher Gelegenheit/ etwas noch zu erhalten/ grössere Kunst und Geschicklichkeit erfordert wird/ als bey lachendem Glücke eine

Feld-

Feld-Schlacht zu gewinnen. Solche unschätzbahre Tugenden nun / erwarben diesem ruhmwürdigen Manne/ bey allen und jeden Hochachtung und Liebe/ daher auch Ihr. Käyserl. Majest. unser unüberwindlicher Mond- und Sonne-Verfinsternder Leopold/ selber ihn mit dem Reichs-Freyherrn Stand begnädigt. Denn die Ehre / wie die beredste Zunge der Römer längst gesaget/ folget der Tugend / wie dem Leibe der Schatten nach. Was nun der allergroßmächtigste Leopold abwesend / solches hat der unsterbliche Wilhelm des grossen Britanniens grösseste König / von dem alle Welt mit grösserm Recht als Homer von seinem Agamemnon saget / daß er beydes ein guter König und tapfferer Krieges-Mann/ gegenwärtig gethan. Der ihn allemahl mit solchem Ruhm beleget/ als einem so tapffern Könige wie der grosse Wilhelm/ und einem so grossen Manne/ als der tapffere Delwig / gemäß und anständlich war. Weil aber das herannahende Alter / und die vielen ausgestandenen Mühe/ Sorgen/ Arbeiten/ schwere Reisen/ öfters empfangene fast tödliche Wunden/ des wollseel. Herrn Leib begunten abzumatten / gedacht er/ daß er wie Pomponius Atticus nicht allein der Ehre / sondern auch der Ruhe pflegen müste/ verließ deßwegen die Holländischen Krieges-Dienste und begab sich beym Ausgang des 1691sten Jahres / nach Mecklenburg auf seine Güter/ in Ruhe des Leibes und des Gemüths zu wohnen / und daselbst : wie der tapffere Römer Marcus Curius die güldenen Geschencke der Samniter gegen die geringen Früchte seines kleinen Ackers verachtete ; über

den Pracht der Höfe und mächtiger Städte in stiller Vergnügung zu lachen. Wie aber ein Licht im dunckeln am helleſten ſcheinet ; alſo fiel auch der Ehren-Glantz dieſes ſich ins dunckele begebenden Mannes allen in die Augen / inſonderheit aber unſerer werthen Vater-Stadt / in welcher ſchon von vorigen Zeiten her ſeine Tapfferkeit/ Treue/ Sorgfalt und wachſahmer Fleiß bekandt / und bey redlichen Verſorgern dieſes gemeinen Weſens annoch im friſchen Gedächtniß war. Spareten deßwegen keine Mühe ihn wieder zu ſich zu ziehen/ waren auch ſo glücklich von dieſem Preißwürdigen Manne ihr Verlangen zu erhalten / welcher zu höchſter Vergnügung E. Hoch-Edl. Hochweiſ. Raths / der gantzen hochlöblichen Bürgerſchaft und aller braver Soldaten/ die Ober-Commendanten Stelle wiederum antratt / die er auch mit höchſtem Lobe und immerwährendem Nachruhm biß an ſein ſeeliges Ende verwaltet/ und wird ihm Hamburg / in welchem ſein Gedächtniß nimmer ſtirbt / unaufhörlich den Preiß geben/ welcher dem Athenienſiſchen Iphicrates von allen Geſchicht-Schreibern beygeleget wird/ daß er ein ſolcher tapfferer Mann / welcher nicht allein mit den berühmteſten ſeiner Zeit zu vergleichen / ſondern keiner der vorigen ihm fürzuziehen ſey. Es ſagen die Nachrichten des Alterthums Epaminondas ſey ein Mann geweſen / welcher ſittſam / verſtändig / ehrbahr/ der der Zeit vernünftig zu gebrauchen gewuſt / im Kriege erfahren/ tapffer vor der Fauſt / von groſſem Muth/ und der die Warheit ſo ſehr geliebet / daß er auch nicht im Schertz gelogen. Nun trete die Mißgunſt

gunſt ſelber auf und urtheile/ ob eine Schilderey von unſerm tapffern Delwig ehmahls gemacht die ihm ähnlicher als dieſe? Was Glauben und Gottesfurcht betrift/ hat er von Jugend auf ſich bemühet dieſelbe niemals zu verletzen/ und allemahl mit dem Ageſilaus davor gehalten/ daß GOttes-Häuſer auch bey Barbaren heilig/ und die jenigen welche Kirchen beraubten/ nicht geringere Straffen verdienten/ als die den Glauben ſelbſt verleugneten. Dahero unſer wollſeel. Herr General-Lieutenant auch allemahl ſonderbahr die göttliche Gnade verſpühret/ und mit Danck erkennet/ die ihn nicht allein mit anſehnlichem Alter/ hohen Ehren/ groſſen Gütern und unſterblichem Ruhm begabet/ ſondern ihm auch die Vergnügung erleben laſſen/ daß/ obgleich ſeine erſte ſeelige Ehe-Liebſte/ die wohlgebohrne Frau/ Fr. Catharina/ gebohrne Wördenhoffs/ ohne Leibes-Erben verſtorben/ er dennoch von der jtzigen hochbetrübten Fr. Witiwen/ der wohlgebohrnen Frauen/ Frauen Mette Adelheit/ gebohrnen Friedrichs/ zwo angenehme/ in allen Tugend und Geſchicklichkeiten vollenkommene Fräul. Töchter geſehen/ die nebſt ihrer hochbekümmerten Fr. Mutter/ den Todt ihres ſeel. verſtorbenen Hrn. Vaters ſchmertzlich beweinen. Wie nun alle Herrlichkeit dieſer Welt vergänglich/ da Coloſſen fallen und Piramiden verweſen/ ſo ward auch endlich der irrdiſche Leib unſers wehrten Hrn. Delwigs/ gleich denen köſtlichen Marmor-Pallästen baufällig. Es hat faſt eines Jahres-Zeit her der Sterbens-Bothe des Allmächtigen/ welcher mit gleichen Füſſen an die Hütten der Armen und die Schlöſ-

ſer der Könige pochet / täglich bey ihm angeklopffet/ dahero er auch / wie er alle irrdiſche Artzeneyen vergebens verſpührte / ſich allein zu der Himmliſchen gewandt/ und ſich allein dem Willen desjenigen übergeben / der des Wollens und vollenbringens in dieſer Sterblichkeit eintziger Anfänger iſt. Hat auch die ewige Gnade / des mit recht allergnädigſten GOttes in ſolcher Völle verſpühret / daß er / nachdem er mit dem letzten Siegel gläubiger Chriſten ſeine Seele dem Erlöſer verpfändet/ am verwichenen 7. Jenner des itztangefangenen 96ſten Jahres / die gelinde Auflöſung von Leib und Seele/ aus der Hand eines gnädigen Vaters empfangen / welche die grauſahme Hand wütender Feinde ihm längſt tauſendmahl / wiewohl vergeblich/ zu bereitet hatte. Der groſſe unendlichgnädige GOtt der dem ſanfft und ſeelig verſtorbenen Herren in ſeinem Leben und Tode ſo viel unzählbare Gnade erwieſen/ wird auch die hinterlaſſene wohlgebohrne Frau Wittwe/nebenſt denen in ſchönſter Blüthe ſtehenden Zweigē eines ſo edlen Baumes/ mit Troſt und Heil ferner überſchütten/ daß ſie den Todt eines ſo wehrten theils Ehe-Herren/ theils Vaters/ nicht als eine Straffe ſondern als eine göttliche Gnade betrachten/welche nicht ſo ſehr zu ihrer Betrübung/als zu des wollſeel. Herrn ewiger Freude und Herrlichkeit angeſehen geweſen. Derſelbe unendliche GOtt wird auch ferner über dieſes Hochſchätzbahre Hauß ſeine Allmächtige Hand zu immerwärendem Schutze halten/ daß wie Delwigs Nahme in dem Gedächtniß vieler tauſend nimmer vergehen wird /alſo das Anſehen und unwandelbare Glück dieſes gantzen edlen Geſchlechtes mit der Ewigkeit ſelbſt möge in die Wette blühen.

Series

Series

SYNDICORUM

Conſultisſimorum

Reip. Hamburgenſis,

Et quorundam ex illis

Quæ ad manus fuere

VITÆ atque ELOGIA.

Series SYNDICORUM *Conſultiſſimorum* Reip. Hamburgenſis.

1437. M. Johannes Jordanus.
1452. M. Johannes Maler, Doctor. (Hic A. 1474. Syndici munus obiit etiam apud Luneburgenſes. Hamburgenſibus redditus ab Anno 1478-1484
1461. M. Arnoldus Sommernaeth, de Bremis.
1489. Albertus Crantzius * Theol. & Decretorum D. & Decanus Eccleſiæ Cathedral. Obiit 1517.

* Jo. Mollerus V. C. in Iſagoge ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ p. 97. *Cum dubia mihi res videretur, Crantzium Syndici partibus in Rep. Hamburgenſi functum eſſe, quod ſcirem nullos illam Syndicos ordinarios ante Anno* 1546. (*quo Franciſcus Pfeilius eſt electus*) *habuiſſe, ſcrupulum omnem exemerunt literæ V. C. Ottonis Sperlingii, è quibus didici, Krantzii ætate etiam iſtos Syndicos fuiſſe vocatos, qui ad unam tantum cauſam Civitatis tuendam ablegabantur. Recordabar enim ex templo legationum quibus noſter Patriæ ac reliquarum Urbium Hanſeaticarum juſſu An.* 1489. *ad Conventum Wismarienſem, ac deinde* 1497. *& 1499. ad Gallos & Anglos ut ab illis inducias, ab his autem privilegia contra privatas obtineret, eſt defunctus.* Plura de Crantzio infra, ubi Decanos Rev. Capituli Hamburgenſis recenſeo.

1546. Franciſcus Pfeil J. U. D.

1550. Adamus Traziger J. U. D. poſt A. 1558. Cancellarius Ducis Gottorp. obiit 1584

1551-1555. Jo. Strube D.

1556. Jo. Bouke, D. in locum Joh. Strube.

1558. Jo. Dutzenraed J. U. D. in locum Johannis Bouke.

1558. Wilhelmus Moller J. U. D. in locum Adami Trazigeri electus, Reſignavit circa Anno 1604.

1566. Antonius Wittersheim antea Reip. Secretarius poſt J. U. D. & ab An. 1574. Cancellarius Ottonis Comitis de Schauenburg, obiit - - 1614

1567. Michael Rheder, J. U. D. & Decanus Eccleſiæ Cathedralis B. Mariæ Virg. in locum Franciſci Pfeil.

1588. Philippus Meurer, J. U. D. poſtea Conſiliarius intimus Ducis Gottorp. in locum Mich Rhederi.

1596. 7. Apr. Joachimus van Holte, J. U. L. poſtea D. in locum Philippi Meureri. Seceſſit brevi inde Pragam, ubi obiit.

1601. 23. Nov. Vincentius Moller, J. U. D. in locum Joach. van Holte obiit 1625. 2. Sept.

1604. 22. Jun. Theodorus Rademin, J. U. D. in locum Wilhel. Mölleri obiit 1619. 15. Jul. (al. Aug.)

1615. Petrus Moller J. U. D. in locum Antonii Wittersheim electus, obiit - - 1624

1624.

1624. Henricus Luntzmann, J. U. D. in locum Petri Molleri. obiit - - 1642
1626. Vincentius Moller, J.U. L. antea Protonotarius & ab Anno 1625. loco fratris Petri MolleriSubsyndicus. obiit 1631.17.Aug.
1626. Jo. Garmers J. U. D. in locum Theodori Rademin. obiit æt. 51. 1638. 8. Dec.
1633. Jo. Christophorus Meurer (Philippi Meureri, Syndici F.) in locum Vincentii Molleri jun. J. U. D. ac Comes Palat. obiit æt. 54. - - 1652. 27. Aug.
1639. Broderus Pauli, J.U.D. in locum Johannis Garmers postea Anno 1670. Consul. obiit - - 1680. 20. Jan.
1652. Joachimus Petersen J. U. D. obiit Londini in Anglia - - 1658. 23. Jun.
1654. Febr. Joh. Moller, J. U. D. obiit - - 1672. 19. Jun.
1659. 5. Jul. Vincentius Garmers, (Johannis Garmers, Syndici F.) J. U. D. electus in locum Joach. Petersen discessit hinc - - 1677. 9. Mart.
1670. 31. Aug. Rutgerus Ruland, Rutgeri JCti Fil. J.U.D. in locum Broderi Pauli. obiit - - 1675. 19. Maj.
1672. 10. Jul. Albertus Schreining, J. U. D. in locum Jo. Molleri. obiit 1688. 10. Maj.
1675. 26. Nov, Wolderus Schele, J. U. D. in locum Rutgeri Rulandi. Apoplexia correptus obiit in ipsa Curia 1700. 25. Oct.
1678. Johannes Schluter, J. U. D. Cancellarius

antea Megapolitanus in Vincentii Garmeri locum electus Reip. Hamb. Consiliarius & inde Consul Anno 1684. 12. Jun. obiit - - 1686. 21. Oct.

1684. 3. Oct. Henricus Pohlmann, J. U. L. ex urbe discessit Anno. 1686. in locum Joh. Schlüteri.

1687. 11. Jan. Lucas von Bostel, J. U. D. in locum Henr. Pohlmanni.

1689. 4. Jan. Jo. Franciscus Simonis, J. U. D. in locum Alberti Schreiningii.

1708 19. Nov. Jo. Anderson, J. U. D. antea Reip. Secretarius. In locum Wolderi Schele, cum tertius locus per octennium vacasset.

Elogium Breve
JO. CHRISTOPHORI MEURERI, J. U. D.
Syndici Reip. Hamb.

JO. Christophorus Meurerus Wolfgangi Meureri Consulis de quo supra dictum est frater, natus fuit Anno MDXCVIII. die XXII. Augusti avo *Wolfgango Meurero* Doctore Medico ac Physico, Professore Lipsiensi, & parente *Philippo Meurero* J. U. D. Reip. Hamburgensis ab Anno 1588. ad 1596. Syndico atque inde Sereniss. Ducis

Ducis Holſatiæ Conſiliario intimo & Vice Cancellario ac Præſide Huſumenſi; matre *Catharina*, Wilhelmi Molleri Conſiliarii Regis Hiſpaniæ & Comitis Friſiæ Orientalis, ac Syndici Hamburgenſis, Annæque Biſſenbeckiæ filia. Literarum rudimenta cum Huſumi & Hamburgi feliciter poſuiſſet, Academias adiit Roſtochium, Jenam, Lipſiam, Tubingam, Argentoratum, Witebergam, ut variorum ſententiis ac doctrinis perceptis tanto ſolidiora fundamenta ſapientiæ jaceret & veriora quæque amplecteretur. Jenæ imprimis diligenter in ſtudium Juris incubuit etiam prælegendo ac de juris capitibus diſputando dignum ſe geſſit cui mitra Doctoralis imponeretur Anno MCLXXI. Ab eo tempore per aliquod tempus verſatus eſt Spiræ ibique cauſſas egit, facto inde per Germaniam Belgium, Angliam, Galliam, Italiamque itinere Hamburgum reverſus & ibi Patronum cauſſarum egit magna cum laude donec Ampliſſimi Patres Reip. grave munus Syndici ipſi injunxerunt Anno MDLXXXIII. In nobilium quoque ordinem adſcitus & Comitis Palatini dignitate auctus eſt circa idem tempus à Ferdinando II. Imp. Quater inde aulam Viennenſem adiit Reip. cauſſa, & ſæpius ad alios Reges, Electores, Principes ad Comitia Imperii & Provincialia eſt ablegatus, interfuit etiam Coronationi Ferdinandi III. & in Pace Osnabrugenſi pro commodis Patriæ invigilavit. Nuptias iniit ſub extremum Anni MDCXXII. cum Anna

Jacobi Kochii mercatoris Lubecensis filia, quæ filium ipsi *Philippum Jacobum* Amplissimo Ordini Senatorio postea adscriptum & filiam parenti utrique itidem superstitem peperit. Alteram Ann o MDCXL. uxorem duxit *Margaretham* filiam *Vincentii Molleri* Syndici Hamb. & sororem trium fratrum celebratissimorum Vincentii Consiliarii Suecici, Bartholdi Consulis de quibus utrisque supra dictum, & Johannis, J. U. D. Matrem itidem duorum filiorum quorum alter ante patrem alter Jo. Christophorus parenti utrique superstes Argentorati obiit. Tertia ipsi uxor allecta Anno MDCL. *Anna Alberti Sultze* Duodecimviri & Jurati S. Petri filia, quam *Alexander Tanke* mercator nominatissimus viduam reliquerat, ex hac ipsi natus ejusdem Anni die XIII. Sept. filius *Albertus Gottlieb Meurerus* sed qui post Consultissimum parentem die XXIX. Aug. Anni MDCLII. æt. LV. pie defunctum & ipse in flore tenerrimo ætatis præmaturo fato obiit Anno MDCLVII. die Maji V. Desideratissimi Syndici funus in templo S. Petri tumulatum epicediis prosecuti sunt M. Joh. Neucrantz Pastor Kirchvverderensis & Christophorus Lemke, quorum fide rectius nonnulla scripsisse me existimo quam in relationibus Curiosis ante aliquot annos Germanice in hac urbe publicatis memoriæ prodita leguntur.

Elo-

Elogium Breve

JOACHIMI PETERSEN,

J. U. D.

Syndici Reip. Hamb.

JOachimus Peterſen patriam Bergedorfium habuit, opidum ſecundo ab urbe lapide ſitum quod cõmuni marte Lubecenſes & Hamburgenſes Anno C. MCCCCXX. ſibi aſſeruere, & ab eo tempore communi imperio regunt tenentque. Hujus opidi Conſulem tunc gerebat pater *Michael Peterſen*, cum ex uxore ipſi *Magdâlena Grimen* natus noſter eſt A. MDCXI. Dominica quæ à quaſi modogenitis hoc eſt baptismo recens tinctis Chriſtianis nomen in Eccleſia accepit. Poſt literarum tirocinia in Schola ac Gymnaſio Hamburgenſi depoſita Academias frequentavit, ac per Germaniam, Galliam, Angliam & Belgium iter fecit, Burgis ultra anni ſpatium Orator Nationis Germanicæ commoratus, quod honoris genus perinde ut Conſiliarii & Syndici etiam in aliis Galliæ & Italiæ Academiis Aurelianenſi, Senenſi, Patavina gerunt ſtudioſi. Argentoratum inde repetiit An. MDC XLI. ubi pro Licentia quam vocant diſputationem jam ante habuerat, Docturæ nunc inſignibus ſollenni ritu decorandus. Biennio interjecto ſereniſſimus Saxoniæ Dux Auguſtus eum

à Con

à Consiliis sibi esse & judicio Aulico assidere jussit, bis quoque ablegavit Brunsvvigam & Luneburgum semel ad Comitia Circuli, tum subdelegati Commissarii partibus functurum ad civitatem Herfordensem. Ab Amplissimo senatu Hamburgensi Syndicus delectus est A. MDCLII. die XXX. Nov. quod munus acceptavit & gessit cum laude, non domi solum sed etiam peregre cum vel in Angliam Reip. caussa ablegatus esset unde post biennium demum rediit, vel Bruxellas, atque inde iterum in Angliam ubi vitam cum morte commutavit vigiliis Johannis Baptistæ Anno MDCLVIII. ætatis XLVIII. Exuvias Hamburgum XVI. Aug. delatas ædes S. Catharinæ sinu suo complexa servat. Vixit cœlebs, nec immemor discessit patriæ, nam egenis Bergedorfensibus qui studiis operantur prospexit liberali stipendio, quod etiamnum à Pastore ac Consule seniore opidi illius distribuitur. Pietatem ejus loquitur Epitaphium, cujus hæc est sententia:

JOACHIMUS PETERSEN,

In foraminibus Petræ quiesco.

Joachimus Petersen Jur. Utr. Doctor & Reip. Hamb. Syndicus, Anno CHRISTI MDCLIIX. ætatis XLVII. die Junii XXIII. pie defunctus & XX. Augusti sub hoc saxo repolitus.

PRO-

PROGRAMMA
IN FUNERE
NOBILIS. AMPLIS. CONSULTISSIMIQUE,
VIRI
DN. RUTGERI RULANDI,
J. U. D. ET SYNDICI
REIP. BENE MERITI
QUOD IPSI DUCENDUM EST
D. XXVII. MAJI JULIANI,
AD MONUMENTUM IN
ÆDE D. NICOLAI,
A. C. cIↃ IↃc LXXV.

QUæ ſit hominum conditio, orientium, durantium in vita, morientium, cum aliarum rerum exemplis, atque imaginibus, tum imprimis oſtenditur earum, quæ terra eduntur, neque anima carent. Et quidem vilitatem eorum & fragilitatem herbæ magis adumbrant: præſtantiam & decus aliquod, utilitatesque, quibus præſtant, arbores: in utrasque adeo mutatos ſubinde fabulis non ſine aliqua doctrina, traditum. Si ad priorem reſpiciamus, exhibentur in humano genere (a) gramina, algæ, arundines, cucurbitæ, herbæ ſolſtitiales. Morti hoc etiam pacto homines herbam porrigunt, cum

(a) Pſ. 92. v. 8. 103. v. 15.

cum ei ſeipſos offerunt vincendos. Et altera parte occurrunt nobis præaltæ arbores, grandi trunco, late diductis ramis expanſæ. Quales ſunt Indicæ, quæ ſagitta, quam altiſſime ſurſum emiſſa, nequeunt ſuperari: aut (b) quarum una ſylvæ ſpeciem præbet, ramis ingentibus in humum flexis, iterumque radicibus actis ſurgentibus: aut (c) Americanæ, in quibus ædiculis ſuperſtructis habitatur a pluribus familiis, ſtipite vix a quindecim viris, aut pluribus, paſſis brachiis, & inter ſe junctis, complectendo. Similis quodammodo exſtitit his lotus, eaque in qua (d) Cajus princeps epulatus cum multis, nido ſuo fecit illuſtriorem; ne aliarum faciamus mentionem. Ejusmodi apparuit ſibi ipſi Chaldæus rex, (e) nocturno viſu, DEO præmonſtrante: ejusmodi (f) Cyrus, omnem Aſiam obumbraturus, ſignificabatur necdum natus. Ejusmodi aliis ut cedris, palmis, quercubusque, in eximiam altitudinem editis, comparantur homines magni Regesque, in (g) ſacris etiam litteris. Occurrunt arbores utiliſſimæ, & quaſi beneficæ, ut olea (h) eſt, & inprimis Indica palma, pro miraculo habenda: ut & illæ, quæ aquam fundens perenn-

(b) Curt. lieb. 9. c. 1.
(c) Scriptores rerum American.
(d) Plin. lib. 12. c. 1.
(e) Dan. c. 4.
(f) Juſt. lib. 1. c. 4.
(g) Eſa. c. 2. v. 13. & al.
(h) Hiſt. natur. paſſim.

ennem pro fonte eſt, & quæ (i) melle fluit. In his homines (l) pii, & benigni velut conſpiciuntur, vel interpretantibus rurſum divinis ſcripturis. Occurunt hinc ſacræ magis, & ſalutares, fatidicæque, & peculiari cognomento felices. Olim ſuis numinibus improbabili ſuperſtitione dicabantur. Inter eas laurus excellit, inprimisque laudatur (m) illa Auguſti, quæ crevit ex ramo, onuſto ſuis baccis, humi depacto, quem cum gallina, ore eum tenente, ex alto in ſinum Liviæ aquila abjeciſſe dicebatur. Nec Dodonææ quercus obſcuræ ſunt, quæ oracula fundebant, aut (n) Indorum arbores, quas violare nefas, & ſimiles aliorum, ut & veterum (o) Germanorum noſtrorum. Non ab his abludunt homines, caſtigata impietate, in quibus aliquid divini, virtusque & eloquentiæ vis repoſita eſt. Occurrunt vix commemorandæ noxiæ, & illætabiles, puta quæ veneno necant, quæ umbra ſola nocent, quæ funerum indicio ſunt. Vellemus carere ceteris, funebribus certe non licet. Mortales homines in arboribus mortalibus, & inprimis funeſtis, repræſentantur. Mors etiam venit arboribus, ut ait Poeta: apud quem, & alios, morientes cadunt, ut erutæ pini, everſæ quercus, exciſæ cupreſſi:

(i) Curt l. 6. c. 4.
(l) Hier. cap. 17 Pſ. 1. Eſa 11.
(m) Plin lib. 15. c. 30.
(n) Curt. lib. 8.
(o) Tacit. de M. G. c. 9.

quibus iterum in (p) divinis libris congruentia leguntur. Quædam ſenſim exarceſcunt, vitamque per gradus amittunt : quædam brevi tempore, & ſubito ad terram dantur, & ruunt præcipites. (q) Arbores magnas diu creſcere, una hora extirpari, Scythæ magnum regem volebant non ignorare. Denique annorum multorum juxta & brevis ævi & arbores & homines occurrunt. Jonæ vatis ille frutex, (r) quicunque fuit, cito marcuit occiditque. Verum enimvero, in ſylvas veluti arborum pariter & hominum ingreſſus oberro fortaſſis, exitu non reperto: nec mirum hoc, ita enim multa & denſa me circumſtant, luxuriatque inſtar rerum virentium oratio, quæ potius ad eas, quam alias hoc verno tempore divertit. Hoc volebam adjungere, in noſtra hac civitate, DEI munere, nos habere & cernere virentes ejusmodi arbores nobiles, utilesque bene multas, quales ſupra deſcripſimus : ut eo perveniam, quod præcipue dicendum, nos ſuper unius amiſſione imminutos afflictosque. Deſiit enim vivere apud nos NOBILIS. AMPLIS. Q. V. D. RUTGERUS RULANDUS, J. U. D. ET SYNDICUS REIP. In animis tamen noſtris vivere, & virere, & florere non deſinet. Memoria noſtra, & ea revireſcens, nobis eum, cum omnibus vitæ temporibus, præſentem ſiſtit.

Iam

(p) Ezech. 31. Matt. 5. 7, &c.
(q) Curt. l. 7. cap. 8.
(r) Jon. cap. 4.

Jam nunc videtur prodire naſcens ex nobili, antiqua, & felice ſtirpe RULANDINA, & GREVIA: patre RUTG. RULANDO, J. U. D. a Cæſare nobilium inſignibus aucto, & matre CATHARINA DE GREVIA. Natalis una, qui fuit XXV. Auguſti, anni ſeculi labentis CHR. XXI. videtur renovari. Natis olim hominibus virgæ (*) in terram depangebantur, quæ una adoleſcerent, ex quarum auctu præſagia fierent. Noſter ſub arbore parente tanto incremento ſe erexit, ut adæquarit, ſi non vicit. Floret ſane, paternus honor ampliſſime. Itaque videtur nobis dehinc adoleſcere, & quaſi in Muſarum viridario educi, ab iisque affuſo liquore ali, ut (a) mero infuſo, aliisque ſuccis ſtirpes enutriuntur. Videtur DEI germen eſſe, quem eximia pietate a teneris coluit: videtur (b) tota vita arborem referre, ad rivum collocatam. Videtur transferri cultus gratia (quippe non raro tranſpoſitione & inſitione perficiuntur) in alias atque alias Academias, terrasve: videtur explicare frondes, flores protrudere, minari fructus; Et nunc in Parnaſſo (ita loqui liceat) Vitebergenſi, quo ſe tulit cum comite, & magiſtro præſtantiſſimo, an. XXXVIII. cum ageret annum ſeptimum & decimum: nunc in Tubingenſi, nunc Argentoratenſi, ubi an. XLVIII. laurea eſt donatus, ſive ſupremis Juris utriusque ho-

* Virgil. vit.
(a) Plin. lib. 12, 1.
(b) Pſalm. 1.

noribus, Quin in laurum quasi totus versus, transfiguratione Ovidianas excedente. Deinceps videtur se circumagere per florentissimas Europæ provincias; nempe per Germaniam, Spiræ in ea aliquamdiu inhærens: per Italiam, Galliam, Belgium, Britanniam. Mutato toties cœlo, in melius ubique mutatus, aurisque purioribus refectus, patriæ reddi cernitur an. LII. studiis externisque itineribus impensis annis decem & quatuor. Porro cernitur eadem repræsentatione fructibus maturis onustus, eaque pluribus elargiri, caussarum patronus integer & celeberrimus per annos complures. Syndicus postea, sive Orator Reipubl. conspicitur, creatus an. LXX. d. Augusti extremo: inde oracula reddere tanquam vocalis aliqua arbor. En an. LXX. ad Serenis. & Potentis. Daniæ & Norvegiæ regem Hafniam mittitur: an. LXXII. Rensburgum, cum aliis Reip. nostræ proceribus ubi super arduis negotiis cum Serenis. ejusdem Regis, & Ducis Holsatiæ legatis tractatur: an: LXXII. ad Serenis. Ducem Luneburgensem Cellensem: an. LXXIV. iterum ad august. Daniæ Regem Tychopolin. Quid dicam de negotiis domi Reip. caussa diligenter, & summa fide obitis? Quid de eo, quod præterea pro myrto se videtur gerere, aut palma potius, conjugii amante, maritata sibi nobil. virgine MARGARITA WETKENIA, parentibus ERASM. WETKENIO J. U. L. & CATHARINA WETKENIA prognata? Quod genus suum pro-

propagavit, procreatis tribus liberis: in quibus duæ ſunt filiæ CATHARINA & MARIA ELISABETA, filius unus RUTGERUS? Denique in eodem præteritorum intuitu deprehendimus vitæ interiori labem inferri a morbo ſenſim ſe inſinuante, & viſcera inficiente, totumque hinc corpus depaſcente: a quo viror paulatim carpi, vita exſtingui, ipſe deficere, arboris ritu non ætate, ſed vitio arefactæ, morte conſecuta d. Maj. hujus XIX. hora quarta matutina, cum ageret annum LIV. ætatis.

In viridarium cœleſte animus ejus, DEI manu ſuſceptus, eſt translatus, corpore rurſum induendus ſuo, ut iterum deinde integer RULANDUS, neque unquam imminuendus, & æterna vita, & vigore prævalidus, vireat floreatque. Divinæ ibi re erunt vera arbores pii, & beati cœlites: DEO ſacræ, a DEO habitatæ, oracula fundentes. Futuri ſunt oleæ lauri, cedri, palmæ potius, quam aliæ: quippe ſuaviſſimos ferentes fructus, nulla formidantes fulmina, victrices, honoribusque nobilitatæ, ex ſeipſis renatæ, & nullis amplius oneribus opprimendæ. Arbores ibi feliciſſimæ omnes in hac terra infelices plurimæ Quarundam vita immmenſa credita eſt, tamdiu ſuperſtites fuerunt. Ut fuit Romæ lotus, æqualis urbi, & ea vetuſtior ilex, cum * Plinius ſcriberet Veſpaſiani principatu, qui vetuſtio-

* Lib. 16. cap. 14.

res alias Græcorum adſcripſit. (a) Ibidem Ruminalis arbor, quæ Remi Romulique infantiam texerat, ante octingentos, & plures annos, Neronis ævo, in novos fetus reviruit. Cœleſtis paradiſi arbores inviolabiles erunt, & immortales: quales olim in lucis a ſuperſtitioſis fruſtra colebantur. Litteris quaſi inſcriptæ ſe CHRISTO Domino dicatas eſſe teſtabuntur: nam & olim exſtabant arbores litteratæ. Inter arbores olim ſepulcra quoque erant, & nunc multis ſunt: SERVATORIS ſacroſanctum corpus inter eas depoſitum eſt, ſcilicet ut mortuos etiam ab arborum reviviſcentium conditione non eſſe alienos doceretur. In mediis urbibus, & templorum ſeptis piorum, in vitam rediturorum, nobis fingamus plantaria. Ad id, quod in D. Nicolai æde eſt, JURISCONSULTI SUMMI, & ORATORIS REIPUBL. RULANDI corpus deportabitur, ut ſatum rurſus hoc pacto, DEO ſuſcitante, revireſcat. Ejus virtutis memoria famaque interim apud vivos ſemper virens florensque ſe explicabit, quaſi frondibus late ſparſis, ut olim (b) creſcebat, velut arbor, fama Marcelli. Exequias ibunt ſummi, imi, pii omnes: & in illo, qui ſint ipſi, & quæ ſe maneant recognoſcent, non inviti. Non funebri ſigno, ad domum poſita cupreſſa, memoriam officii noſtri, & mortalitatis excitemus, aut ad tumulum eam afferamus: ipſos nos ejusmodi ferales arbores eſſe cogitemus, ſed quæ

(a) Tacit. l. 13 Annal. n.
(b) Horat. l. 1, Od. 12,

quæ exciſæ renaſci queant, quod dicebant aliis negatum. Neque tam arborum corticibus lignisve, aut aliis quibusvis, quam animis hiſce noſtris, aliquid elogii, vel hoc, vel quod ſimile ſit, impreſſum velimus.

RULANDUS olim patriæ ſuæ prudens
Orator, & plenus ſcientia legum,
RULANDUS arboris modo, coli dignæ,
Exortus eſt, virebat, atque fundebat
In patriam fructus, honore ſublimis.
Nunc decidit, jacet, relapſus ad terram.
Sed nil novi mirive. Decidunt cuncti,
Sternuntur omnes, infimique ſummique:
Cedri, myricæ: fructibus graves multis,
Fructu carentes. Attamen renaſcentur,
Et latius creſcent, & altius tollent
Cacumen, & fructus ferent abundantes,
Quicunque felices, Deoque ſacratæ
Sunt arbores, & integri perennabunt.
Paradiſus illos reſtitutus exſpectat:
Hic eſt cupreſſus nulla, taxus eſt nulla,
Arundo nulla, nulla vilis eſt alga:
Virent olivæ, cum vigentibus lauris,
Cedrique nobiles, & ardua palmæ.

P. P. D. XXVII. Maji.

MICHAEL KIRSTENIUS,
PH. ET M. D. P. P. PRIMUS,
N. R.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

VIRO

MAGNIF. AMPLISS. CONSULTISSIMO QUE

D. ALB. SCHREININGIO,

J. U. D.

ET INCL. REIP. HAMBURG.

PROTOSYNDICO

OPTIME MERITO,

NOMINE

PROFESSORII COLLEGII

AB EJUSDEM NUNC

RECTORE

GEORGIO ELIEZER EDZARDO,

GR. L. & HIST. PROF. P.

EXEQUIALI DIE XVI. MAJI. A. C.

cIↃ IↃc LXXXVIII.

DICATUS.

Typis Viduæ Georgi Rebenlini.

Quam

QUam nihil omnino in rebus humanis firmum ! nihil ſtabile ! nihil quod certi & diuturni nomen digne ſatis tueri queat , quin & illud ipſum tum ex ipſa ſua natura , tum etiam ex multiplici caſuum ac eventuum experientia facile convincatur, inque fluxarum rerum cenſum nullo plane negotio & irrefragabiliter redigatur ! Etenim quid eſt ex infinito eorum numero , quæ vel ab ipſis hominibus proficiſcuntur, vel iis aliunde contingunt , vel etiam infra Lunæ orbem ipſorum uſibus à ſummo rerum omnium Creatore deſtinata ſunt , quod non currentis inſtar rotæ exiguo aliquo temporis tractu , ac partim etiam ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ ex ſummo imum , ſive etiam ex ſummo nullum & prorſus evanuiſſe plane & quotidie deprehendamus ? Adeo vere κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, qui rotatus perpetuo eadem eſſe non ſinit, quodque illum vertit convertitque , momentum eſt. Homo ipſe θεόπλαστον ἔχων ἐν εἰκόνι μορφὴν, naturali dum crearetur immortalitatis dono ornatus, & quo non titulo nobis evehendus, miranda & nemini non, cui vel è pumice oculi vel ex chalybe præcordia, deflenda καταστροφῇ uti microcosmus audit , ita ſane etiam idem omnis nunc imbecillitatis imago & corruptionis exemplum jure merito appellabitur. Quod ſi eſſentiæ ejus partem ſpectes , nempe fragile illud ac caducum corpuſculum , quid de eo ſtatuendum vel ſola ejus appellatio docebit. Homo dicitur, humus eſt : אדם vocatur, certe

quia ex אדמה factus, (quid factus? dicendum enim amplius quid) totus עפר est, imo עפר ואפר. Quid cerebrum nisi lutum coagulatum? quid oculus nisi humor diffluens? quid nares nisi saccus stercorum? quid capitis vertex nisi testa fictilis? quid pulchritudinis ejus quam sæpe demiramur substantia, quid inquam aliud nisi pituita, destillatio & alimenti computrefacti succus? namque hæc illa sunt quæ vultum & genas exornant, qualia si extra hominem forte offendas, nec extremorum digitorum contactu digneris, & si conspectum de improviso subeant, totus cohorrescas. Quid ergo totus homo altera sui parte eaque essentiam constituente spectatus, nisi pulchrum sepulchrum, vel si mavis, sepulchrum dealbatum, vas stercorum, & futuri status respectu, esca vermium? Prodit in hanc universi scenam, prodit, at quanto discrimine? primum nascentis omen fletus est, hinc omnis sequentium annorum ordo exacte respondet: prodit seipsum nesciens, nudus, cum cætera animantia omnia propriis tegumentis gaudeant, cum & truncus cortice à natura contra frigus armetur, quædam etiam φερέοικα naturali domicilio instructa cernantur. Non dicam, prodire per peccatum ante enectum quam genitum, ante in Adamo damnatum quam natum, prodire inermem, manibus pedibusque captum quasi, & ut quæ accidunt adversa nec exprimere queat, loquela primarioque vocis usu carentem. At si hæc quæ summatim nunc saltem recensui, jam

in

in ipſo vitæ limine hominem incurſant, & obviis ulnis exceptum undique cingunt mala, quibus non eum per reliquum vitæ tempus, quam etiam illud ſit exiguum, calamitatibus expoſitum eſſe arbitrabimur? Facile eſt ex fimbria de texto judicare. Creſcunt anni creſcunt miſeriæ. Sunt intra nos, ſedent in imis viſceribus, quæ & animam non raro excruciant, & corpus varie affectum reddunt. Πόνος πόνῳ πόνον φέρει, & alterius mali finis gradus eſt futuri. Nunc ex ventre, nunc ex capite, nunc ex pectore dolemus, plurimum vitæ noſtræ ſolicitudines occupant, morbi, luctus, pericula, ἄμα πρόσω καὶ ὀπίσω hoſtes iique validiſſimi & partim ἄσπονδοι magno ſe numero offerunt. Interea etiam ſenſim ſine ſenſu ſeneſcimus, vergit ætas, franguntur membra viresque, palpitat vertex, quodque reſtat vitæ, extrema ſenecta (in quam quicquid eſt infirmum fragileque naturæ confluit) premimur. Dicam paucis, μυρία ſunt τὰ λυγρὰ quibus homo obnoxius vivit, & ψαμμακοσιογάργαρα. Quod ſi aliquando luculentus aliquis nobis contingat dies, mox eum atram premere noctem experimur. Tranſit enim gloria mundi ſtupæ in modum, dum flammam concipit, quo ter repetito emblemate, Pontificem in die ἀποθεώσεως (à Paulo 2. Theſ. 2. prædictæ,) cæremoniarum miniſter altera manu ſtupam altera ardentem ferens candelam & diſtinctis vicibus ante Sacelli ingreſſum ignem ſtupæ admovens, de mundanæ gloriæ inſtabi-

litate

litate monere, in cæremoniali Romano (L. L. 1. S. 2. c. 3. ed. Ven. Anno 1573. p. 58.) commemoratur. Cæterum infinitæ istæ vitæ humanæ tum vicissitudines tum calamitates, quæ ut misera ea dicatur solæ utique sufficiunt, cum perpetua tamen nos exspectantis mortis mutua exspectatione, imo cum morte arctissimo quodam nexu & ipsæ cohærent. Exspectanda perpetim mors est, etiam cum longissime ab ea abesse videmur, ad lectum ad letum, non pauci in ipso cursu cadunt, dumque maxime agunt animam agunt, imo dicente Seneca, quot pori humani sunt corporis, tot mortis ad illud sunt ostiola. Sed quid exspectandam mortem dico, qui etiam tum cum in hac vita moramur, morimur. Rapit vitam eadem quæ eam inchoat hora, dies dum accedunt decedunt, decrescit vita cum crescimus, & paulatim à nobis ipsis si vel maxime morbi absint, consumimur. Paulatim enim & singulis momentis perit vitæ aliqua pars, quotidie morimur, atque uti clepsydram non ultimum solum evacuat stillicidium, sed quicquid ante guttatim defluxerat, sic decretoria illa hora, quæ vacuum anima corpus reddit, non sola mortem facit, sed sola saltem perficit. Quod si vero ipsa etiam vita quam agimus, continua quædam mors est, quis non vel tacentibus exemplis moriendum aliquando necessario esse, & hominem vitæ, sive etiam vitam homini commodatam non donatam esse, facile agnoscat. Enimvero licet quis Simsoneo

neo ſit inſtructus robore, licet ei cum ϛιοθαλμίοις Patriarchis vita ſupra nongentos annos exeat, eſt tamen quod cum iisdem parem vitæ exitum experiatur, & commune illud totiesque repetitum וימת de ſe quoque enunciari ἐχὼν ἀέκοντι θυμῷ concedat. At quotusquisque eſt, qui ſe vere μακρόβιον dicere ſuſtineat, & non potius μικρόβιον & ὀλιγοχρόνιον conqueratur. Sunt quos in ipſo vitæ apparatu vita deſtituit, veniunt, vident, transeunt, alii paulo quidem diutius in hoc morantur theatro ſed illud ipſum diutius ſi apertis oculis arbitremur, & ad æternitatem comparemus, verius punctum eſt, aut paulo productius, momentum. Quid ergo vieta hominum vita? ὁ βίος βία eſt, iter eſt ad mortem, vapor eſt, μηδὲν eſt. Homo vero quid? אנוש eſt, ſtilla ſitulæ, pulviſculus ſtateræ, ὐδαμινὸς imo & ipſe ὐδὲν & ſi quid eo adhuc vilius. Dixeris etiam eundem ex vero πομφόλυγα, herbam ſolſtitialem, animalculum ephemeron, hemerobion, & ſi quid hujus generis aliud.

Sed quorſum ego quaſi μεμψιμοιρῶν, & lugentibus luctum additurus? Non inquam! id ago, qui potius communem hominum omnium & inevitabilem ſortem dum exprimo, demere graviſſimi luctus partem & dolorem fere ἄτλητον leviorem reddere allaboro. Quod ſi enim omnes eadem conditio devinxit, nonne quisquis mortuum aliquem eſſe immodice queritur, hominem fuiſſe conqueri cenſendus eſt?

est ? Et quid ? an quia acerbi nobis vitæ creduntur casus , & mors omnium acerbissima, ideo etiam Christiano vel illi noxæ esse, vel hæc damnum dare censeantur. Absit quam longissime. Nulla est solidior arbor nisi in quam crebriores ventorum incursant impetus : ipsa enim sui concussione constringitur , & radices firmius figit. Aromata etiam foliaque myrtina, si terantur, odorem longius fundunt. Certe non aliter illis , quorum mentem divini Numinis sincera tangit reverentia , πάντα nec exceptis plurimis vitæ hujus adversitatibus, συνεργεῖν εἰς ἀγαθὸν evidenti divino oraculo erudimur. Quid ergo de ipsa etiam piorum morte , quæ calamitatum humanarum censetur maxima, piis vero ipsis sane ἀκαίρει evenit , dicemus? Non est quod vel in ejus inevitabili necessitate, vel in vitæ nostræ brevitate meditanda subsistamus. Portus piis est mors diu satis inter turbidissimi maris procellas jactatis exoptatissimus, in quem si citius deferamur , non magis est quod male de nobis actum doleant alii, quam si quis secundo vento navigans celerius & vel uno protelo patriæ reddatur. Requies est laborum quam mortem dicimus, vitæ auctius initium , eo vero timenda minus , quo per eam nos ab omni timendo liberari certius. Vitæ ἔξοδος vitæ εἴσοδος est ; ἡ τελευτὴ τελετὴ (initiatio ;) mors quam מות Hebræi dicunt, si vertas, תום piis est, perfectio est. Somnus piorum mors est , ἀπόλυσις est & ἀνάλυσις, κέρδος est, ἀπόθε-

ἀπόθεσις est animæ in manum DEi, & ad ἐνδημίαν πρὸς τ κύριον via quam rectissima. Non igitur moriuntur pii, ingrediuntur pacem, colliguntur ne imminentium fulgurum vim experiantur, in horrea æternæ beatitudinis.

Atque hæc etiam, quæ de bonorum & vita & obitu felicissimo paucis disseruimus æque ut superiora illa minuendi luctus gratia tempestive diximus dicendaque duximus, τὰ χοῖ κὰ relinquente & ad beatorum χώραν κὴ χέρον à nobis abeunte

VIRO MAGNIF. NOBILIS. CONSULTISSIMOQUE

DN. ALBERTO SCHREININGIO,

J. U. D. & incl. Reip. Hamb. Syndico primo opt. mer.

cujus summa cum exstent in Rempl. nostram merita porro & hoc pietas exigere videtur, ut cum mortuo præmium aliud referri nunc nequeat, vitæ saltem ipsius imaginem memoriæ conservandæ caussa summis lineis expressam posteritatis animis oculisque subjiciamus, quæque præconiorum amplitudine volumen implere poterant facta plurima ἀξιομνημόευτα hic tamen saltem ὡς ἐν ἐπιτομῇ & ad primum suum ex quo profluxerant fontem tedacta, generali virtutum commemoratione consignemus. Vivere ille miseram hanc vitam, hoc est, mortalis esse cœpit anno currentis hujus ævi XXXIII. Nactus autem vivendi exordium est ἐυσεβὴς ex

ἐυσε-

ἐυσεβῶν, orbique datus 12. Januarii luce, quam primam Hamburgi ſe vidiſſe non tam eſt quod ipſe ſibi gloriæ ducat, quam ipſa civitas in magna ſui laude ponat, patriaque talem ſe Reipublicæ Virum edidiſſe glorietur. Poſtquam vitam humanam hauſerat, curarunt pii parentes, ut ſublimioris quoque & Spiritualis vitæ particeps redderetur. Hauſit illam paulo poſt ex ſaluberrimis fœderalis lavacri undis, ac ſalutaris regenerationis notam Alberti nomen tulit. Elucebant in puero mature admodum ingenium docile & ad optimas artes quam aptiſſimum, mentis alacritas, memoria tenax, pietatis non obſcura indicia, aliaque quæ optimæ frugis argumenta dare ſolent, puerumque ad magna natum clariſſime arguebant. Itaque quamprimum ſtudiis maturus eſſe cœperat, eorum tela incipienda, animusque bonis artibus induendus ſine mora videbatur. Non lento pede NOSTER progredi, ſed paſſis plenisque velis in eas ferri, omnes horas complecti: adeo vero ei per otium non exibat dies, ut ſæpe etiam noctium partem ſtudiis vendicaret. Cum annum compleviſſet decimum ſextum Gymnaſio patrio nomen ſuum profeſſus eſt, in quo cum per aliquot annos lectionibus diligentiſſimus interfuiſſet Clariſſimorum Virorum, Jungii, Taſſii, Vagetii, aliorumque tum Profeſſorum, tandem ad umbilicum ſtudia ducturus, ſummumque iis impoſiturus faſtigium Altorfium anno hujus ſeculi LIV. conceſſit. Quinquennium

nium hic conſumſit integrum, & eo fructu ut cum Heidelbergenſi Academiæ biennium inſuper dediſſet (quamvis jam tum adverſa valetudo eum tentare inciperet, quod non perdius tantum eſſet in ſtudiis, ſed & tempora ab ipſo naturæ auctore ad quietem refectionemque data non raro in laborem converteret) ſola praxis addiſcenda reſtaret. Itaque Spiram Nemetum ſe A. M DC LXI. contulit, urbem Amphictyonum Imperii conſeſſu celeberrimam, juris dicendi diſcendique ſedem, ut in prudentiæ iſta officina, quam multo ſibi labore & indefeſſo ſtudio acquiſiverat inſignem Juris publici privatique notitiam exerceret. Quæ res ita omnino ex voto ſucceſſit, ut poſt ſeſquiannum, quo ibidem ſubſtitit, ad patrium ſolum remeare conſtituerit. Non tamen niſi menſem unum atque alterum (quod jam tum animum ad peregrinationes adjeciſſet) patria ſe detineri patiebatur, quin anno tertio & ſexageſimo peregrinandi ſtatim faceret initium. Et Ratisbona quidem multis Comitiis ac Imperii Conventibus inclyta civitas, prima omnium videbatur adeunda, tanto magis quod ipſo illo cIↃ IↃc LXIII, anno nova & hucusque continuata comitia præterito anno indicta, ſumtura ibidem eſſent initium. Inde Viennam petiit Auguſtiſſimi Imperatoris præſentia vere auguſtam; ex qua paulo poſt in Italiam penetravit. Ea vero perluſtrata in Galliam Anno cIↃ IↃc LXIV. contendit, ubi cum promeritam doctoralem lauream

in Aurelianenſi Academia conſequutus fuiſſet, mare tranſiit, & in Britanniam feliciter appulit. Reſtabat, ut Belgas quoque adiret, quod iter æque ac præcedentia ita ingreſſus emenſusque eſt, ut ubivis regnorum ac Rerum publicarum ſtatum, quæque præ cæteris viſu notatuque erant digniora, attentius ac ſtudioſius obſervaverit, redux vero in patriam plurimorum populorum mores perquam meditate tenere nunquam non deprehenderetur. Jam etiam legi naturæ, quæ & ſolitarium nihil amat, ſemper vero ad aliquid annititur tanquam adminiculum, & ἀνὴ βροτὸ βροτὸν exigere videtur, obtemperandum ſtatuit NOSTER. Itaque eodem hoc cIc Ioc LXIV. quo domum reverſus fuerat anno, Novembri menſe, connubiali ſibi fœdere junxit florentiſſimam & decoratiſſimam VirginemGESAM VON DER FECHTE, cum qua conjunctiſſime vixit ſuaviſſimeque, ſed ſine liberis ſuſceptis, nec biennium completum, quod antequam abſolveretur penitus, jam matrimonii ipſius ex ſuaviſſimæ conjugis obitu (qui 26. Julii anni M DC LXVI. contigit) diſſolutionem fuerat expertus. Viduum egit SCHREININGIUS annos tres integros, quibus elapſis ad ſecunda tranſiit vota Anno cIↃ Ioc LXIX. d. 6. Sept. cum Virgine lectiſſima & omni virtutum genere ornatiſſima ELISABETHA HORMANNIA, quæ & geminam prolem maſculam ſed præmature & in infantia mortuam, thalamo honoratiſſimo peperit. Luget ea nunc

nunc, & tanto luget acerbius, quo, quanta animorum conjunctione, quanta concordia, quam item ὁμοθυμαδὸν & ὁμοψύχως cum Optimo marito vitam per ipsos octodecim annos & quod excurrit, egerit, diligentius recordatur. Atque hæc Beati SYNDICI nostri privata fuit vita. Publicæ salutis curæ admotus est A. cIↃIↃc LXXII. d. 20. Febr. quo candidissimis calculis in Patriæ SYNDICUM electus est, non minus ex merito suo, quam eventu toti nostræ Reipublicæ multo saluberrimo. Etenim quam nactus erat spartam ornavit ita, ut vere Optimi SYNDICI nomen, mensuram, partes numerosque omnes impleviſſe credendus sit. Actionum enim ipsi norma & moderatrix erat pietas, & ea quidem ἀνυπερβλήτῳ, quæ ut in ea, quæ immensa, quæ æterna sunt, toto se daret animo, & à conscientia rectoque sciens volensque nec transversum unguem recedere constitueret, facile efficiebat. Non mundi, non carnis sectabatur delicias, imo quam eas nec cassa glande nec carioſa nuce emeret, vita, quam Christiano ducebat dignam, quam sæpissime dedit probatum. Tantus vero & ἐρριζωμένῳ in DEum amor Viri occupaverat præcordia, ut præ tanto bono omnia etiam ταυτάλου τάλαντα strenue despexerit. Curiam nunquam vel raro adibat, quin Templi prius limina salutasset, agenda ad supremum Numen retulisset, ejusque opem pro felici suscipiendorum successu supplicibus precibus imploraſſet. Hinc & in aliis

pietatis exercitiis, utpote quæ ex infucato Summi Boni amore non poterant non fluere, totus erat; & τῦ ὑψίςυ promovere gloriam omnis ipsi cura, omnium ipsius meditationum prora erat & puppis. Atque ut summatim dicam; Heliotropium per omnem vitam referre & gnaviter ita allaborabat, ut sicut illud cum Sole etiam die nubilo se circumagere, venientem & abeuntem intueri dicitur, sic ille ad nutum Solis justitiæ totum se componere, eumque varios inter παλαιπώρυς hujus vitæ casus & tempora nonnunquam maxime nubila unice respicere pro virili studeret. Non alia etiam deerant ad collatum munus Optime exsequendum necessaria. Multa namque μέτρῳ πεπιεσμένῳ in SCHREININGIUM nostrum larga benignissimi Patris manus contulerat, & ea quæ raro in uno ex æquo excellunt. Erat in Viro ingenium sublime, & quod haberet in numerato, animus præsentissimus & infractus, memoria excellens & admirabilis, acrimonia Judicii rarissima, facundia ingenita incredibilis, & differendi facultas inexhausta, doctrina vel fatente invidia exquisitissima, prudentia denique eximia & communem modum supergressa. Quibus tantis dum fulgeret dotibus, talem se semper probavit, (cum nihil tam spinosum occurreret, quo ille non se facile expediret) qui & in arena Consilium capere nosset, nec minus tamen in dijudicandis rebus acuratus, in gerendis prudens, in expediendis felix, quam in excogitandis ac in-

inveniendis ſagax & expeditus ubique reperiretur. Cum dicendi neceſſitas ei imponebatur, non verba modo dicturo non deerant, ſed & orationi os inerat, labiis ſingularis quædam inſidebat gratia, quæ audientes quosvis ſingulari voluptate perfundebat. Unde fiebat, ut præter ea quæ domi Reipublicæ cauſa diceret ageretque quotidie, ad exteros quoque ad gravissima negotia conficienda quam frequentiſſime ablegaretur. Sic Vindobonam Auguſtiſſimi Imperatoris aulam bis Legatus lectiſſimus adiit, anno nimirum hujus ævi LXXV. & LXXVI. ibidemque ad an. usque LXXIX. magno Patriæ bono ſubſtitit. Ad Regem Galliæ ſemel Anno cIↃ IↃc LXXIII. legatione functus: ad Daniæ regem Pinnebergam ter, Itzehoam Anno cIↃ IↃc LXXXIV. Semel, ad eundem A. cIↃ IↃc LXXXV. Tychopolin miſſus. Apud Electorem Saxoniæ Anno cIↃ IↃc LXXVI. quo prima vice ex aula Imperiali reditum parabat, in ipſo reditu Patriæ cauſam fideliter egit. Ad Ducem Cellenſem eodem adhuc anno prima vice, iterumque Anno cIc IↃc LXXX, ac demum bis Anno cIↃ IↃc LXXXII. legationem obiit. Nunquam, ter decies quamvis legatus, in Patriam redux fuit, quin commiſſa ex Reipublicæ commodo ac ſalute ſumma fide nec minori dexteritate expediviſſet. Quam vero dicendo valebat (valebat autem quam maxime) tam etiam in conſignandis conſcribendisque, quæ ex officio incumberent, vel calamo ipſius committerentur

ſive ſacra ea eſſent ſive civilia, promptiſſimus ſemper & accuratiſſimus comparebat. Quid de reliquis ipſius dicam curis, laboribus, vigiliis, moleſtiis & plurimis & graviſſimis Patriæ cauſa ſuſceptis & exantlatis? Semper ei ante oculos obverſabatur Reipublicæ ſalus, hujus non ſuis commodis omnia metiebatur, huic prævertebat nihil, poſtputabat omnia, quin & ſingula obſervabat momenta, neque ullum prætermittebat bene de Republ. merendi locum, animum de eadem merendi nec moriturus depoſuit. Nec privatis deerat: nemo tam erat humilis, cui non ad eum aditus pateret, neminem a limine ſuo abſterrebat, nulli fides ejus, nulli opera deerat, copiam ſui omnibus faciebat, benefacere autem jam ex conſuetudine in naturam verterat. Ita vero ſingulis promptam ſemper condicebat operam, ut nullius tamen in gratiam animum mutaret vel linguam, juſtitiæ cultor & promotor ſummus eſſet, SYNDICUS ſemper ἔνδικος, nunquam ἄδικος, nunquam ὑπόδικος, quique τοὺς ἀντιδίκους & vel cum juſtitiæ Sacerdote Samuele in publico & ſolenniſſimo conventu omnes quotquot adeſſent provocare, ſi quis eſſet qui vel corruptæ juſtitiæ vel alterius Criminis reum peragere poſſet, intrepidus auderet. Erat porro noſter hic ἁπλοῦς καὶ ἀληθέστατος, priſci Candoris, fumos nulli vendens, aperto pectore, animumque in primori fronte geſtans, fuco omni ab ingenio ſuo proſcripto, eos vero quam maxime deteſtans,

qui

qui & calidum & frigidum eodem efflare ore didicerunt. Ab ambitione etiam aberat ὡς πόρρω πάτω, neminem e sublimi despiciebat, nunquam supercilium attollebat, de se ipso humiliter demisseque sentiebat, nec elatius se unquam gerebat, quamvis cum humanitate nunquam non in vultu gravitas, decensque tantum Virum auctoritas mixta cerneretur. Præterea ab inani laude & vana ostentatione remotissimus erat, eos, qui divinorum mysteriorum audiunt œconomi, intensius amabat & beneficiis cumulabat, Scripturam S. scrutabatur diligentius & assiduo, moribus suavissimus, in egenos liberalis, vir ad omnes res aptus, ad unguem factus, omnibus virtutis numeris dives, & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Talis fuit noster SCHREININGIUS, in cujus pectoris scrinio pietas ἀφελὴς, infucatus in DEum amor, Reipubl. arcana, jura omnia, germanus candor, σύμφυτος æquitas, & virtus omnigena sedem fixerant & firmas egerant radices. Vixit optimus SYNDICUS δικαίως, sectabatur pro virili ὅσα δίκαια, δίκην causamque omnium bonorum agebat candide, DEO se addicebat totum, Reipublicæ studium suum omne dicabat. Vitæ tam laudabiliter actæ auream tandem etiam imposuit coronidem. Equidem a multo jam tempore, & jam tum, cum adhuc Heidelbergæ studiorum causa ageret, debilitari ipsi Corpus caussarium cœperat, identidemque deinceps cum adversa valetudine conflictari ne-

ceſſum habuit, non ideo tamen illuſtris illa anima, quamvis ruinoſa iſta compage circumſepta, de priſtina aſſiduitate aliquid remiſit unquam, quin ingentem ſuam φιλοπονίαν in commune bonum & proximi cujusvis commodum ad extremum usque ſpiritum promtiſſime ſemper exſeruerit. Et veriſſime dixerim, hunc noſtrum facis inſtar ardentis aliis prælucendo paulatim conſumtum eſſe, qui ne tum quidem cum ætas jam declinaret, corpusque tot annorum moleſtiis infirmius ſe haberet, ſanctiorem patriæ curam vel minimam partem abjecit, nec ullos pro ea labores, quibus ſuſtinendis par eſſet, ſubterfugit. Superiori tamen hyeme graviorem quam antea valetudinem expertus eſt, viresque indies magis magisque imminui cœperunt. Ac quamvis accedente Experientiſſimorum Medicorum induſtria, nonnunquam aliquanto rectius valere videretur, tandem tamen internus æſtus, & quaſi hecticus calor manifeſtius ſe exſerens (catharris etiam ſubinde accedentibus, quibus pectus Viri vehementius afficiebatur) reſiduas vires roburque plenius depaſcebantur. Cæterum cum morbus ingraveſceret, ac NOSTER vitæ ſuæ crepuſculum adeſſe animadverteret, (quod jamdiu Chriſtianam mortis ἀφοβίαν induxiſſet in animum) totum ſe providentiæ divinæ tradere, morbo nec tantillum frangi, omnis ejus ſermo ad preces ἐκτενεςάτας revolvi, ſicq; decretoriam illam horam intrepido animo exſpectare.

re. Adfuit illa, die qui nuper elapſus eſt hujus menſis octavo, circa undecimam veſpertinam, qua inter preces & ſuſpiria, plenus in Salvatorem ſuum fiducia placidiſſime obiit. Non obiit, ex vita abiit: non abiit ex vita, abiit ad vitam: abiit & eo quidem tempore, quo Salvatoris abitum omnibus abituris piis ſumme proficuum, Joh. XVI. 5. 7. 16. 17. promiſſum prædictumque, Eccleſia pie commemorat. Non inquam abiit ex vita, tranſiit ad vitam, tranſiit ex immundo mundo, mortali vita finita, immortalem & vere vitalem vivere cœpit. Mortuum hunc ſtatuemus? quid mortuum? mortuus non eſt, exuit mortalitatem, exuit quicquid mortale caducumque habuit, immortalis factus eſt. Neque enim vera eſt mors, quæ vitam non aufert, ſed in melius transfert; non eſt mors, per quam ad immortalitatem tranſitur. Denatum dicemus? nec denatus ſed natus eſt. At nos tamen eum amiſimus, non amiſimus, præmiſimus. Receſſit à nobis? non receſſit, præceſſit. Poſuit corpus? imo poſuit, nam δέμας hoc δεσμὸς ipſi erat. Oculos clauſit, ut videret quæ mortalium nullus vidit oculus: Labia compreſſit, ut DEI laudes acutiori voce exprimeret: obſtruxit aures, ut audiret ἀῤῥητα ῥηματα; vitam finiit ut inciperet: exſtinctus eſt ut Solis inſtar fulgeret. Hunccine flebimus nos qui omnis fletus eſt expers? Hunccine lugebimus SYNDICUM, qui hymnidico Angelorum choro additus, totus in

CHRISTO MORTIS DOMITORI S.
HIC CORPUS CADUCUM RELIQUIT, ANIMA COELO REMISSA,
DN. GEORGIUS VON-HOLTEN,
SENATOR REIP. HAMB. PRINCEPS,
ET A. C. cIↃ IↃc LXV. CONSUL VICARIUS.
CUI PARENTES FUERE LAUDATISS.
HENRICUS VON-HOLTEN,
ET
CATHARINA GARMERS:
UXOR ERÆSTANTIS.
ANNA SYLMIA. J. SYLMII F.
EX QUA SUSCEPIT LIBEROS V. DE QUIBUS HABUIT SUPERSTITES FILIUM ET FILIAM FLORENTISS. QUI IPSUM NEPOTIBUS IV. DULCISS. AUXERUNT.

ALIAS DEFUNCTUS STUDIIS
ET PEREGRINATIONIBUS EGREGIE SUPRA ALIOS, EUROPA CULTIORE LUSTRATA, ORIENTEQ. ADITO, ET SACRA URBE HIEROSOLYMITANA, PRÆFUIT PREFECTURÆ
RITZBUTTEL. A. C. cIↃ IↃc LIX. ET SEQUENT.
FRACTUS LABORIBUS MORBISQ. OBIIT PLACIDE, D. XII. MART. JULIANI A. cIↃ IↃc LXXIII, EXPLETIS ANNIS VIT. LXVII.

CHRISTE TUIS MORTEM PARITER LARGIRE BEATAM.

MOR-

MORTALES nos mundi incolæ, & cives ſumus, ſive mundani, cum Socrate: mundus eſt quaſi communis domus, aut urbs, & civitas, ut Cicero loquitur. Ille in cœlum, & terram dividitur. Hæc hominum miſerorum eſt domicilium: illud Deorum dicebant ethnici, nos recte unius DEI, & beatorum, quos ille ſibi aſſociat, pronunciamus. Cœlum DEO, & piis innumeris etiam locis, ſacræ tribuunt litteræ, & hinc habitationem cœleſtem, vitam bonaque: quæ quo ſenſu accipienda ſint, utque comparationibus ejusmodi liceat uti, earum nos docent interpretes. Magna orbis terrarum civitas in plures alias dirimitur: quæ ſuis imperiis ſingulæ gubernantur, communi humanitatis vinculo, niſi improbitas hominum nimia violat, connexæ. In hoc maxime divina benignitas providentiaque elucet: in hoc humana ratio, virtusque oſtenditur. Quicquid boni a DEO in humanum genus adhuc confertur, in civitatibus apparet: omniumque ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum Rep. eſt unicuique noſtrum, ut Tullii iterum verba inſeram. Certe ita fieri æquum eſt. Neque poſſum non ex eodem, quoniam ſe præ aliis offerunt, repetere hæc: nihil eſſe principi DEO, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum jure ſociati, quas civitates appellamus. Adjungit, quod pulcherrimum, rectores, & conſervato-

vatores earum de cœlo in eas proficiſci, in cœlum referri: cui conſentanea innumerabilia Plato, aliique tradiderunt. Talis, inter rectores civitatis noſtræ prudentiſſimos, nobiliſ. & ampliſ. DN. GEORGIUS VON-HOLTEN exſtitit, Senator princeps, bene de Rep. meritus, quo inter mundana præſtantius nihil. Illum itaque civitas ſua poſt mortem perpetuis quoque proſequetur honoribus: & nos in præſenti elogio funebri qualicunque, in quo univerſa vitæ ejus imago, pauciſſimis comprehenſa, oculis animisque ſubjiciatur. Hamburgenſis eſt: hæc ipſi patria & naturæ, & civitatis: cujus luminibus miſcet ſua, ut ambo duplicentur. In ea præclariſſima ſtirpe ortus, An. Chr. cIↃ IↃc VI. menſ. Mart. d. XVII. Parentibus HENRICO VON-HOLTEN, & CATHARINA GARMERIA, ut remotiores taceamus. Qui ſingularis & excitatæ indolis filium, & præceptis ſalutaribus inſtruxerunt ipſi, & ad erudiendum liberalibus diſciplinis magiſtris idoneis commiſerunt. Miſſus deinde ad exteros eſt, & in ſtudia, ubi maxime florerent: peregrinatusque varie, & rariſſima exempla imitatus. Non contentus enim Europa, in Africam ſe penetravit, Aſiamque, Ulyſſis, peregrinantium celeberrimi, ambages ſupergreſſus. Ægypto luſtrata, & in ea Memphi nova, ad oppoſitam Nili ripam locata, operibusque, quibus vetuſtiora non habet mundus, in Syriam Palæſtinamque tranſiit. Hic, ut alia loca ſacra taceam, urbem Hie-

Hierosolymam, qua religionibus nulla potior, ingressus: & in ea templum, Christianis sanctissimum, loco crucifixionis, & sepulturæ Servatoris, nobile. Non sine arcano pietatis sensu hæc inspici queunt: & ipse testatus est, se commotum, & talibus argumentis mirifice confirmatum. Ubique, qua venit, viris præstantioribus, summis, principibus probabatur, amabatur, & honoribus ornabatur. Domum reversus patriæ bonum civem reddidit, & decus grande: quod auxit multis modis, muneribus publicis susceptis, & egregie administratis, obitis legationibus utilissimis, expeditisque negotiis gravissimis. Senatorio ordini adscriptus est A. cIↃ IↃC XLIX: A. LIX & sequentibus Ritzbuttelensi præfecturæ vacavit. A. LXV. Consulis vices, ita ferentibus rebus, obivit. Quod ad privatæ vitæ munia attinet, non minus se & maritum, & patrem, & familiæ rectorem demonstravit optimum. Uxorem habuit nobilis. ANNAM SYLMIAM: quæ filios tres, filias duas, matrimonii jucundissimi fructus, enixa est. Supersunt filius unus, unaque filia, ambo florentissimi; qui quatuor liberos, patri nepotes optatissimos, reddiderunt. Servet eos DEUS, & incrementis pluribus augeat. De morte beatissima hæc pauca adjicienda sunt. Valetudo ipsi Improspera ultimo tempore, ut fieri solet, per ætatem accrescentem, & curas toleratas, laboresque. Ei firmandæ, nunquam tamen intermissis muneris sui officiis, equidem dedit ope-

operam : ſed denique ſuccumbendum fuit, ut omnibus, cum ad metam fatalem ventum, d. XII. Martii, qui nuper decucurrit. Atque ita ex terreſtri civitate in cœleſtem relatus eſt Senator noſter, ſive in DEI civitatem. Equidem ei jam adſcriptus hic erat, ut alii ejus cives Chriſtiani : ſed omne jus, & quid eſt boni in ea beatique inter cœlites adeptus eſt totum. Civis eſt non amplius adumbratus, inchoatusve: ſed verus plane, & conſummatus. Univerſum adeptus eſt cœleſte πολίτευμα: quo quid melius nobiliusque ? Hoc ſola illa dare poteſt πολιτεία Θεοπάτη: quæ fruſtra in terra ab Ariſtotele, Platone, Moro, & aliis rerum publicarum architectis, quæritur, aut voto fingitur, aut in ſomnio cernitur, aut per ideam delineatur. Fruſtra eadem quæratur in inſulis, beatorum ad occidentem ſitis : fruſtra apud innocentes Æthiopes, quo Dii Homerici comeſſatum eunt: fruſtra apud Septentrionales, quibus vertex incumbit hic ſublimis. In cœlo unice quærenda eſt, adeunda eſt. Hic eſt civitas Dei lætiſſima, ejusque ſedes ſanctiſſima. Hæc eſt nova Hieroſolyma, a DEO exſtructa, è cœlo demiſſa, tota gemmea, & DEO plena. Hic boni ſummi ſumma : in hoc mundo, ſive terra, nihil fere : in qua hominum, quaſi formicarum, diſcurſus eſt. Quid ? ne quidem tantuli ſunt habendi. Punctum eſt iſtud in quo navigamus, in quo bellamus, in quo regna diſponimus : ſi non tam Senecam audimus, quam

quam rem ipſam intuemur. Quinimo ne quidem cives hic habendi ſumus, ſi accuratius rem arbitramur, & vera à ſimulatis diſcernimus: advenæ ſumus, hoſpites, peregrini: &, quod majus, pro inimicis, & hoſtib. tractamur, ab iis, qui per vim, & nefas hic omnia ſibi vindicant. Quare vita eſt hæc nobis non mancupio data, ſed uſui, reddenda, cum DEus juſſerit. Atque dicente divino ſcriptore, non permanſura nobis hæc civitas eſt: ſed altera, nempe cœleſtis, & æterna, acquirenda. Quæſivit, adeptus eſt VON-HOLTEN, Senator olim noſter, nunc ætherei concilii pars non poſtrema: nunc inter principes, & reges collocatus à CHRISTO: quales ſunt cœleſtis reipublicæ cives. O civitatis permutationem feliciſſimam, o cives optimos, & beatiſſimos, o te cœleſtem nunc ſenatorem HOLTENIUM! Dicebat olim aliquis non imprudenter: eſſe bonum plures perluſtrare urbes, optimum in præſtantiſſima habitare. Quænam vero præſtat cœleſti, in qua nunc potius habitat, poſt plurimas in orbe terrarum perluſtratas, ac nuper in hac noſtra Senator princeps HOLTENIUS? Dulcis unicuique eſt patria ſua: & Ulyſſes, dea optatum fumum ſi cerneret, ſibi gratulabatur. Cœlum patria germana omnibus piis eſt: ibi non niſi lumen merum, Sol aſſiduus. Patria eſt, ubicunque bene eſt: quæ vox olim Teucri fuiſſe perhibetur. Nulla hinc patria cœleſti anteponenda, in quam reverſis optime

eſt:

est : & nunc est optime SENATORI nostro, inter proceres divinos fulgentissimo uni. Sæpius ejus nomen nobis repetitur : quoniam gratissimum, semper memoria tenendum, celelebrandumque. Ad hoc hanc qualemcunque orationem nostram accommodavimus, de laudibus, & nominis æternitate securi : quippe quæ ex sese stabunt, perennabuntque : & a filiis florentissimis, nepotibusque, & longa, quam dabit DEus, posteritate propagabuntur. Eadem omnia, quæ attulimus luctui demendo sunt : neque tamen monitis ejuscemodi egent mœrentes. Quippe, præter alia innumera, meditantibus utilia, norunt, reliquisse quidem officia vitæ, quibus fideliter, & cum cura functus est, SENATOREM optimum : at ipsum tamen non nescivisse, æque ac nos non nescire par est : unum esse officiis quoque vitæ, mori. Addamus, esse ex maximis Christiani hominis officiis, fortiter, per fiduciam in Christo positam, mori. Ita sane omnibus officiis DEO, & hominibus ab ipso satisfactum est. Satisfaciamus & nos, quantum licet : & hoc die, quo solemni & frequentissimo funere ad conditorium in templo D. Nicol. efferentur reliquiæ, supremum hoc ipso præstemus, quod vulgo ita dicitur. VIRI SPLENDIDISSIMI, PROCERES REIP. Ordines quicunque, civesque universi, & omnes denique, qui se mundi cives, & mortales non ignorant, non tam invitati, quam ultro approperabunt. Musæ ad extremum nostræ,

ſtræ, quibus erat præſes, & curator, officium non minus ſuum utcunque facere debuerunt: epicedioque claudunt, quo virum beatum ita alloqui viſum.

SALVE cœlitibus junctæ Quiritibus,
Salve ſidereis addite patribus,
HOLTENI. Veteres ſi quid imagines,
Si fulgor generis, ſplendida dignitas,
Natorum radii, gloria nominis,
Et tranſacta bonis vita laboribus,
Addunt egregii luminis: emicas,
HOLTENI, veluti luna minoribus,
Plena luce tumens, prænitet ignibus.
Hic vitæ ſocios inter, & incolas
Terræ degeneres, non bene vivitur.
Mundi diſparibus maxima civitas
Fervet tota, malis obruta, civibus.
O cives varios, & minis improbos,
Vexatos furiis, & miſerabiles.
Angvino genitos dixerimus ſatu,
Seu proles fugiens ſparſerit Æſonis,
Seu prudens Tyrii natus Agenoris.
Hic regnant Lapithæ, nubigenæ feri
Hic pugnas iterant. Agmina ſæviunt,
Et thyrſos quatiunt, quæ trahit ebrius
Evan, lyncas agens, & ſtimulans lupos,
Non unus: ſimiles mille ferociunt,
Et plures: homines perdidimus fere.
Hic Thebas reduces ſemper, & obvium
Hic Argos pariter cernimus: & domus

Lydo-

Lydorum madidas, & Sybariticas.
Hic fas atque nefas vertitur indies,
O cives varios orbis, & incolas!
Heu quam dulce malum, cordibus insitum
Nostris, lucis amor tantus, & inquies:
Mundi tantus amor, qui ruet ocius.
Vobis, o animæ, quas pia civitas
Christi consociat, queis habitabilis
Pro terra polus est, vivitur optime.
Hæc est plena bonis sanctaque civitas.
Impuri nihil hanc, nil miserum tenet.
En hic Sol DEUS est: rex simul omnium
Hic unus DEUS est. Gemmea, & aurea
Urbs hæc tota DEI. Principibus pares
Divino hic habitant munere cœlites.
Salve, cœlicolis addite civibus,
HOLTENI, repeto. Dicimus haud vale:
Salve perpetuo. Nos etiam tui
Exspectat memores aurea civitas.

P. P. D. XVIII. Martii Julian.
A. C. cIↃ DC LXXIII.

SCRIB. SUPR. OFFIC. C. LVG. M. Q.

MICH. KIRSTENIUS,
PH. ET MED. D. ET P. P.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

NOBILIS. AMPLIS. PRUDENTIS. Q.

VIRO

DN. EVERHARDO VOM CAMPE,

J. U. L.

SENATORI ET SCHOLARCHÆ,

DICATUS:

ET INVITATIO

AD FUNUS EJUS DEDUCENDUM

D. VII. MART. JULIAN.

A. C. cIↃ IↃc LXXV.

QUam vulgare eſt, & commune hominibus omnibus vivere, & mori, tam diverſæ vivorum eorum & mortalium de utroque, vivendo, inquam, & moriendo, ſive vita, & morte, ſententiæ atque præjudicia exiſtunt. Senecæ eſt: (a) an neſcis, unum eſſe ex vitæ officiis mori? Et hoc alterum: moreris non quia ægrotas, ſed quia vivis. Itane? anne hæc tam inter ſe conjuncta ſunt, implicita, & pœne eadem? Quam bene inter ſe conveniunt, quæ maxime pugnant? Quid magis ſecundum naturam, quam vivere, quid ei adverſum magis, quam mori? Quid illo dulcius, quid hoc acerbius, triſtiusve? Imo rerum omnium maxime

(a) Ep. 77. & ſeq.

terribilis mors eſt, non tam ullius mortalium teſtimonio, quam naturæ ſenſu. Fuit olim, qui diceret: vivendum eſſe ſibi, licet in cruce ſederit acuta. Hic nimius vitæ quidem, & inſanus, & miſerrimus amor eſt. Unum eſt ex vitæ officiis mori, ut ex Seneca retulimus. Simul enim atque aliquis vivere incipit, ut nos nunc corrupti ſumus, aptus & maturus eſt ad mortem; & omne momentum, quod vivimus, dividimus cum morte, cujus cauſſam, intimæ infixam vitæ, nobiscum circumferimus. Atque viventibus nobis moriendum eſt, neque enim alii moriuntur. Et cum noſtrum ſit facere hoc, ſine exceptione ulla, aut effugii ſpe, ſane vitæ unum officium, & poſtremum, & maxime neceſſarium eſt mori. Adde optimum eſſe, & utiliſſimum, & deſiderabile, & feliciſſimum, ſi lubenter moriamur, ſi bene, ſi fiducia vitæ a morte recuperandæ, & immortalitatis futuræ niſi. Sapientiſſimus quisque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo, ut Cicero judicat. Nemo magis autem ita mortem obit, atque Chriſtianus, qui certum habet, non tam mortem, quam immortalitatem ducendam: non mori hoc eſſe, ſed renaſci: pro caduca vita, & calamitoſa, potiri æterna beatiſſimaque. Non ereptam vitam, ſed donatam mortem noſtris credamus, quando evocantur, ut & hoc dicamus cum (b) Romanæ eloquentiæ principe. Quippe ſi homo, veri numinis, & pietatis expers, ita ſenſit, quo

(b) Lib. 3. de Orat.

quo ſenſu nos decet eſſe, cœleſtis doctrinæ præceptis inſtructos? Nonne exiſtimemus, mortem nobis dono dari, & beneficii inſtar eſſe, quo a DEO ſervatore noſtro in hac vita nullum majus, & magis expetendum conferri poteſt? Hæc in mentem inciderunt, intuentibus in primarium Senatorem, qui nuper vivendi finem fecit, bene meritum, & ſupremo elogio condecorandum: inciderunt vero, quod cum ceteris vitæ officiis, tum hoc extremo egregie, & adeo in exemplum dignus proponi, functus eſt. Eſt, inquam, vel potius fuit, nobis, cujus memoriæ honorique hæc dantur,

NOBILIS. AMPLIS. CONSULTIS. Q. VIR.

DN. EBERHARDUS VOM CAMPE.

J. U. L. REIP. PATRIÆ HAMBURGENSIS SENATOR PRUDENTISSIMUS, ET SCHOLARCHA.

Fecit, quod ſibi fuit faciendum: a primordiis vitæ munia usque ad fatalem hanc metam, qua terminantur, explevit omnia. Abiit, ſe abſolvit, dimiſſus eſt a DEO, qui in hac ſtatione collocarat. Æquiſſimo animo vitam depoſuit, nihil moratus, quæ ab officio eum abſtrahere poterant moriendi: quæ quidem non deerant, ſi ipſius animus ex plurium aliorum judicaretur. Nihil omnino acerbam reddebat mortem, quod paulo dulciorem effecerat vitam. Abundare ſapientia probavit ſe ſumma, per quam fit,

ut officia vitæ tali pacto consummemus, inprimis cœlesti, qualis a DEO nobis inspiratur. Quam expetiverunt sibi viri sanctissimi, frequente de moriendo meditatione comparandam. Igitur quasi jubens nos valere, & potius sibi gratulari, & applaudere, quam queri, aut lugere intempestive, ad officia vitæ melioris transiit. Ut iterum dicamus, perfunctus est partibus omnibus officiorum, quæ inter homines gessit: nunc nobis danda est opera, ut etiam partibus nostris potioribus, & quantum in viribus nostris situm est, erga illum perfungamur. Luctu vero, & pio prosequendus est nobis, non sui causa, sed Reip. sed suorum, sed nostra, quibus est ereptus: cum, si rursus hominum more arbitramur, diu adhuc beneficia aliis, eaque multa, per officiorum suorum partes; præstare potuisset. Inprimis etiam Musis nostris subtractus est, ab iisque deflendus: utpote quibus, quod minime silentio prætereundum, prope exitum vitæ benefecit luculentissime, in Athenæi nostri reparatione, dum adjuvit electionem Professorum, quibus diu caruerat. Hoc clarissimum est ejus factum unum, cujus etiam memoria, & laus supererit, quamdiu Musis his nostris superesse datum fuerit, sive monumenta litterarum extabunt ulla. Sic sol, vel aliud sidus ante non raro, quam occidat, refulgere solet clarius, & pulchrius, inter nubes, quæ circumfunduntur. Deinde fungi nos aliis quoque officiis oportet, quæ ipsi debemus, & illo, quod ad

exe

exequias cohoneſtandas pertinet, & ceteris, in poſterum continuandis, quibus nomen viri, merita, & laudes proſequamur, & exornemus. Pulchrum eſt benefacere Reip. ut dixit (c.) Salluſtius. Maxime eſt hoc Senatorii ordinis, ſive Senatus proprium, ſine quo civitates ſtare non poſſe (d) Cicero teſtatus eſt: qui Reip. eſt cuſtos, præſes, & propugnator: cui ordini multa impoſita ſunt munera, multi labores, multa pericula, non ſolum legum, ſed etiam rumorum, & temporum: ut iterum [e] Tullii verba uſurpemus. Adeoque (f) cum nobis, eodem monente, cari eſſe debeant, qui Reip. bene conſulunt, & conſuluerunt: caritas hæc iis rebus, quas memoravimus, pro noſtra conditione, quodammodo declarabitur. Atque utinam cogitandi ſpatium daretur majus, vel eloquentiæ vis copioſior, vel utrumque potius in promtu eſſet: ut hæc officiorum noſtrorum particula, quæ ad elogium pertinet qualecunque concinnandum, & ad poſteritatem ſi cum fama & dignitate ejus paria facere debeat, transmittendum, meritis ipſius & voluntati noſtræ utcunque reſpondeat! Verum ut ut habeant ſe res, SENATOR CAMPIUS orationem, quam de ipſo afferimus, commendat ipſe: imago velut ejus, verbis adumbrata incultis, eo venerabilior futura eſt, quo magis ineleborata, aut ad-

(c) De bello Catilin
(d) Orat. pro P. Sext.
(e) L. 2. de Orat.
(f) ibid.

ſcitis coloribus minus ornata fuerit. Ita imagines aliæ nonnullæ, rebus a natura ipſa, ſine ulla artificum opera, impreſſæ, ſive lapidibus, ſive metallis, ſive aliis, reperiuntur, quæ ab æſtimatoribus peritis naturalium operum præferuntur iis, quæ vel artificioſiſſime ſunt facta. Sed fortaſſis hæc prolixius: ad imaginem ipſam convertamur, & officia vitæ præcipua, in quibus illa perpetuo elucet, eaque quæ accedunt, & quaſi apponuntur, ut in aliis, quæ delineantur, accidit. Officia vitæ a naſcendo auſpicatus eſt, ut alii faciunt homines, feceruntque omnes, ſi duos excipias, quos omnipotens conditor, & pater humani generis, ipſe ſua manu peculiariter formare dignatus eſt. Fuerunt qui dicerent, invitos nos naſci, invitos mori. Neſcio, quam recte. Naturæ ſponte, niſi quid obſtet, in lucem potius properamus, quam prodimus, ferimurque impetu, ſine memoria, ſed non ſine ſumma propenſione, quæ eſt pro voluntate. Auſpicalem vitæ diem, ſive natalem, ſortitus eſt XVIII. Maji Juliani, anni hujus ſeculi XIX. hic Hamburgi. Inde procedunt cetera vitæ, in hunc diem productæ, munia. Et poteſt gaudere hac urbe, patria ſua tam illuſtri, quemadmodum ea viciſſim cive tam nobili, qui ei natus eſt domi. Cum Reip. natus eſſet, ſtatim ſacra ablutus aqua Chriſto, & eccleſiæ renaſcebatur, inſerebaturque. Porro magnam vim, magnam neceſſitatem, & religionem poſſidere paternum maternumque ſan-

ſanguinem, Cicero (g) nos jubet credere, innumera aliorum comprobant ſuffragia, exemplaque, documento eſt noſter SENATOR. In eorum, ex quibus natus eſt, ſerie, ſive ordine, antecedit pater, JOACHIMUS VON CAMPE, J. U. L. & Senator Hamburgenſis, qui quoque præfectus Ritzbutelenſis fuit: cui juncta uxor GESA TVESTRENGIA, mater noſtri. Ille diſceſſit ex hac vita, Anno cIↃ cIↃ XXXVIII, hæc Anno cIↃ IↃcLXXI, cum ad grandiorem ætatem perveniſſet. Si pergamus ad remotiores, offeruntur hi præcipue: avus PARIDOM VOM CAMPE, Senator, & abavus, JOACHIMUS VOM CAMPE Conſul: quibus aſſocietur EBERHARDUS TVESTRENGIUS Conſul, avus maternus. Videtis, cum ſanguine paterno maternoque propagatam virtutem, propagatam dignitatam noſtri EBERHARDI: in quo qui ipſum procrearant, quaſi revivixerunt; optamusque, ut ſimiliter aliquando filius eum nobis, vel potius Reip. reddat. Dignum ſe a teneris usque hoc ortu præbuit, tam morum elegantia, quam ingenii cultura, quæ vim inſitam promovet, auget, perficit. In his vitæ, jam ad ſeria tendentis, & magis magisque expoliendæ, officiis diligenter verſabatur. Itaque cum domi ſatis profeciſſe videretur, in Academiam Juliam a matre, amantiſſima ſui, miſſus eſt, jam patre orbatus, anno cIↃ IↃc XXXIX: in qua Mu-

(g) Orat. pro Roſc. Amer.

ſarum officina nobiliſſima commorabatur ad annum usque XLIII. ſecutum: quo ad Jenenſes, ſtudiorum quoque gloria inſignes, demigravit, ibidemque anno XLVI. honore Licentiæ juris utriusque, uti apellant, ab iis fuit auctus. Poſtea itineribus ſe commiſit, ut, ſi civis mundi, ut ita loquamur, factus eſſet magis, patriæ prodeſſet magis. Nobiliſſimis duobus juvenibus Holſatis ALEFELDIIS magiſter & comes addebatur primo; & deinceps cum eorum uno BERTRAMO VON ALEFELD poſt moram, Franekeræ in Friſia tractam, Galliam & Italiam adiit, & Ulyſſeo more, præter Germaniam, perluſtravit. Atque hoc modo hæc vitæ officia cum laude abſolvit: majora reduci patria parabat, & conceſſit, quæ tamen pauciſſimis perſtringenda ſunt nobis, ſpacio & tempore excluſis. Dicaſterio inferiori acceſſit Anno LVII. & ſequente: Anno LVIII. amplisſimo Senatorum ordini cooptatus Petrina dictum ſolemni, ſive XXI. Febr. Anno LXVIII, una cum nobiliſ. ampliſ. q. V. D.D. VINC. GARMERO SYNDICO Reipl. hujusque cauſſa miſſus eſt Ratisbonam, ad comitia Imperii, & porro Vindobonam, in aulam auguſtiſ. Imperatoris: rebusque confectis feliciter domum revertit Anno LXV. Senatoris muneribus obitis oſtendit, in ſummum civitatis noſtræ conſilium convenire ea; quæ ſuperius ex Tullio adducebamus. Quod ad privatam vitam, & ejus officia attinet, etiam in iis fidem, diligentiam,

pru-

prduentiam ſuam non paſſus eſt deficere: acceptosque hic merito refert divinæ providentiæ proſperos ſucceſſus rerum ſuarum, & multum bonorum, quibus eſt cumnlatus. Arborem retulit, ad rivum conſitam, qualem divino carmine Davides laudat. Uxorum primam duxit anno LV. virginem lectiſſimam, CATHARINAM, viri honeſtiſſimi JOH. MOLLERI XII-V filiam. Sola domum hæc ſervabat, ut ad Virgilianum illud alludam. Suſcepit ex ea filium JOH. JOACHIMUM & filiã CATHLRINAM GESAM, ambos ſuperſtites, arboris laudatæ fructus eximios, & gratiſſimos, in quos Deus parentum ſortem transferat confirmatam. Secundis nuptiis, etiam auſpicatiſſimis, conjugem ſibi præſtantiſ. fœminam AGNETEM viduam adjunxit, patre nob. & experientiſ. V. BERNH. LANGVEDELIO M. D. & Archiatro, progenitam. Factum hoc eſt A. LXVI. poſtquam priorem amiſiſſet A. LXI. Ex hac natæ ipſi ſunt filiæ duæ-, quarum una AGNES GERTRUDIS reliqua eſt, quæ cum ceteris, & matre dulciſſima, licet minor natu, parentis deſideratiſſimi obitum lacrymis luctuque proſequitur. Fidem & affectum uxorum erga ipſum, & ipſius erga illas, liberorum amores, & diſciplinam domeſticam, quibus omnibus ſe probavit & providentiſſimumũ, & diligendũ patrem familias, maritũ, patrem, comendem ne pluribus? Notiſſima ſunt, verbis abutendum nunc non eſt. Officia vitæ ita

universa est executus, ut repetamus, & extremum D. XXVIII. Febr. nuper elapsi, hor. IX. vespertina, qua beatissima morte & vitam hanc, & omnia ejus officia finivit. Jam ab aliquo tempore valetudine afflicta dubiaque esse cœperat, ut per annos diu colliguntur, & ingravescunt sensim, & denique subito erumpunt, ac vi agunt, quæ viventes ad terminum deducunt officiorum, & cessationem. Vita a re tenui pendet, & quasi filo quodam fragili, cordis scilicet motu qui admirabili necessitate cum perpetuo usu copulatus est aëris, per reciprocationes agitandi. Itaque aëre magis vivimus quam aliis. Commeante spiritu, & micante corde, spiramus & commovemur, quod vivere est: spiraculis intercluſis, acquiescimus, quod est mori. Quod fit nonunquam repente, vi morbi subito vitæ fontem oprimente, quod accidit nostro Senatori. Ut moreretur, vivendum ipsi fuit. Hinc dicebat Seneca, mori nos, quod vivamus, non quia ægrotemus: etsi hoc dictum videtur subtilius, ut Stoicorum plurima. Inchoavit vero SENATOR optimus eodem momento alterius vitæ officia nunquam finienda, ad quæ etiam pergendum nobis. Intera, dum hic sumus, hæc faciamus qua possumus fide & diligentia, & ea quoque SENATORI beata præstemus extrema, quæ supra indivicamus. Exequiis solemnibus efferetur D. VII. Mart. in conditorium deponendus, quod est in æde D. Nicolai. Det DEUS ut nos quoque diligentissime perpendamus

mus momenta officiorum noſtrorum, & ſupremo fungamur bene, quo nullum aut difficilius, aut ſalutarius. Apponimus funebre carmen, & rogamus, venia detur, ſi quæ noſtro huic officio deſint, aut minus ſint recte dicta factave.

MUndo CAMPIUS exiit SENATOR,
Qui nunc horribili ruit tumultu,
Diſcerptus Furiis. Et ille vitæ
Multis muneribus, probeque functus
Et feliciter, exiit vocatus,
Partes officii peregit omnes:
Extremum fuerat mori beate.
Felix officiis utrisque, CAMPI,
Vivendi bene, quam diu dabatur,
Cedendi bene fortiterque vita.
Summam conficiunt eam bonorum
Hæc conjuncta, DEI favore dantis,
Quæ vitamque beat, beatque mortem.
Sic eſt vivere, ſic moriqne lætum.
Sic ſe munera conſequuntur apte
Et vitæ officiis DEO probamur,
Mortisque officio DEO probamur:
Qui vitæ moderator atque mortis,
Et dextra retinet potente fata,
Quæ mortalibus hanc ferunt & illam.
Non tu munera grata non habebas,
Divina bonitate contributa,
Quæ vitam deceant, juventque, CAMPI,
Quæ reddant facilem, magisque ſuavem:
Sed cœleſtia dona prætuliſti,

Quæ

Quæ vitam faciunt, & hanc perennem,
Modis omnibus unice beatam.
Ad hanc officiis tuis iisti
Expletis, quibus est statuta meta:
Hic tu nunc aliis vacas, SENATOR,
Felix officiis, quibusque nulla
Res fraudi est, neque finis est futurus.
Sic nunc integra vita, nulla mors est:
Sic nunc sidereo sedes Senatu,
Ut non cedere debeas, SENATOR.

P. P. D. VII. MART.

MICHAEL KIRSTENIUS,
PH. ET MED. D. P. P. ET G. R.

Elogium breve
DANIELIS von CAMPE,
J. U. L.
& Senatoris Hamb.

DE Danielis von Kampe parentibus & majoribus nobilissimis non est opus repetere ea quæ supra in elogio Patruelis Eberhardi von Campe dicta sunt. Sufficit eum è Senatoria & Consulari familia natum esse Anno MDC XXXI. die Martii VIII. Patrem *Paridonem von Campe* Reip. Hamb. Protonotarium amisit Anno MDCL.

MDCL. Calendis Julii, cum jam inter patrias Muſas præclara in litteris fundamenta jeciſſet. Inde Helmſtadium & poſt aliquod tempus Tubingam ſtudiorum gratia petiit, denique Aureliam Galliæ ubi Licentiatus utriusq; Juris creatus eſt. Facto hinc per Galliam, Italiamq; itinere domum rediit, duxitque *Dorotheam*, *Nicolai Jarre* Conſulis filiam è qua octo liberos ſuſcepit. Horum una ſuperſtes fuit *Anna* Nobiliſſimo *D. Barthol. Nicolao Schaafshauſen* nupta Anno 1684, 3. Cal. Maji, ſed in partu Anno 1686. Dec. 22. extincta. In Ampliſſimum Senatorium ordinem cooptatus eſt noſter Anno MDCLXIII. atque præter alia merita tres eximias legationes Reip. cauſſa obiit, unam Anno MDCLXVI. in Angliam cum Nobiliſſ. Collega Johanne Eckhofio, ubi per quinquennium eſt commoratus, uxore interim eum inſecuta tribusque liberis ipſi & genitis apud Anglos & extinctis, Collega autem propter morbum patriam repetente. Alteram Anno MDCLXXI. Lutetiam Pariſiorum una cum Conſultiſſimo Viro D. Alberto Schreiningio, Reip. Syndico, & tertiam una cum eodem Schreiningio Viennam MDCLXXV. cui non diu ſupervixit, ſed anni proximi die 24. Sept. ex hac vita diſceſſit cum vix XLVI. annos natus eſſet. Uxor cineres ſuos mariti cineribus adpoſuit Anno MDCLXXVII. in templo S. Nicolai.

Elo-

Elogium breve

HARTWIGI von SPREKELSEN, J. U. L.

Senatoris Hamb. & Præfecti Ritzbutelenſis.

E Sprekelſenia gente, qua nulla eſt Hamburgi clarior antiquiorq;, natus eſt Hartvvigus de Sprekelſen A. MDCXXIV. die XXI. Mart. patre *Hartvvigo*, mercatore inſigni & matre Margareta, *Joachimi Claenii* Conſulis filia. Avus parenti cognominis, itidemque negotiator celeberrimus, avia *Catharina*, Filia *Henningi Matthiæ* Senatoris Anno 1565. 22. Jul. in Prætura morbo contagioſo qui in urbe tum graſſabatur correpti extinctique. Proavus *Petrus à Sprekelſen* Conſul, proavia *Bartholda de Rinnen*, Abavus *Joh. de Sprekelſen* J. U. L. & itidem Conſul Anno 1512. defunctus. His parentibus majoribusque editus noſter ut ſe dignum redderet in Schola & Gymnaſio patrio rudimenta litterarum ita feliciter depoſuit ut Anno MDCXLIV. Altdorfium Academiam petere cum fructu potuerit, ubi per triennium & inde Argentorati per biennium commoratus, Baſileam ſe contulit, ibiq; Anno MDCLI. Licentiati Juris utriusque titulo & dignitate eſt ornatus. Iter deinde ſuſcepit per cæteram Germaniam, Galliamque, Italiam, Belgium & Angliam, unde redditus

Pa-

Patriæ cum Nobili quodam Juvene cui per quadriennium præfuit, Ratisbonam profectus est, quo tempore imminebat actus solennis Coronationis FERDINANDI IV. Imp. atque hinc Viennam & ubi per hiemem Anni MDCLIII. substitit, Genevam. Inde iterum Galliam, Italiamque invisit & Belgium atque hinc Hamburgum cum repetiisset, Anno MDCLX. 19. Nov. matrimonium iniit cum nobilisſ. Virgine *Elisabetha*, *Jo. Schnockii* mercatoris celebratisſimi filia, quæ ipsi peperit filios tres totidemque filias, Margaretam, Cæciliam Elisabetham, Johannem, Catharinam Elisabetham, Hartvvigum & hoc brevi post nativitatem extincto alterum Hartvvigum. Dignitatem Consiliarii gesſit apud Sereniſſ. Ducem Megapolitanum Gustavum Adolphum, at in Patria Anno 1662. assessor inferioris Judicii, & Anno 1663. Senator, tum Anno 1666. Prætor & ab Anno 1681. Præfectus Ritzbuttelensis, quem sexennii Magistratum cum post Ampliſſ. Schafshausenium Reip. causſa ablegandum iterato obire jam cœpisset, in illo obiit Anno MDCLXXX. 3. Cal. Nov. ætatis LVII. Concionem Sacram ad Thren. V. 15. 16. 17. in funere ejus habuit, typis etiam exscriptam Thomas Schmid Pastor Grodensis in præfectura Ritzbuttelensi, ubi corpus ejus exangue mandatum terræ fuit.

PRO-

PROGAMMA
INFUNERE
Nobilisſ. Ampliſſ. Conſultiſſ. Q.
VIRI
Dni. CASPARIS
WESTERMANNI,
J. U. L. REIP. HAMB. SENATORIS
PRUDENTISS. ET PROTOSCHO-
LARCHÆ OPT. MER.
QUO
NOMINE PROFESSORII COLLE-
GII OMNES OMNIUM ORDINUM
ET DIGNITATUM VIROS HO-
NORATISSIMOS,
Ad Exequias D. VI Jul. Frequenti Præſentia
cohoneſtandas
GYMNAS. HAMBURG. NUNC
RECTOR
GEORGIUS ELIEZER EDZARDUS
GR. L. & Hiſtor. Prof. P.
OFFICIOSE ET PERAMANTER INVITAT.

HAMBURGI,
Typis Viduæ Georgi Rebonlini, A C.
cIↃ IↃc LXXXVIII.

Qui

QUi mentis ſuæ aciem altius paulo in hanc, quam in hoc ævo agimus, vitam defigit, plurimosque ejus & alternantes & varios, partim & repentinos caſus, animo accuratius peragrat, non ventorum (qui uno ſæpe eodemque momento alii diverſique ſpirant) flatus citius mutatos, non ipſam cœli faciem variam magis, quam mortalium vitam vel ſingulorum reſpectu viciſſitudinibus expoſitam, vel inter ſe collatam caſibus modisque differentem, deprehendet. Οὐκ ἔστιν ὅδε τ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον, Euripidis Ethnici quidem at veriſſimum tamen dictum eſt. Enimvero quod vitæ humanæ viciſſitudines attinet, vere ἐφήμερα eſſe, quæ nos vel delectant vel angunt, quotidie lætitiam luctum, lacrymasque gaudia conſectari, adverſa ex ſecundis, ſecunda ex adverſis naſci, imo totam vitam humanam non aliter ſe habere, quam ſi cum teſſeris ludas, nec res humanas eodem diu veſtigio ſtare, conſtans omnium ſeculorum experientia abunde & ἀποτόμως probat. Brevis hora eſt, quæ animo corporeque valentem morbo graviori implicitum lectoque affixum, quæ opibus affluentem copiisque Iro pauperiorem, quæ fulgentiſſimos rerum Dominos ex gubernaculis ad tranſtra remotos de improviſo exhibet. Adeo inconſtans eſt vitæ commutabilisque ratio. Nec minus etiam varia ea agnoſcitur, ſi quæ unius vivendi eſt conditio, quique ejusdem vitæ eſt exitus, cum ea, quæ alterius eſt & vitæ & mortis ratio, vel obi-

ter saltem & ὡ ἐν παρόδῳ conferatur. Imperant aliqui ac auctoritate pollent non exigua, alii ex horum pendent nutu, & quævis infima etiam servitiorum præstant genera. Felices quidam conatuum experiuntur successus, opinione celerius ditescunt, nonnullis adversa omnia accidunt, quicquid agant littus arant, vel arenæ semina mandant, quod si aliquando lucellum faciant, mox res ad restim redit, stipem colligere cavamque manum assem porrigentibus præbere coguntur. Nec externa tantum illa sunt, quæ vitam humanam invicem collatam variam diversamque esse ostendunt, sed alia propius ipsum hominem spectantia idem manifeste arguunt. Videas, quibus compacta membra, explicata & exporrecta frons, corpus solidum, succi plenum, valetudo firma, infractæ vires, corpus ad vitæ usque terminum in naturali sua εὐεξίᾳ dispositum, quique à primo ætatis anno arbitratu suo sine adjumento consiliove medicorum vivant, cum ex adverso alios gravis & periculosa valetudo, nonnunquam etiam περιοδικαὶ νόσοι certoque tempore recurrentes per omnem vitam premant. Ecqua vero si hæc non est vitæ dicenda diversitas? Neque vero mortis absimilis est varietas. Hic juvenis ipso ætatis flore è medio decedit, infans ille vitam vix salutatam finit, iste natu grandis, annisque gravis, vitæ satur & emeritus, longævus & capularis senex, morte extremum diem conficit: alius multo labore morbo-

boque diuturno fractus senſim exſpirat, alter feſtinata & præmatura morte è vita non tam excedit quam aufugit: ſunt qui placidiſſimo obitu & molli ſopore ſolvuntur, aliis violenter vita eripitur, præfocantur aquis, venenato morſu exanimantur, à latronibus crudeliter trucidantur, fulmine tanguntur, à feris (quale tragicum exemplum & noſtra hæc nuper vidit civitas) dilaniantur, denique infelici lapſu exſtinguuntur. Innumeros alios & vitæ humanæ & mortis eosque multo diverſiſſimos caſus quotidiana experientia narraturo plena manu ſuggerit. At enim (liceat quærere) unde iſta tanta omnium rerum humanarum viciſſitudo, undeve ſummum iſtud eorum quæ mortalibus tum per vitam tum in ipſo obitu accidunt, & immenſum diſcrimen? Ad Fortunam utrumque referunt Ethnicorum Philoſophi. Summum huic apud illos nomen: una cogitatur, una nominatur, ſola in proſperis laudatur, ſola in adverſis accuſatur: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, cœlo locatur, Dea fingitur, & in tota ratione mortalium utramque paginam facere creditur. Fatum excogitarunt alii, indeclinabilem aliquam rerum humanarum neceſſitatem ex æterna ſerie cauſſarum neceſſario nexarum profluentem, quam nulla vis poſſit interrumpere, nulla virtus avertere, quæ omnem humanæ voluntatis libertatem excludat, quaque etiam ſcelera ipſa inevitabili ratione procedant. Abſint vero, abſint

à Chriſtiano quam longiſſime iſta Ethnicorum deliramenta. Fatuum fatum eſt, & non niſi fatuorum eſt fatum. Eſt ſublimior cauſſa, ad quam quicquid mortalibus vel viciſſitudinis accidit, vel grati evenit boni, vel triſtis contingit mali damnique, ſancte pieque, diverſimode tamen eſt referendum. DEUS eſt, ſupremus rerum omnium προνοητὴς, ὁ θεὸι πᾶσι, & πάντων ἀγαθῶν καὶ ἐάων δοτὴρ, cujus omnia reguntur arbitrio, qui uti præſcit omnia, ita de cunctis hominum actionibus, deque iis quæ mortalibus eveniunt varie pro immenſa ſua ſanctitate ſtatuit decrevitque. Varie inquam & diverſimode. Quamvis enim humanarum rerum nihil omnino ſit, quod vel contra, vel absque divina fiat voluntate decretoque, non æque tamen ea quæ vel ab hominibus mala patrantur, vel ipſis mala accidunt, à divino procedere decreto & voluntate, atque illa quæ bona, quæ ſancta, quæ fauſta ſunt, credere vel affirmare, quæ ſumma DEI bonitas eſt & ſanctitas, permittit. Certe malas impiorum actiones, motusque ipſorum ſecundum ſuam ſubſtantiam divina lege vetitos, ſanctum numen nec promovet nec efficit, nec animæ corporive imprimit, nec ad eos ullum omnino mortalium determinat, ſalva tamen ſua ſanctitate eosdem ab hominibus ipſis, viribus ſibi conceſſis ſanctoque fine conſervatis ac ſuſtentatis abutentibus, fieri, juſte ſancteque à ſubtractione virium vel impreſſione aliorum motuum abſtinen-

nendo, permittit. Varium ergo agnoſcamus ſanctiſſimi humanarum rerum arbitri uti voluntatem ita & decretum. Datur, teſtantibus infallibilibus divini verbi oraculis, decretum voluntasque DEI de rerum humanarum vel effectione, vel promotione, vel permiſſione. Efficit ſanctiſſimus rerum omnium Præſul quæcunque tum ab hominibus tum in ipſis fiunt bona, promovetque ea; malas actiones nec efficit, nec promovet, tantum ſanctè eas juſtisque de cauſſis permittit. Sic vere nihil fit absque voluntate DEI & decreto, nihil fit citra ejusdem res humanas vel efficiendi, vel promovendi, vel ſaltem permittendi propoſitum; nihil contra illud. Multa interim & quidem quæ in ſe vitioſa ſunt, fiunt citra decretum DEI de rerum effectione ac promotione, multa item contra ipſius beneplacitum, multa contra ipſius mandata ac interdicta, multa denique contra ipſius mandatis ac interdictis exacte congruam antecedentem voluntatem. Sed quid de illis ſpeciatim quæ non tam ab ipſis fiunt hominibus, quam illis accidunt eveniuntque ſtatuemus? Sane πᾶσαν δόσιν ἀγαθὴν, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθεν à benigniſſimo Patre ad nos derivari, evidenti Spiritus Sancti aſſerto indubitato credere jubemur. Mala vero, infauſta, triſtia, noxia, quæ tum viventibus, tum morientibus eveniunt, vel ad permittendi tantum decretum ſpectabunt, ſiquidem cum vitioſo aliquo actu ſint conjuncta, (ut ſi quis ſi-

bi ipſi violentas manus inferens mortem oppetat) vel ſi aliunde & contingenter accidant, cum alia ſaluberrimo immittantur fine, alia ex juſto judicio, pro caſuum diverſitate vel ad permittendi, vel ad reliquorum unum propoſitum, vel ad ſingula ea referre non dubitabimus. Sed horum quicquid ſit, (veniendum enim tandem ad id, cujus cauſſa hæc præmittere libuit) mortem ſeram, nec improviſam, acta jam probe decurſaque ætate viribusque corporis exhauſtis immiſſam, diu præmeditatam, tranquillam, placidam, & (quod palmarium eſt) beatam, hanc, hanc inquam, non caſus fortuitus, non inevitabile fatum, non iratum decrevit numen, ſed propitius, ſed benignus Pater, non decrevit ſed promiſit, non immiſit, ſed ex mera gratia in Chriſto donavit & benevole eſt elargitus. Talis fuit obitus ejus, cujus memoriæ hæc damus,

Viri Nobiliſ. Ampliſſimi Conſultiſ. Que.

Dn. CASPARIS WESTERMANNI,

J. U. L. Reip. Hamburg. Senatoris prudentiſſimi, & Proto-Scholarchæ optimè meriti.

Qui poſtquam ſexies undenos in hac mortalitate expleverat annos, ac Reipublicæ commodis diu multumque inſervierat, tandem ingraveſcente ætate, atque (ut ex ſanctioris linguæ ſpiritu verba hæc mutuer) שבע ימים ſatur dierum, jamque etiam JEſum ſuum unice ſpirans,

&

& ad cœleſtia ac æterna fervide adſpirans, placide inter denſa tum ſua tum ſuorum ſuſpiria, in Salvatore ſuo reſpiravit potius quam exſpiravit. Non decet virum hunc de Republica, de Schola optime meritum, virum pro Patria quam ſæpiſſime apud exterot dum viveret dicentem, poſt beatum obitum à nobis taceri. Quin potius, cum memorem in bene meritos animum præſtare ipſa jubeat æquitas, nos quoque nunc, ſi minus liceat commemorabilia ſingula ipſius explicare facta (neque enim nos hic laudum ipſius præcones venditare nos audemus, ſed vitam ſaltem ejus delineare, vel ſi amplius quid polliceri licet, adumbrare conſtituimus) WESTERMANNI tamen nomen ac memoriam, quibus ipſe quidem dum vixit longe excelſiora pegmata ſtruxit, chartaceis quoque monumentis conſecrare, & noſtrarum partium ducimus, & quantum temporis chartæque permittet ratio, etiam allaborabimus. Itaque WESTERMANNUS noſter natalem vitæ diem læto ortu ſortitus eſt XVII. Maji Anno cIↃ IↃc XXII. parentibus probis pariter & conſpicuis prognatus. Patria, quæ illi vivendi dedit exordium, quæque è ſinu ſuo eum protulit, hæc ipſa eſt, quæ ob multos ipſius pro ſe exantlatos labores ἀκλαυσον eum terræ gremio nunc mancipari haudquamquam concedit. Cum ſalutari regenerationis lavacro ablutus Eccleſiæ inſereretur infans, CASPARIS ei inditum nomen eſt, indeque tota mente in id incubuerunt pii paren-

tes, ut vel cum lacte nutricis pietatem, quæ omnium est Virtutum regina, omnisque felicitatis fundamentum, tenellus imbiberet filiolus. Nec alia negligebant quæ ad liberalem ac ingenuam educationem spectare ullo modo videbantur. Quin potius, cum primis statim annis in puero eximia indoles se proderet, ingenium vividum & docile, ac discendi ardor, aliaque, quæ certam spem amplissimæ frugis facere creduntur, tanto magis ut animus ab ineunte ætate honestis etiam artibus studiisque imbueretur procurarunt iidem, quanto magis qui liberorum dignam institutionem posthaberent, non solum ipsis liberis verum etiam Reipublicæ facere injuriam, liberosque non nobis solum, sed etiam proximo, sed patriæ etiam suscipi, quam rectissimè judicarent. Tingi ergo prima artium & literarum cognitione cœpit in patria schola, indeque Anno cIↃ IↃc XL. in Album Gymnasii nostri, & numerum Civium ejusdem adscriptus est, in quo quantum & propria industria (cui nullum ille statuebat modum) & fideli informatione Clarissimorum tum Professorum, quibus indivulsus adhæsit, brevi temporis spatio profecerit, tum illa, quam Anno cIↃ IↃc LXIII. d. XII. Nov. PræsideD. Jungio de Pseudaxiomate Aristotelico Lib. 1. Phys. t. 50. & 56. In omni genere uno unam primam esse contrarietatem, publico examini exposuit; tum & posterior disputatio, qua Anno cIↃ IↃc XLIII. d. XVIII. Jan. eodem præside Analysin Lo-

Logicam triterminæ cujusdam Pſeudapodixeos Phyſicæ erudite ſtitit defenditque, indicio eſſe poterit ſat luculento. Sed uti vites translatione felicius provenire non tam creduntur quam experientia probantur, ita noſter etiam culturæ uberioris cauſſa, ac pertexendorum ſtudiorum ergo, ad exteros miſſus eſt, Academiasque ſapientiæ officinas adiit, in quibus cum per aliquot annos ſtudiorum (quæ ſemper habuit in deliciis) ſemitam fervidus triviſſet, totumque ſe iis dediſſet artibus, quibus eximium ingenium ad Reipublicæ uſum decusque excoli par eſt, Juris tandem Utriusque licentiæ honorem, virtute ſua & eruditione dignum omnino præmium, in Aurelianenſi Gallorum Academia Anno cIↃ IↃc XLVII. reportavit. Inclaruerant interim longius etiam WESTERMANNI noſtri non vulgaris tum πολυμαθία, tum & humanitas, alacritas, moresque ſuaviſſimi, jamque apud quam plurimos ad aliquod ingenii nomen pervenerat, unde factum, ut in itinere etiam, cui ſe jam ante annos aliquot variorum populorum mores ac ſtatum exploraturus commiſerat, viri quoque ex ſummatibus cariſſimapignora ſua curæ ipſius, & prompte committerent, & bene commiſſa nunquam non judicarent. Natale tandem Anno cIↃ IↃc XLVIII. reviſit ſolum, quo cum jam nominis ipſius præcurriſſet fama, jam tum ſtatim tam cives quam exteri & conſilia ipſius denſiſſime flagitarunt, & cauſſarum ſuarum patronum certatim eum

expetiverunt. Nemo eorum qui res ſuas ad ipſum retulerunt, vel in ipſo inſerviendi promtitudinem, vel conſiliorum ſagacitatem & copiam, vel in peragendis rebus curæ ipſius demandatis alacritatem aſſiduitatemve, unquam deſideravit. Ac talem quidem quoad privatus vixit WESTERMANNUS proximo ſe perpetim præbuit. Reſtabat quod ad privatam vitam ut qualis futurus eſſet bonus Paterfamilias, vitæ conjugalis conſorte ſibi electa comprobaret. Itaque animum ad rem uxoriam cum applicuiſſet, ſponſam ſibi pactus eſt lectiſſimam & Nobiliſſ. Virginem GERTRUDEN, Prudentiſſ. DOMINI PETRI RÖVERI Ampliſſimi Senatorii ordinis Viri ANNÆQUE ALBERMANNIÆ filiam, cum qua etiam matrimonium dulce & exoptatiſſimum annos ferme quatuor eſt expertus. Equidem binam ſaltem deſideratiſſima Conjux Noſtro dederat moriensque reliquerat fœmininam alteram alteram maſculinam ſobolem, talem tamen quæ ſolidioris & diuturnioris gaudii eſſet argumentum. Quid enim non voluptatis ad Parentem redundaſſe credamus, quod Filium unicum Virum Adm. Rev. Nobil. & Conſultiſſ. D. PETRUM WESTERMANNUM, J. U. D. Rev. Capituli, quod hic Hamburgi eſt, Canonicum, ejusdemque Syndicum & Bibliothecæ Cathedralis præfectum, tot honoribus fulgentem, inſuper & jucundiſſimo matrimonio maritum, ſuaviſſimaque fœminea prole parentem, ad usque vi-

tæ

tæ terminum ſoſpitem ex voto viderit. At, quæ natu minor erat, florentiſſima & decoratiſſima Virgo ANNA MARGARETA feliciſſimis nuptiis ipſo ætatis flore juncta eſt Viro Nobil. & Conſultiſſ. Dno. PETRO à LENGERCKEN, J. U. L. digniſſimo, quaternosque pariens liberos conjunctiſſimum quidem maritum hucusque quater patrem, Noſtrum vero toties avum non ſine ſingulari gaudio reddidit. Servet ὁ χρησὸς χρισὸς cara hæc capita cum familiis ſplendidiſſimis εἰς πολλὰς πολλῶν ἐτῶν περιόδους, præſtetque ea εἰς βαθύτατον γῆρας, ἄνοσα καὶ ἀπήμαντα, ac omni ſuarum ἀγαθοπήτων genere ubertim cumulet. Sed ad WESTERMANNUM noſtrum redeamus. Vix quadriennium elapſum fuerat integrum, quo ex animi ſententia & conjunctiſſime cum optima tori ſocia vixerat, cum grave ei & plusquam flebile experiendum eſſet diſcidium, erepta illi A cIↃ IↃc LIV. quæ fuerat cordis magna portio, conjuge probatiſſima. Nec videbatur ante juſtum triennii ſpatium damnum hoc tantum reſarciendum. Itaque annum demum cIↃ IↃc LVII. poſt lugubria poſita lætum iterum eſſe voluit, redingerata familia & in matrimonium ducta præſtantiſſima & honeſtiſſima Virgine MARGARETA, JOACHIMI STAMPELII, civis noſtræ civitatis ſpectatiſſimi & primarii filia, nata ex MARGARETA PUMPIA matrona laudatiſſima. Conjugium cum hac coluit perquam amabile, & tertiam ferme totius ſeculi in eo explevit partem,

tem, ter denis unoque anno ſuperatis, liberisque quinque ſuſceptis, maſculis quidem tribus, duobus vero ſequioris ſexus, quibus tamen cariſſimis affectibus mature iterum eſt orbatus, una ſola excepta Virgine ornatiſſima MARGARETA GERDRUDE, nuptum collocata DITERICO VASMERO Negotiatori florentisſimo ac celebri familia prognato, ſed quæ & ipſa paucis abhinc annis in vernante ætatis flore mortalitatem explevit. Jam etiam WESTERMANNUM ob perſpectam experientiam, prudentiam, eruditionem, induſtriam, aliasque dotes Reſpublica noſtra propius ſibi vindicare conſtituebat, dignumque judicabat quem ad ipſa plane gubernacula collocaret. Factum hoc Anno hujus ævi LX. quo in Senatorium auguſtum ordinem ipſa veſpera Petri diem antecedente eſt cooptatus. Demandatum vero hoc officium noſter quam non magis promte ſuſcipiendum ſtatuerit, quam per omnem vitam induſtrie, ſolerter & ἀκαταπαύστως adminiſtraverit, dicere nunc aggrederer, niſi & patriæ per ſe ea perſpecta ſatis ſuperque eſſe crederem, & vererer utique ne vel verbis meis dignitatis aliquid Viro conferre, vel laudes ejus in anguſtia hujus paginæ concludere velle videar. Enim vero qui in Viri hujus laudes excurrere velit, ampliſſimam hic & fœcundam dicendi materiam eſſet inventurus. Erat ſane WESTERMANNUS noſter (ut ſummatim nunc dicamus) ingenio capaciſſimo, memo-

ria

ria feliciſſima, judicio acriori, prudentia rara, doctrina excellenti, ſermone promtiſſimo, facundia inſigni, φιλόπονος, ἄκμητος & χαλκέντερος. Cum jus conſulebatur, promtiſſimus erat, cum cauſſa oranda, diſertiſſimus & dictionis flore gratioſus. Labore frangebatur nullo, nullum unquam defugiebat, nullis curis ac vigiliis parcebat, munus vero ſibi commiſſum obibat fervide. Talis ergo cum eſſet, altero ſtatim quam in Senatum allectus eſſet anno cIↃ IↃc LXII. in Angliam legatus miſſus eſt. Belgas Anno cIↃ IↃc LXV. adiit. Haud diu poſt Anno cIↃ IↃc LXVII. ut in pacificatione Bredana patriæ ſaluti commodisque invigilaret, fidei ipſius fuit commiſſum. Quod ſequitur decennium integrum ferme legationibus obeundis fuit inſumptum. Etenim Anno cIↃ IↃc LXXII. ad Ducem Cellenſem, Anno cIↃ DCLXXIII. ad Holſatiæ Ducem, Anno vero ſequenti ad Sueciæ Regem legatione functus eſt. Ad Daniæ Regem Anno cIↃ IↃc LXXVI. eodemque adhuc ad Electorem Brandeb. eſt ablegatus. Ter anno proximo legati ſuſtinuit partes, ſemel ad Brandenburgicam, ſemel ad Saxonicam, ſemel item ad Cellenſem aulam miſſus, quam ipſam vero iterum A. cIↃ IↃc LXXVIII. reviſit, cumq; anno etiam cIↃ DCLXXIX. ad eandem redire juberetur, novem in ea menſes integros ſalutis Reipublicæ cauſſa exegit. Taceo legationes alias, cum, quantus in Viro fuerit inſerviendi patriæ ardor, quantas item ejus cauſſa abſorbuerit moleſtias,

quot

quot tædia devoraverit, & quam fuerit indefatigabilis imo planè adamantinus, ex dictis abunde pateſcat. Cæterum tot meritis inſignis NOSTER, tot inſuper fulgens ingenii animique dotibus, nunquam tamen ſe præbebat ſuperbum, ἄτυφος ubique comparebat, in fronte & ſermone ſumma erat humanitas & quosvis ipſum adeuntes ἐφιλανθρώπει. Neque vero ut Curiæ tantum SENATOREM prudentiſſimum & ſolertiſſimum, ſed & ut Literis etiam Præſidem vigilantiſſimum ſe exhiberet, usque allaboravit. Enim vero ut Cathedræ doctoribus, ut auditoria ſtudiis florerent ac præcellerent aſſidua & efficaci ſolertia advigilavit. Nec cauſſæ deerant, quæ eum in ſtudia noſtra tanta voluntatis inclinatione propenſum redderent. Etenim quantum ex Gymnaſio patrio tandem ad bonum publicum redundaret commodi, ipſe ſuo exemplo fuerat edoctus, Scholas vero ſcalas ad uberiorem doctrinam eſſe quam rectiſſime noverat. Cæterum tenerrimo ipſius in literas literatosque affectui & hoc omnino tribuendum, quod, cum Jungiani etiam teſtamenti eſſet curator (ut nullam omnino de ſtudiis bene merendi prætermitteret occaſionem) quamplurimorum Celeberrimi Jungii manuſcriptorum editionem omni niſu promoverit. Sunt inter illa, quæ ipſo procurante in lucem prodierunt, prædicti Auctoris Harmonica, Iſagoge Phytoſcopica, ut & Phoranomica, quarum quidem illis edendis Cl. D. Joh. Vagetius, huic

huic vero Cl. D. Henr. Siverus, utroque collega conjunctissimus, operam studiumque suum commodarunt. Nec tacenda est iterata ejusdem auctoris Logicæ pariter & Geometriæ Empiricæ auctior editio, non magis illorum, quorum modo honorifica expressi nomina, studio, quam WESTERMANNI nostri hortatu facta. Dignus fuisset utique tantus Senator & Proto-Scholarcha, qui seculum viveret integrum. Sed quid viveret inquam. Benignius multo de ipso conceperat propositum is, à cujus nutu omnia pendere hominum jam ante fusius monuimus. Usus fuerat WESTERMANNUS ad usque sexagenariam superatam periodum, commoda satis valetudine. Exinde vero uti crepare magna ædificia solent antequam corruant, ita nostro etiam senium curis ac negotiorum mole accelerari, viresque crebrioribus intineribus ac tot annorum superatis molestiis paulatim nunc minui cœpere. Sic quidem lychni instar sensim absumi, indiesque ad summam diem procedere visus est, κλινοπετὴς tamen non nisi tum demum factus, cum vitæ curriculum ad metam propius acceleraret. Uti vero, ex quo vires plenius exhauriri ac deficere inciperent, vitæ se attigisse terminum mature intellexit, ita exinde etiam unicè θεῖα μελετᾷν seque ὅλον καὶ πάντα ita componere cœpit, ut supremo jubente διάρχῳ ex hac vita placida & digna Christiano morte excederet. Voti compos factus est die XXIX. Junii, ipso meridie, quo haud-

haudquaquam improviso, sed uti sol paulatim ad occasum pergit tandemque suo nos conspectu privat, ita ipse etiam sensim ad vitæ terminum procedens, decursoque per ipsos LXVI. annos ætatis vitæque spatio, tandem pie occidit. OCCIDIT VIR, cujus nunquam intercidet memoria. WESTERMANNUS occidit: Occidit Curiæ, occidit Gymnasio nostro, occidit Scholæ. Sed quid occidisse dico. Enimvero uti sol cum occidere nobis videtur, non totus occidit, sed nobis saltem, ipse vero ad aliud transit hemisphærium, atque adeo vere occidendo oritur, (unde & occidens sol, veniens Hebræis dici consuevit) ita etiam WESTERMANNUS non tam occidisse nunc, quam, ut cœlesti gloria splendidius refulgeret, in alium orbem transiisse, nobis omnino est statuendus. Diem absolvit ὁ μακαρίτης, ut diem inchoaret nunquam absolvendum, & qui omnem nescit occasum. Occidit, ut in alterum illum orbem, ubi non nisi lumen merum, transferretur: occidit, ut ejus qui in cœlesti Hierosolyma lucidissimi solis præstat vices & inaccessibili splendore refulget, gloriosissimis radiis propius collustraretur. Sol ortus WESTERMANNO est, ex tenebris hujus mundi est eluctatus, in ampliſſimam lucem est translatus, tenebris omnibus quam longissime & in æternum proscriptis. Fulget WESTERMANNUS noster, fulget inexstinguibili gloriæ lumine, fulgent, oculisque nostris & animis quam claris-

clariſſime ſe etiam poſt occaſum ingerunt, Virtutes ipſius laudesque, & quod ſolum tenebris nunc mancipari videtur exſangue corpus, orto extremo illo die Juſtitiæ Sole, diſcuſſisque & fugatis ipſius potentiſſima voce mortis tenebris, non minus tum fulgebit, ac glorioſum & ſpiritualibus qualitatibus exornatum reſplendebit. Ergo parcite lacrymis, quotquot Ampliſſimæ familiæ aliqua neceſſitudine innexi eſtis; lucet enim non luget, quem vos luctu proſequimini acerbiori; eſt in manu DEI, fruitur deliciis Paradiſi inexplicabilibus, recumbit in ſinu Abrahæ, inhabitat pacis æterna tabernacula, verſatur in regione viventium, denique admiſſus eſt ad promiſſæ immarceſcibilis hæreditatis plenam poſſeſſionem. Quod reſtat, hora indicta pomeridiana beate defuncti SENATORIS exuviæ, exædibus quas vivus inhabitavit, ad κοιμητήριον ſolenni ritu deducentur. Has igitur exequias, ut nunc etiam numeroſa ſua præſentia ſplendidas atque illuſtres facere velint, Omnes quotquot ſunt noſtræ civitatis Proceres, omnes item omnium Ordinum Literatos, civesque univerſos, ea qua par eſt obſervantia & comitate, rogamus, invitamus. P. P. Hamburgi, d. 6. Julii, A. C. cIↃ IↃC LXXXVIII.

HONORI SUPREMO

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimique

VIRI

DOMINI

JACOBI SYLLM,

J. U. LICENTIATI,

ET SENATORIS PER INTEGROS XL. ANNOS OPTIME MERITI.

OFFICIUM PERSOLVIT

GEORGIUS ELIEZER EDZARDUS,
Gr. L. & Histor. P. P. & h. t. Gymn. Hamb. Rector.

HAMBURGI,
Typis Conradi Neumani, Senatus, Gymnasii, & Scholæ Typogr.

Suspen-

Suſpenſos tenuit Rabbinorum animos, utra foret ineunda decidendi ratio, ſi cui ſedeat animo, quærendo inveſtigare: *Sapientumne an vero Regum mors deflenda ſit amplius?* Non eſt, quare Philologorum auctoritate me fulciam, aut ſententiam tuear exemplis, quod Regum nomine ab Hebræis inſigniantur omnes, quotquot ad Reipublicæ, cujuscunque tandem illa formæ ſit, clavum conſidentes conſilio juvare alios per muneris ſanctitatem tenentur. Norunt illud juxta mecum ſinguli, qui radicum vim uſumque vocabulorum vel primoribus labris deguſtarunt. Verum hoc ipſo intricata magis evadit quæſtio. Aſſurgat licet pars Rabbinorum Regiis diadematibus, quæ par eſt venerari religoſe, plerosque tamen audias ſapientibus, quos aſtris dominaturos antiquitas ſtatuit, primas deferre partes. Quoad ſuperſtes eſt ſapientiæ alumnus, de προεδρίας jure adeo feliciter adverſus Reges experiri fertur, ut eidem decernendum ſit epinicion juxta tritum illud: חכם קודם למלך *i. e. Sapiens Rege multo eſt potior. Conf. Rabboth. f. 221. col. 2. 3.* Tantum abeſt, ut per mortem hac ſua excidat prærogativa, ut diſerte aſſerat R. Bechai, prudentum funus eo uberioribus proſequendum eſſe lacrymis, quo ſuperiores Regibus communi antiquorum ſuffragio ſtatuantur. *Vid. Cad. Hakkemach tit.* אבל *fol. 6. col. 3.* Quod ſi Talmudiſtarum evolvamus Pandectas, eam intellexerimus allegari rationem, quæ ſaltim temere repudianda non vi-

videtur. Præſtiterit mentem eorundem ſectari, quam verbis transſcribendis defatigare manus. Regibus nunquam defuturos eſſe ſucceſſores contendunt, eo quod nemo non ſubditorum regium poſſit conſcendere ſolium, & quantumvis rerum omnium ignarus ſolerti conſiliariorum dexteritate niti atque legum decus auctoritatemque judiciorum tueri: At ſi ſapientem, quem experientia acuit, quem longus rerum uſus firmavit, intermori contingat, factæ jacturæ ſeriora demum tempora medentur. Cui inſtituto ea conſueverunt accommodare effata, quæ Jobi XXVIII. capite, commate 12. ſqq. conſignata leguntur. *Conf. Maſſechet Horajoth Gem. Babyl. fol. 13. col. 1. med*: Nullus dubito, fore in proclivi ſingulis motæ diſputationis exquirere veritatem. Paulo ſagaciores ſponte ſua nec moniti advertent, poſſe quæſtionem ancipiti ſtudio excutere diſſidentes, vagaturam veroatque erraturam eſſe orationem, ni limitibus circumſcribatur arctioribus. Neque enim ea eſt regiminis atque ſapientiæ conditio, ut iisdem nequeant commorari ſedibus, atque, quod huic decreſcit, accedat alteri. Verum enim vero pluribus hæc perſequi nunc quidem haudquaquam mearum eſſe partium cautus intelligo, ne videar â ſcopo aberraturus atque inutiles quæſiturus ambages. Sufficit inſtituto, quod nemo tam immanis ſit futurus atque ferreus, ut noſtro dolori, ſive ſapientum ſive regum lamentari obitum ſatagat, lacrymas præbeat nullas.

las. Ecquem latet acerbiſſimum patriæ vulnus hodiernum refricare diem, animosque renovato conficere mærore? dum ei ducendum eſt funus, qui conſilii capiendi ſolertia paucis erat ſecundus, cujus prudentiam præter cives, mirifice collaudant exteri, qui denique, quamprimum ad Rempublicam ſe contulit, eximia regendi peritia eluxit. Fuit is Conſultiſſimus juxta & Prudentiſſimus JACOBUS SYLLM, Senatorii Ordinis primus Seniorque venerandus. Intereſt exempli, hujus exponere natales, atque memoriam gratæ poſteritati quanta poſſumus meritorum prædicatione, commendare. Flagitant hoc & ſuo quodam jure poſtulant cum officia beneficiaque, quibus univerſam complexus eſt Rempublicam, tum ſingularis benevolentia, quæ noſtrati præſertim Gymnaſio jucunda fuit atque ſalutaris. Suſceptus in lucem eſt Anno Reparatæ Salutis MDCXX. ad VI. Maji diem, & Hamburgi quidem, quod nominaſſe ſuffecerit. Equidem de patria adeo celebri nobiliumque ingeniorum feracisſima nunquam fuit inſolenter gloriatus, cum animo putans ſuo, vina & poma ſolo cenſeri atque regionibus, hominibus vero, in id omni ope enitendum eſſe, ut dignos patria cives ſe præſtent, egregiis eandem facinoribus reddendo illuſtriorem. Nihiloſecius in lucris poſuit, & divinæ clementiæ grato animo retulit acceptum, quod non inter Turcas aut gentes, verum eo loco naſcendi habue-

rit initia, quem lumen Verbi divini radiis minime obſcuris colluſtrat, & repurgata religio propriam ſibi conſtituit ſedem. Parentes habuit & generis antiquitate & dignitate egregios. Etenim a ſpectatiſſimo JOHANNE SYLLM eſt procreatus, quem antiqui moris virum & avitæ religionis tenacem nec vulgarem mercatorem celebrant omnes, qui quanta cum fide civium primus publicum curaverit ærarium, memores recogitant. Hic indolis bonitate ac morum elegantia ſibi conciliaverat CECILIAM, ex integerrimo GEORGIO Schröterings / mercaturis itidem diligenter rem faciente, prognatam, virginem pietate non minus quam pudicitia præſtantem, cujus majores virtute & meritis à vulgo diſtincti dignitatem generis neceſſitudinibus auxerunt memoratu digniſſimis. Longo eas recitarem ordine, ſi JACOBI SYLLMII merita & res in foro inſignes paterentur. Uterque parentum ſedulo, ac par erat, curavit, ut ſine mora de ſacro fonte laveretur, dein neuter in componendis filioli moribus fuit remiſſior, ut ſacris initiatus ad vitam recte inſtituendam excitaretur. Nihil vulgare a natura & educatione conſecutus ſuis ſtatim noſci indiciis cœpit, quandoquidem docile ingenium, ardor diſcendi incredibilis, nec non memoria tenax emicabant. Quapropter tenera adhuc ætate fidei Præceptorum publicorum fuit commiſſus, ut his auctoribus in ſapientiæ ſtudio proficeret, & melioribus literis imbueretur. Primum ſtudii literarii curſum adeo con-

confecit feliciter, ut magnam de se passim concitaret expectationem, quam sustinuit diligentia, vicit assiduitate. Quam primum in Gymnasii civibus suum fuit nomen professus, ludos otiosis reliquit, se vero totum ad illas linguas contulit & artes, quæ cultoribus ad altiora nitentibus immortale præmium diligentiæ rependunt. His auctus subsidiis nunciũ Gymnasio remisit, variasq; adiit Academias elegantia & cultu florentissimas ut juris publici privatique recte tractandi rationes pernosceret. Egregiam professorum omnium erga se voluntatem expertus est, quippe qui nullam ejus ornandi occasionem prætermiserunt, nullamque provehendi spem abjecerunt, eo quod in eorum scholis conspiceretur assiduus, nec minus domi omnes probi atque diligentis Academici partes numerosque impleret. Dici vix potest, quantam sedulitate assecutus fuerit prudentiam, cum quidvis mallet perpeti, quam mentis aciem hebescere. Verum his limitibus nondum etiam constitit industria. Ut situs terrarum cognosceret, ut dissimiles variarum gentium mores nec eadem instituta curiosius observaret, ut majorem sibi compararet prudentiam vitamque instrueret exemplis: denique ut JCtorum principum consuetudine & familiaritate se excitaret magis atque proveheret, in regiones exteras iter suscepit, Belgium fœderatum adiit, Britannos toto orbe divisos invisit, lustravit Galliam, Italiam, illam sapientiæ, & antiquitatis officinam peragravit, ac reditu

per Croatiam Sclavoniamque instituto, Vindobonam perrexit, invictissimi Imperatoris aulam Proceresque summo loco natos præsens usurpaturus oculis. Cœlum igitur sæpius, sed nunquam ita mutavit animum, ut uspiam ordinem & locum male tueretur, circumspectique viri partes parum sustineret. Mox ubi itineris diuturni satietas eum cepisset, desiderio flagrabat ad artis suæ fastigium perveniendi. Quamobrem Vindobona in Helvetiam se contulit, atque tantisper substitit Basileæ, dum publico exantlati studii testimonio ornaretur, & A. CH. MDCXLV. Licentiam summos in utroque jure capessendi honores, applaudentibus bonis omnibus, consequeretur. Non permittebat diutius solum natale SYLLMIUM, cujus memoriam prosequor, sui vivere immemorem. Redeunt in mare flumina, unde suam duxerant originem, nec patriam negligunt, quotquot omnem operam, cogitationes omnes, vitam denique ipsam eidem deberi grati expendunt. Hamburgum ergo incolumis reversus tanto suos affecit gaudio, quantum, quoad agebat peregre, sui reliquerat desiderium. Hi lacrymis & lingua faucibus hærente conceptam ex diu multumque expectato adventu lætitiam testari: illi felicem gratulari reditum: isti, ut novos Deus fortunare velit honores, precari: singuli ruere in amplexus. Quieti redditus cumulatissimas animi dotes diligentia & peregrinatione partas explicuit latius, ut gravitatem in congressibus

ſibus, in convictu ſuavitatem, in omni negotio ſummam agendi peritiam, nec minorem conficiendi ſolertiam certatim admirarentur, eum ad ſe rediiſſe facti certiores, qui iis eſſet maxime excultus rebus, quarum ſcientia & uſu vitæ civilis ſocietas continetur. Etenim omni urbanitate limatus cultum ſuperioribus, in pari dignitatis gradu conſtitutis amorem atque obſervantiam, ceteris incredibilem humanitatem egregie probavit. Raræ & reconditæ ejusdem virtutes non poterant non innoteſcere HERMANNI LANGENBECKII, Viri muneris Senatorii auctoritate quondam graviſſimi, ſuperſtiti filiæ, virgini in tantum commendandæ, quantum frugalitas & pudicitia cum ſplendore generis paria faciens merenturæſtimari. Quare hanc, qua par eſt, comitate ambiens, tantum abeſt repulſus ut abierit, ut voti redditus particeps, A. MDCXLVI. ad d. XIV. Sept. auſpiciis non infelicibus eandem duxerit domum. Nuptiis ritu ſolemni celebratis neque felicitas, neque fœcunditas defuit. Decem liberi in caſtiſſimo toro procreati ſunt, quorum tres filii, una vero filia in vivis eſſe deſierunt. Ceteri in ſplendidiſſimæ familiæ oramentum adoleverunt feliciter, & ſcopum exoptatum maximam partem ſunt conſecuti. JOHANNEM SYLLMIUM, unicum è quatuor ſuperſtitem filium, exquiſitiſſima ingenii vis, divinumque judicium nemini non reddidit commendatiſſimum, inprimis cum J. U. Licentiati privilegia honoresq; meritis atque

que doctrina tueatur. Ternarum filiarum primariis Viris nuptarum pietatem honesta semper domus familiæque disciplina stetisse omnium voluntates perhibent, & judicia confirmant. Binæ raris virtutibus animæque castimonia commendatissimæ virgines Patris pie defuncti funus eo prosequuntur mœstiores, quo majus suis quidem curis levandis adjumentum esse ereptum providentissime animadvertunt. Ex honestissimo filiarum matrimonio bis senos est conspicatus nepotes atque neptes, verum quinque mortalis vitæ spatium spe citius confecerunt. Anno MDCLIII. amplissimos est adeptus dignitatis gradus. Senator XXI. Februarii die communi suffragio designatus, studium in suscipiendis & constantiam in perferendis laboribus oppido declaravit. Insequente Augusto mense in moderanda Ritzebüttelienſi Præfectura ex Senatus consulto omnes intendit nervos, ut vices expleret Directoris, qui jussu summi Numinis, defatigationi modum constituentis, e vita & statione hac, data veluti curarum vacatione, migraverat. Auspicium hujus præfecturæ bene illi feliciterque vertit, tantaque cura & fide traditas sibi partes exegit, ut plerorumque superaret expectationem. Prætoris provinciam Anno MDCLVIII. alacriter suscepit, & magna cum laudis accessione, per binos annos administravit constanter. Legationes non paucas summa cum dignitate obiit, nec raro pacis facundus fuit conciliator. Anno MDCLIX die XIX. Julii

lii Hauniam Holmiamque eſt ablegatus, ut Daniæ primum, dein Sueciæ Potentiſſimos Reges de rebus maxime arduis, qua par eſt veneratione, compellaret. Caute prudenterque in hoc munere verſatus, Anno MDCLX. die XV. Januarii novis adhibitus fuit negotiis, quæ cum Proceribus atque Purpuratis S. Cæſareæ Majeſtatis adeo tractavit egregie, ut in hujus perfunctione muneris publicæ utilitati conſuleret ſtudioſiſſime. Anno MDCLXIV. Scholarchæ partibus accurate eſt functus atque in eo munere per tres annos perſeveravit. Anno MDCLXX. die VI. Decemb. iteratam legationem ad Potentiſſimum Daniæ ac Norvvegiæ Regem, & brevi interjecto tempore, ad quatuor Sereniſſimos Duces Brunsvvigo-Luneburgenſes, quos tunc temporis Brunsvvigæ expugnatio habebat ſollicitos, ſuſcepit, ſuſceptamque tam convenienter exornavit, ut maximi aularum Proceres conſuetudine ejus delectarentur, & prope quotidiano habere in convictu exoptarent. Hoc nixus gradu, ad Regum Principumque ipſorum gratiam aditum ſibi communivit, à quibus perbenigne eſt exceptus comiterque propterea habitus, quod nullo ambitu, ſed honeſto obſequio gratiam demereri allaboraret. Vertente anno, novis legati characteribus inſignis Hauniam ſe contulit denuo. Friderico III. cujus memoria glorioſiſſima ſit in benedictione, fatis functo, regni adierat hæreditatem Chriſtianus V., eique homagio præſtito ſuam ſubditi obſtrinxerant fidem,

fidem. Dignus fuit habitus Noſter, qui dolorum gaudiorumque viciſſitudines, ex tantopere converſis Daniæ rebus Hamburgenſium Reipublicæ ſubortas, oratione συμπαθείας καὶ συγχαρμάτων pleniſſima Regiæ ſignificaret Majeſtati. De reliquis JACOBI SYLLMII ornamentis, quorum quædam ipſa multitudo mihi ſubducit, exponere ſuperſedeo non malevolentia animi, aut quadam invidiæ labe, ſed quia laudum ejus omnium inire numerum res foret multum habitura difficultatis & laboris. Illa quem fugiunt, hoſpes in patria ſit oportet. Nefas autem fuerit ſilentio involviſſe, firmitatem animi & conſtantiam in adverſis, quæ longo progreſſu neutiquam eſt inquinata, ſed ipſa ſe ſibi vindicavit priſtinumque decus ſervavit. Ante hos quatuor annos, menſe Aprili, primarium ſenectutis præſidium amiſit, ſvaviſſimam per tot annos vitæ ſociam, ANNAM MARGARETAM voluntate ac ſtudiis conjunctiſſimam. Amor caſtiſſimus, quo certaverant mutuo, nec ulla erat vetuſtate confectus, nec morte poterat extingvi. Quapropter adempta repetendi ſpe dolorem vix conſolabilem ægre leniebat. Divinæ tamen voluntati ſine omni murmure obſequebatur, nec de ſententia dicam? an patientia Chriſtiano digna, deflectebat. Lecto per dies complures affixus, morboque funeſto & medicinam Experientiſſimorum eludente oppreſſus, humana deſpexit, mortalitatis jugum fiducia vitæ melioris moderate ſuſtinuit, nec immodi-

modico vitæ hujus amore captus ætatem ultra terminos â natura conſtitutos producere deſideravit. Cœleſtis potius originis memor ultimas Chriſtianæ pietatis partes explevit, viribus confectis ad placidam mortem tranquille ſe componens, noxarumque veniam petens humilime, ut formula ſacra expiatus, ac diviniori epulo refectus cum vitæ utriusque arbitro in gratiam rediret. Viatico ſacro inſtructus atque in ſalutis æternæ fiducia confirmatus, ex hac vita tanquam ex diverſorio in patriam, ad diem Julii quintum & decimum, paulo poſt tertiam meridianam, tranſiit, ſarcina tantummodo poſita, quæ gravis fuerat animæ vitam ſitienti meliorem. Omnes tantiſper & multo premimur onere, peregrini ſumus, dum inter curas vitam agimus mortalem: Verum hora nos manet, qua velut errantes ex via revocati deducemur domum, patriam, cui nati ſumus, repetituri. Jacobum patriarcham id minime latuit, nec præterire poterat JACOBUM SYLLMIUM, quantumvis huic anni tres & ſeptuaginta, menſes duo, quatuorque dies in peregrinatione eſſent conſumendi. O breve tempus, ſi cum Jacobi Patriarchæ ætate contendatur! O moram vix momenti inſtar obtinentem, ſi cum ævo compararetur ſempiterno! Hoc potitus eſt SYLLMIUS, atque in eo rude donatus formidoloſi temporis moleſtias cum æterna voluptate ex voto commutavit. Nemo ſit adeo rerum cæleſtium ignarus, ut ſinu Abrahæ JACOBI animam foveri

ri ambigat. Nemo malevolentia & livore impediatur, ut corpori terram levem non apprecetur. Exequias ipsi ex ædibus, quas vivus incoluit, ad ædis Nicolaitanæ tumulum ducendas, decenti & prolixo comitatu prosequamur, id humanitatis officium cum plurimorum Viri meritorum, tum amplissimarum necessitudinum causa ultro susceptur. P. P. d. XXI. Julii. A. C. MDCXCIII.

Elogium breve

DIETERICI LANGERMANNI,

J. U. L. Senatoris Hamb. & Proto-Scholarchæ.

TE quoque indictum præterire nefas fuerit Langermanne Nobilissime, cujus memoriam singularis Zelus pro salute publica, justitiâ & bono ordine: merita in Rempublicam summaque integritas prudentia & auctoritas qua amplissimis muneribus functus es, etiam post fata desideratam ac venerabilem reddit. Natus est Dietericus Langermannus Hamburgi Anno MDCXXXVIII. patre cognomine, negotiatore celebratissimo & Margareta Holtenia. Post solida pietatis & litterarum fundamenta in Lyceo ac Gymnasio patrio jacta Altdorfum & Tubingam studiorum causa adiit, Tubingæ etiam

etiam axiomate & insignibus Licentiati utriusque Juris ornatus inde facto per Germaniam Belgium Angliam Galliam Italiam itinere in patriam revertit & Anno MDCLXVIII. duxit Virginem Magdalenam Johannis Stuhrii mercatoris præstantissimi filiam ex eaque suscepit filiam Magdalenam, filiumque Dietericum J. U. D. & Rev. Capituli Canonicum qui in flore ætatis A. 1701. cœlebs fato functus est. Filia nupsit L. Gerhardo Lutkenio primum, & post hujus obitum Nobilissimo Viro Davidi Langermanno, J. U. D. etiamnum, & diu, precor, superstiti. Patrum ordini Amplissimo adscriptus est in L. Georgii Holtenii locum A. MDCLXXIII. d. 19. Mart. Triennio post negotiis publicis procurandis ablegatus est Viennam ad Augustiss. Imperatorem una cum Consultiss. Syndico D. Alberto Schreiningio: inde redux Præturam gerere cœpit Anno MDCLXXVIII. Interjecto tempore Bruxellas atque Anno MDCLXXXVI. Hannoveram adire jussus Reip. causa, salutem ejus curæ sibi cordique esse ut domi ita peregre etiam semper passus est constantissime & enixissime. Tantum virum mors patriæ eripuit A. MDCXCIII. d. IX. August. Exuviæ in æde S. Petri tumulo mandatæ requiescunt, & beatam resurrectionem expectant.

AD

AD

SOLENNES EXSEQUIAS

VIRI

Nobilisſimi, Amplisſimi, Conſultisſimi, Prudentisſimique,

DOMINI

PETRI MEIERI,

J. U. L.

REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS SENATORIS PRIMI, ET PROTOSCHOLARCHÆ OPTIME MERITI,

D. X. DEC. DECENTER CELEBRANDAS,

OMNES OMNIUM ORDINUM ET DIGNITATUM VIROS HONORATISSIMOS

OFFICIOSE INVITAT

GEORGIUS ELIEZER EDZARDUS,

GR. L. ET. HISTOR. PROF. P. NUNC PRORECTOR.

HAMBURGI,

Typis Conradi Neumanni, Senatus, Gymnaſii atque Scholæ Typographi.

Exem-

EXemtus rebus humanis atque ad cœleſtem vitam translatus eſt vir Nobiliſſimus Conſultiſſimus Ampliſſimusque, DN. PETRUS MEYERUS, J. U. L. Reipublicæ Hamburgenſis Senator primus optimeque meritus, & Protoſcholarcha digniſſimus. De quo veriſſime poteſt affirmari, quod de ſanctioribus DEI viris ſacer Codex paſſim memorat, obiiſſe illum ſenem & ſaturum dierum, collectumque fuiſſe ad populum ſuum. Quæ certe non exigua eſt felicitas. Vivendi enim deſiderium mentibus humanis ab ipſa natura eſt inſitum, plurimisque adeo tenaciter inhæret, ut non modo male ſecum agi arbitrentur, quando in flore ætatis diſſidium ſui coguntur pati, ſed & perſæpe acerbam ſibi mortem experiantur eſſe, quando finitis jam multis annorum decuriis in ipſo limine ſenii conſiſtunt, vitæque hujus crebriores moleſtias magno cum tædio devorarunt. Neque vero innatus tantum vivendi amor humano generi eſt, ſed augetur is ipſe etiam in non paucis immodico terrenarum voluptatum uſu, quo fit, ut animos gerant ultra quam par eſt in caduca defixos, Cœleſtium vero atque æternarum rerum contemplatione rariſſime afficiantur. Quod ſi ergo decretoria hora illos maturius avocet, horrent plane ad ejus mentionem, idque unice habent in votis, ut vitæ longioris fiat acceſſio, nec ante ſeſe ad mortem componunt, quam actum de vita eſſe ſentiant, prorſusq; de illa incipiant deſperare. Quos autē divino beneficio vitæ cepit ſatietas, ii pridem ſe-

culi hujus amorem exuerunt, nunciumq; miſerunt cunctis iis, quæ diuturnioris ævi deſiderium excitare poſſunt. Non horrent illi ſupremam horam, ſed pie exoptant; Non gravem ſibi mortem judicant eſſe, ſed gratam; Non male ſecum agi ſtatuunt, quando de vitæ ſtatione jubentur decedere, ſed liberari potius ſeſe a malis, quæ vitam hanc fragilem & moleſtam comitantur. Haud itaque mori ſe ſentiunt, ſed moriuntur antequam moriantur, proſpectant mortem imo exſpectant, propiusque accedentem obviis ulnis amplectuntur. Claudunt enim vitam ita, ut terrenis curis ex animo dimiſſis penitusque proſcriptis totos ſeſe ſacris involverint meditationibus, in iisq; ſupremum tempus exegerint, quæ æternæ felicitatis præguſtum præbent longe jucundiſſimum. Horum vero nihil beato SENATORI noſtro MEIERO defuit. Ætatem enim nactus eſt non ingraveſcentem modo ſed & decrepitam, quæ uti bonis promittitur, ita non exigui beneficii loco eſt habenda, ſi recte collocetur, iisque rebus impendatur, quæ canum caput ornant, tædiaque levant, quæ afferre ſecum ſenecta ſolet. Acceſſit quoque a curis ſecularibus otium, quod extremis annis præcipitata ætas ipſi fecit, viriumque inclinatio & morbi, qui lecto quidem non tenuerunt usque affixum, ab officii tamen functionibus, quibus ſedulus per vitam incubuerat, jure merito abſolverunt. Hinc adeo integro & quod excurrit ante obitum anno totum

ſe

ſe DEO tradidit rebusque divinis, quibus publice privatimque delectabatur, id omni conatu agens, ut plenus fiducia, & Divini Verbi ſolamine ſuffultus, erecto animo imperterritoque ad arbitrium ſummi Numinis ſpiritum aliquando redderet. Quod ipſum etiam (firmioribus licet adhuc viribus) Invictiſſimum Imperatorem CAROLUM V. exemplo prorſus ſingulari atque ad omnem poſteritatem memorabili feciſſe conſtat. Triennio enim ante mortem, cum innumeris curis atque laboribus eſſet fractus, ſceptra poſuit, ſeque in monaſterium Juſti, quod in finibus Caſtiliæ eſt, contulit, ut in Hieronymianorum fratrum ſodalitio reliquum vitæ ſuæ inter quotidiana precum & laudum divinarum exercitia tranſigeret. Nec pia ipſius vota deſtituit eventus. Placide enim ex hac vita diſceſſit, cum in unico SERVATORE noſtro JESU CHRISTO ejusque merito ſe omnem ſalutis ſuæ ſpem collocare declaraſſet, atque Sacro Epulo ſub utraque ſpecie ſecundum Chriſti inſtitutionem ſumto ſeſe refeciſſet. Similis vero vitæ exitus noſtrum quoque MEIERUM manſit. Cujus non modo pro Republica verum etiam Gymnaſio noſtro ſuſcepti labores poſcunt, ut vitæ ipſius curſum nunc repetamus, gratamque adeo mentem pro tot annorum meritis, ſi alia ratione nunc non liceat, ſaltem verbis teſtemur.

Lucem itaque adſpexit in hac ipſa urbe, in qua juſta nunc reliquiis ejus fiunt, Parenti-

bus honestissimis atque integerrimis prognatus. Carnalem vero ejus nativitatem haud multo post vitæ quoque Spiritualis initia exceperunt, cum sacro fonte tinctus fide donaretur, Ecclesiæque cujus perpetuum membrum erat futurus, insereretur. Nactus tum PETRI nomen fuit, quod uti Virum notat super salvificæ fidei Confessione fundatum, ita NOSTRUM, ut in eadem ad extremum usque vitæ immotus perstaret, felicissimo eventu commonefecit. Cæterum cum in puero non ingenii modo docilitatem deprehenderent Parentes optimi, verum etiam ardorem discendi non mediocrem, adeo ut & celeriter arriperet ea quæ tradebantur, & plura semper videretur poscere, deliberatum illis constitutumque maturo consilio fuit, literis eum plane addicere, nec intermiserunt quicquam, quod ad hunc scopum assequendum pertinere aliqua ratione videretur. Dati enim ipsi præceptores fuerunt ad docendum aptissimi, quos cum magna diligentia consectaretur, profecit indies, spemque fecit uberrimi fructus ex se olim ad Patriam redundaturi. Nec Gymnasium patrium neglexit, cui ad uberiorem ingenii cultum capiendum ineunte Anno MDCLI. civem dedit, JUNGII, TASSII, VAGETII, atque LAMBECII, (quos nominasse ad laudem elogiumque sufficit) acroases pertinaciter frequentans. JUNGIUM quidem in Logicis, Physicisque: TASSIUM in Mathematicis, VAGETIUM in humanioribus,

bus, LAMBECIUM denique in Hiſtoricis docentes audivit, & tanto quidem diligentius audivit, quod ante exactum biennium ſtudia ſua ad Academias transferre conſtituiſſet. Profectus ad Academias eundem curſum induſtriæ tenuit, atque ut non proletariam modo, ſed ſolidiorem Juris peritiam ſibi compararet, hæſit in illis per integrum decennium, Celeberrimis ubique Juris Conſultis ſe adjungens, quorum conſilia atque auctoritatem magna itidem animi contentione eſt ſequutus. *Helmſtadium* quidem ante cæteras adiit, ſubſtiteratque ibi per ſexennium, quando non modo doctrina ipſius varia, verum etiam integritas & probatiſſimi mores incitaverant Virum Generoſum Dn. Johannem Sigismundum a Freucking, Tribunum militum & Regiminis in aula Illuſtriſſimi Comitis Oldenburgici Præſidem, ut Filio ſuo, exeunte Anno MDCLVIII. ipſum daret inſpectorem, qui ſtudia ejus moderaretur, quod & multa cum fide fecit per triennium, non modo in Academia Julia, ſed & in *Heidelbergenſi* cum ipſo verſatus. Exacto autem triennio iſto *Argentoratum* ſe contulit, ut ſtudiorum ſuorum curſum ibi abſolveret, & Galliæ eſſet propior, quam inter extera regna primam adire decreverat. *Gallia* luſtrata in *Italiam* conceſſit, redux inde *Germaniam* peragravit, exeaque ad *Belgas* iter direxit. Cæterum cum in *Illuſtri Friſiorum Academia Franequerana* ageret, placuit ipſi decretoria diſputatione d. 15. May

Anno MDCLXVI. probare, tempus quod ſtudiis dederat, quam rectiſſime a ſe fuiſſe collocatum. Dignus proinde Academiæ iſtius proceribus fuit viſus, qui honore Licentiæ Juris utriusque, uti appellant, augeretur, quod & omnium applauſu fuit factum. Sic reverſus in patriam eſt, e qua ante annos quatuordecim juvenis ad bonarum artium mercaturam diſceſſerat. Vix dum autem in illam redierat, cum doctrina ipſius & candor effecerunt, ut SERENISSIMO MEGAPOLITANORUM DUCI, DN. CHRISTIANO LUDOVICO innoteſceret, qui ipſum adeo carum habuit, ut variis arduis negotiis expediendis adhibuerit, iisque feliciter atque ex voto confectis Conſiliarii titulo condecoraverit. Anno MDCLXXIII. d. 6. May. celebravit nuptias cum lectiſſima Virgine ANNA SCHRŌTERINGIA, filia GEORGII SCHRŌTERINGII Duodecimviri & Ædis JACOBÆÆ Curatoris jurati Primarii, cum qua per annos octodecim vixit conjunctiſſime, ſuſcepitque ex eadem filiolum unum in ipſo partu mortuum, & filias duas, quarum alteram, quæ natu major eſt, Virginem ornatiſſimam JOHANNEM MARGARETAM nuptum dedit Viro Nobliſſimo atque Conſultiſſimo DN. PETRO BARTELS J. U. L. Digniſſimo, alteram vero, decoratiſſimam itidem Virginem CECILIAM ELISABETAM in matrimonium collocavit Viro Nobiliſſimo, Conſultiſſimo, Ampliſſimoque, Dn. HERMANNO LANGEN-

BEECK

BEECK J. U. D. celeberrimo, & Reipublicæ noſtræ Hamburg. Secretario optime merito, quotidieque merenti. Servet DEUS hoc Florentiſſimum par (quod ſeptem nepotibus tribusque neptibus dulciſſimis parentem auxit) cum maritis ſuis fulgidiſſimis & Familiis ſplendidiſſimis in multos annos & ſummam ſenectutem, perfundatque ſolatio Spiritus Sancti, quod unum & ſolum mœſtos erigere, triſtitiamque ex animo expellere valet. A. M. DC. LXXX. d. 3. Febr. ſalutis publicæ gubernaculis fuit admotus, in Ampliſſimum SENATORUM Ordinem receptus, ex eoque tempore alia ex aliis munia, quæ dignitas iſta ſecum fert, ipſi ſunt commiſſia, quæ omnia ita obiit, ut candidum ſuum in patriam amorem, fidemque & dexteritatem apud omnium animos reliquerit teſtatiſſimam. Prætură ſuſtinuit annis M. DC. LXXXVI & LXXXVII, & ita ſuſtinuit, ut ſacerdotem juſtitiæ ſe probaverit, ſicubi autem neceſſitas rigorem non poſtularet, placidum quoque arbitrum diſſentientibus ſe præbuerit. Nec curæ Gymnaſii Scholæque publicæ ſe ſubtraxit, ſed lubens Anno M. DC. XCIII. eam ſuſcepit, cum tangeret illum ordo, geſſitque indefeſſa induſtria, quo nomine nos ipſi obſtrictos profitemur, gratesque beatis ipſius manibus decentiſſimas perſolvimus. Quid dicam de VIRI probitate & ſingulari Comitate, qua omnium animos ita ſibi devinxit, ut ſi per vota hominum ſtetiſſet, vegetam ipſi ſenectam & multorum adhuc annorum acceſſionem boni omnes fuiſſent apprecaturi? Sed hæc in ſolius

DEI manibus ſunt poſita, qui uti vitam nobis & quicquid ſumus, clementiſſime confert, ita pro ſuo quoque arbitrio eandem iterum adimit, transfertque ad meliores ſedes, qui in vera vivaque fide ad finem usque perſeverarunt. Quos inter etiam numerandus nunc eſt MEIERUS noſter, qui morte propera atque improviſa ſubtractus nobis non eſt, ſed pedetentim & lento prorſus gradu ad eam proceſſit. Primus quidem mortis anteambulo ipſi fuit inſultº apoplecticus quem die 13. Januarii ſuperioris anni fuit paſſus; inde ſucceſſit virium debilitas quotidie accreſcens, intervenerunt etiam recurrentes paroxysmi priori ſimiles, dextrum latus inſigniter affligentes, atque ad extremum alius, qui ſarcinas colligendas, atque ex hac vita abeundum eſſe monuit. Quapropter intenſius ſe ad pias preces & cœleſtium meditationem, cui jam per biennium unice vacaverat, convertit, obtinuitque ut Vitæ ſatur ad gratam requiem d. 4. Decembris hora duodecima meridiei perduceretur, cum Magiſtratum per quatuor & amplius luſtra geſſiſſet, atque dies quatuor & annum unum ſupra ſeptuaginta in hac mortalitate abſolviſſet. Vivit tamen nunc poſt mortem, & ea quidem vita, quæ nec dierum ſucceſſione nec annorum numero circumſcribitur, quamque moleſta ſenectus non comitabitur. Nulla itaque ejus unquam ipſum tenebit ſatietas. Fruitur enim bonis nunquum terminandis, ſatiaturque gaudio, quod ex DEI aſpectu eſt, cum Abrahamo, Iſaaco atque Jacobo accumbens. Corporis vero exuviæ condentur hodie, atque ad dormitorium quod in æde S. Jacobi eſt, ſolenni comitatu deducentur. Quem ut VIRI SPLENDIDISSIMI, PROCERES REIPUBLICÆ, ORDINES QUICUNQUE, civesque univerſi, & omnes denique quibus Virtus & merita τοῦ μακαρίτου cordi ſunt, frequenti præſentia illuſtriorem reddere velint, ea qua par eſt obſervantia rogantur atque invitantur. P. P. Hamburgi d. 10. Decembris, Anno MDCCIII.

Seri-

Series *

PRÆFECTORUM Arcis RITZBUTTELENSIS,

Quæ in poteſtate Reip. Hamb. eſſe cœpit A. MCCCXCIII.

* * *

Albertus Schreige

Henning Grote, â die Georgii *A. 1471. ad 1477*

Nicolaus Remſtede *1477. - 1483*

Georg. von Holte *1483. - 1489*

Erich von Kroge *1489. - 1495*

Nicolaus Tode *1595. - 1501*

Marquard von Lohe *1501. - 1503*

Johann Holthuſen *1503. - 1511*

Gerhard von Holte *1511. - 1517*

Paul Peck *1517. - 1523*

Dietrich Lange *1523 - 1530* †

Joachimus Lange, *Vicepræfectus.*

Georg Plate *1534. - 1540*

Gerh. van Hüttlern.

Ditmar Kohl.

Vincentius Moller *1542 - 1549*

* *

Joachim Moller *1549. - 1558* †7. Oct.

HieronymusBremer, *Vice-prefectus* (Befehlshaber auf Ritzbuttel) *1558. - 1559* *Jo-*

* Debes hanc Seriem Binis Conſulibus B. D. JO. DIETERICO SCHAUFHAUSEN, qui eam cum ipſe præfecturam iſta fungeretur, conſignavit, & Magnifico D. GERHARDO SCHROEDER, qui eam mecum liberaliter communicare dignatus eſt.

Joachim Hothuſen 1559. - 1564

Balthaſar Meinſſen, *Sub-præfectus* (Schloß-Vogt/) *non ex Senatorio Ordine, ab A. 1564. ad initium anni 1576. Inde per Capitaneum* Georgium Gevers, *adminiſtrata præfectura eſt, Vice-præfectis ex Ampliſſ. Senatorum ordine illuc ſubinde excurrentibus.*

Henricus ab Holte menſe Nov. 1577. ad 1578 † 11. Jan.

Henricus von Kroge 1578. - 1579 †

Jocob Sylm 1579. - 1584 † 16. Aug.

Georg. Gevers *Capitaneus.*

Joachim Beckendorp 1585. - 1591.

Warmbold Schræder 1591. - 1597

Reinhold Walrave 1597. - 1603

Caſpar Muller 1603. - 1609

Henrich Sylm 1609. - 1615 *Ægrotus Hamburgum reverſus, intra anni ſpatium obiit.*

Nicolaus Jerre 1615. - 1619 *Ægrotus Hamburgum relatus † 16. Jul.*

Vice præfecti A. 1619. Johann Schovvshauſen
Erich Soltau.

A. 1620. Joh. Münden
Joach. von Kampen

Johann Rotenburg 1620. - 1626

Joh. Schovvshauſen 1626. 28. *Jul. captus ab Epiſcopo Hallenſi & arx occupata usq; ad 21. Aug.*

Henrich Hartzvvig J. U. L. 1633. - 1638 †

Vice-præfectus Jo. Steinvvick.

Elerus Eſich 1638. - 1640 † 3. *Aug.*

Vice-præfecti A. 1641. Nic. Jerre,
Nic. von der Fechte.

Ele-

1641 - 1642 Ericus Wœrdenhof.

Ericus Woerdenhof *A. ab 1644. - 1650*

Ditmar Kohl *1650. - 1653 † 17. Jul.*

Vice-præfecti Nic. von der Fechte
Jacob Sylm.

Administrator (Ampts-Verwalter/*non ex Senatorio ordine*) *ab Octobri A 1653 - ad diem Georgii 1656.* Laurentius Wordenhof.

Lucas Beckmann *1656. - 1658*

Vice-præfectus (Ampts-Verweſer) Petrus von Campe, *J. U. L.*

Georg von Holte *1659. - 1665*

Marcus Buck J. U. L. *1665. - 1671*

Hartvvig von Sprekelſen *1661. - 1677* *6. Jun.*

Jo. Dietrich Schafhauſen, D. *1677.*

Hartvvig von Sprekelſen, iterum. *1677. - 1680 † 2. Nov.*

Johann Koch *1681. - 1688*

Hieron. Hartvvig Moller J. U. L. *1688. - 1694*

George Held J. U. L. *1694. - 1700*

Joachim von Sprekelſen *1700. - 1706*

Ludvvig Becceler *1706.*

SERIES NOBILISSIMORUM
PROTONOTARIORUM & SECRETARIORUM
Reip. Hamburgenſis.

A. 1351. Jo. Wunſtorp. *ad 1381*

Hartvvicus. *1356*

M. Alanus. *1381*

1327. Jo. de Hamme. *1365*

1366. Jo. de Gotynghe. *1400*

1382. M. Bruno Bekendorp. *1383*

Ni-

A. 1382 *Nicolaus Sterneberg.* ad 1406
Borchardus Greves molen. 1390
1384. *Henr. Schreye* 1407
1391. *Thidericus Beringh* 1405
1401. *Hermannus Kule* 1414
1406. *M. Hermannus de Hamme* 1409
1407. *Thidericus Cœsveld sive Cusfeld* 1411
1409. *M. Thidericus de Gheynsen* 1426
A. 1415. Proton. & Decanus Calendarum.
1412. *Jo. Vlöghel* 1414
1415. *M. Jo. de Hoya* 1433
1424. *Jo. de Wadekoten* 1437
1432. *Hermann Kreyenbergh* 1435
1433. *Jo. Rosgheri* 1455.
A. 1444. Protonotarius.
1434. *M. Jo. Quentin*, uxoratus, & quartus numero. 1452
1437. *M. Jo. Jordanus* 1437
1441. *M. Jo. Preen*, ex nobili Familia Megapolitanorum Equitum. 1443
1444. *Jo. Niegendorp* 1464
A. 1455. Protonotarius,
1453. *M. Henricus de Lu.* 1463
1456. *M. Marquard Mildehövet* 1461
1457. *Michaël Sinnigen* 1459
1460. *M. Hermannus Here* 1461
1462. *Henr. Louve* 1464
1465. *M. Jo. Remstede*, frater Nic. Senatoris 1474
1465. *Jo. Mestvverte*, frater Hen. Senatoris 1489
1465. *Laurentius Rodtydeke* 1502
1474. *M. Jo. Mürmester*, frater Henrici Consulis, Abbas antea Buxtehudanus 1475
1475

1475. *Luderus de Hadelen* ad 1494
1488. *Nicolaus Schulte* 1510
1493. *Jo. Reyneke*, quartus numero, 1523
1500. *Luderus Meltzingh* 1506
1508. *M. Jo. Wetken*, uxoratus. Creatus Senator 1528
1510. *M. Jo. Kloth* 1537
1523. *M Joach. Sommerfeld*, resign. 1538
Creatus Senator 1540.
1528. *Hermannus Rœver*, creatus Senator 1540
1535. *M. Jo. Ritzenberg*, resign. 1556. quartus num.
1537. *M. Martinus Gœbel* † 17. Sept. 1566
1543. *M. Alexander Spieff*, ex Comitatu Schauenburgensi, in quam iterum discessit 1551
1551. *M. Nicol. Vœgeler*. Creatus Senator 1560
1551. *Jo. Schrœder, L.* 1585
1560. *M. Jo. Niebur*. Creatus Senator 1580
1566. *M. Ant. Witersheim*, postea D. & Syndicus & Cancellarius Ottonis Comitis Shaumburgici. 1584
1578. *L. Eberhard Tvvestreng*, Creatus Senator 1601
1581. *M. Albertus Lemeier*, creatus Senator 1588
1585. *Sebast. von Bergen, L.* creatus Senator 1601
1585. *L. Vincentius Moller*, Eberhardi Consulis F. creatus Senator 1596
1596. *Georg von der Fechte, L.* creatus Senator 1609
1601. *Joach. Claën. L.* creatus Senator 1616
1601. *Bernhard Tegge. L.* obiit 27. Oct. 1606.
1606. *Henr. Hartzvvich L.* creatus Senator 1614
1609. *Gerhard von Holte. L.* creatus Senator 1628
1614. *L. Vincentius Moller*, Consulis Caspari F. Syndicus 1625
1616.

1616. L Jo. Brand, Consulis Joachimi F. electus Senator *1623*

1623. L. Martin von der Fechte, Georgii Senatoris F *1630*

1625. 11. April. Jo. Stenvvich L. electus Senator *1630*

1628. Wolfgang Meurer L. quartus numero. Deinde electus Senator *1644*

1628. Paridom vom Campe L. *obiit 1. Jul. 1650*

1630. Barthold Moller, electus Senator *1635*

1635. L. Jacobus Rotenburg Joannis Senatoris F. *obiit fine anni 1667*

1644. 2. April. Henr. Schrædering L. resign. 1. Aug. 1683

1650. 25. Sept. Martinus Rœver. L. - - *1657*

1658 Jo. Schulte L. Martini Senatoris F. creatus Consul *1668*

1668. 7. Jan. Petrus von Campe *1693*

1668. 27. Jul. Henricus Schrœder L. resign. *1683*

1683. 15. Aug. Albertus Schultze J U. L. Consulis Joannis F. *obiit 9. Oct. 1702*

1683. 17. Aug Julius Henricus Schaufshausen J. U. L. creatus Senator *1699*

1693. 10. April. Helvvig Silm. J. U. L. creatus Senator *17. Febr. 1708*

1699. 4. Sept. Hermann Langenbeck, J. U. D.

1702. 18. Oct. Jo. Anderson. J. U. D.
Creatus Syndicus 19. Nov. *1708*

1708. Jo. Joachim Koch. J. U. D. Joannis Senatoris F.

1708. 5. Dec. Nicolaus Lucas Schafshausen, J. U. D. Jo. Dieterici Consulis F.

FINIS TOMI. I.

A1 1520233